METEOROLOGICAE AFFECTIONES

SIVE

DE CAVSIS, ET SIGNIS

Pluuiarum, ventorum, serenitatis, & tempestatum, De vero ortu, & occasu syderum, de stellarum significationibus Aristotelis, Theophr. Ptolemæi, & aliorum monumenta,

A Francisco Bonauentura collecta, translata, emendata, & annotationibus atque eruditis disputationibus illustrata.

Medicis, Astronomis, agricultoribus, & nauigantibus magnopere necessarium opus.

Operis contenta vide lector pagina sequenti.

Adiectus est index locorum, & quæstionum quæ explicantur.

AD SERENISSIMVM FRANCISCVM MARIAM SECVNDVM VRBINI DVCEM SEXTVM.





VENETIIS, M D XCIV.

Apud Franciscum de Franciscis Senensem.

INDEX LIBRORVM HVIVS VOLVMINIS.

SERE-

SERENISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO MARIÆ SECVNDO VRBINI DVCI SEXTO.

FEDERICVS BONAVENTVRA FOELICITATEM.

MAGNVS ille Alexáder (Princeps Serenissimè) qui philosophiæ ardore virtutem bellicam æquauit, Aristoteli succensuisse dicitur, quòd libros sui gratia conscriptos diuulgasset, alijsq; dedisset conspiciendos: optimè sibi, vt acerrimo erat ingenio, persuadens, nec armorum laudem militaremq; peritiam, nec rem aliam vllam hominem perficere, ac supra alios efferre posse præter vnam scientiarum cognitionem. At ego contra, ne tu mihi, laudabiliori longè affectu commotus, succenseres, quòd Theophrasti opus de Ventis elegantissimum, iam pridem latinitate à me donatum, tibiq; dicatum, in vulgus non proferrem, & suspicione solicitus, & suspensus metu superioribus mensibus diù multumq; fui. Cum enim Principes viri, qui verè Principes sunt, non solum eo beneficio, quod per negotia agendo; sed altero quoq; illo, quod per otium contemplando comparatur (quibus

maiora conferri nequeunt) humano generi prodesse maximè studeant; quodq; per se non possunt actionibus detenti, per alios nihilominus præstare cupiant; vereri cœpi, ne difficile patereris præclarum summi philosophi opus, tui gratia primum latino sermoni enatum, diutius mea culpa delitescere: iam enim sexto anno exeunte librum hunc tibi Principi meo, cui me ipsum ac mea omnia debeo, calamo exaratum dono miseram; optimè sanè de optimo philosopho meritum me esse ratus, si tantúmmodo Principi optimo illum latinè loquentem consecrarem; maioremq; me inde laudem esse adepturum, quàm si impressum curassem (à qua re semper abhorrui) ad manus hominum perueniendum. Hæc autem dum ante oculos obuersabantur meos, ecce audio nonnullos doctos viros eodem sumpto labore librum hunc transtulisse, & vnà cum alijs lucubrationibus breui esse edituros. quamobrem alius me rursus timor occupauit, ne studiosi omnes litterarum, immo & Theophrastus ipse molestè ferrent, ea, quæ tibi vni vel maximè debentur, tuoq; pridem nomini dedicata fuere, alijs nuncupata circunferri. Itaq; illud facere his de causis coactus sum, à quo longè aberam animo; quod vè flagitantibus sæpè amicis, recusaueram: nimirum opus hoc in lucem edere, quod iusti legitimiq; domini nomen præseferens, tanquam tuum agnosceretur ab omnibus, ac legeretur; tuaq; autoritate fultum calumniantium quærelas nedum facilè sustinere, sed & penitus arcere posset. qua in re agenda non mei laboris aliquid in eo impensum esse cogitaui, sed tantum Theophrasti esse opus, ac tibi dedicatum; his

nomi-

nominibus arbitratus, & tibi carum, & cunctis alijs fore. Libenti igitur & magno, vt soles, animo accipias, oro, Princeps Serenißimè non solum librũ hunc, sed & reliqua alia ad hoc studiorum genus pertinentia, quæ priorem ANEMOLOGIAE nostræ partem complent, à me quidem adiecta, vt munus hoc meum, qualecunq; sit, magis honestarẽ, ornaremque; & animo verseris hęc quidem, licet ab homine prodeant, qui nec infimæ etiam plebi Aristotelicæ adscribi meretur, partim tamen maximi Aristotelis alumni monimenta, partim ipsorum etiam Aristotelicorum dogmatum explicationem continere; demumq; ad te esse missa, qui ob tuam tuorumq; maiorum in bellica re virtutem, ob scientiarum omnium cognitionem magno Alexandro quàm simillimum te reddis; atq; non secus ac ipse consueuerat, litterarum studia alis, ac foues, studiosorumq; labores, qualescunq; illi sint, qui pro vetere instituto sacrãtur Principi viro, summa humanitate amplexaris.

Vale.



AVCTOR

AVCTOR CANDIDO LECTORI.



N habes amicè lector priorem ANEMOLOGIAE *nostræ partem in hoc volumine; videlicet de Ventorum affectionibus, signis, causisq; tractationem: quæ quanquam syluam quasi quandã multorum librorum perturbatam & confusam præseferre videatur, tamen ordinem singulis ipsius partibus non deesse comperies. De affectionibus enim liber Theophrasti de Ventis tractat, atq; in illum Annotationes: in quo interpretando eò maiorem sustinui laborem, quòd & primus (quòd sciam) prouinciam hanc suscepi; & nullum ferè in græcis exemplaribus verbum extat, quod mendis non scateat: quam profectò rem Annotationes ipsæ satis docent, in quibus quot loca emendauerim; quot ex sectione vigesima sexta Problematum restituerim, & illustrauerim; vel, multo aliter quàm Theodorus, interpretatus sim, linguæ græcæ studiosi, quibus nostram operam spero fore non iniucundam, facile cognoscent. De signis tàm meteorologicis, & naturalibus (vt ita loquar) quàm cœlestibus, quæ è syderum inerrantium ortu & obitu sumuntur, libri quatuor agunt Theophrasti, de Pluuiarum, Ventorum, Serenitatis, ac Tempestatis signis (serenitates nanq;, imbres, ac tempestates à ventis maximè pendent, ventosq; comites ferè sem-*

per

per habent) item alter ille Ptolomæi liber, cum duobus Opusculis ex Columella & Plinio excerptis, de Significationibus stellarum inerrantium, ac super illis Annotationes: quos etiam primus ego non paruo labore propter rei obscuritatem in latinum sermonem transtuli, atque in Annotationibus Veteres illos imitatus, ac supra vires meas audax, naturales causas earum rerum adducere conatus sum, quas fatentur ferè omnes humanum ingenium non reperire, vt potè quæ latere creduntur obscuritate inuolutæ naturæ, quasi Deus non ista nos scire, sed tantummodo admirari voluerit. quorum tametsi ego neque probabiles quidem inuenire potui, admirabor tamen ea, nec abducar his difficultatibus, vt rear in hac opinione totam philosophiam delirare. De Ventorum causa, idest de causa obliquæ illorum motionis, Disputatio nostra sermonem habet, quæ quàm scopuloso verfetur loco, atq; difficili, doctos viros non latere scio. Demum, quoniam in Opusculo de Ventis interpretando, dum ea expenderem, quæ tex. 54 a Theophrasto de flatibus ortu Orionis & obitu surgentibus subtilissimè disputantur, graues doctissimi viri Francisci Vicomercati in locum illum obiectiones succurrerunt: à quibus vt Theophrasti tuerer dignitatem, Apologiam quandam conscripsi, placuit mihi in studiosorum gratiam eandem hanc Apologiam his omnibus adiungere, arbitranti literariam rempublicam, si non mihi ciuicam coronam deberi dicat, quòd præclarissimum seruauerim ipsius ciuem, optimeque de ea meritum, saltem conatum meum magnopere esse laudaturam, quòd quantum in me positum fuit, id præstare voluerim. In posteriori parte (si incœpta nostra iuuet Deus) græcum Opusculorum huiusmodi Theophrasti, ac Ptolemæi contextum emendatum habebis,

bebis, qui nonnullis de causis nunc exire, in vulgusque emanare non potuit. Item in hunc ipsum librum de Ventis Commentarios, in eamque Aristotelis Problematum sectionem quæ ad ventos spectat: ac plura alia de Austris, Aquilonibus, Subsolanis, Fauonijs, de Etesijs, & cuiusque tandem venti natura & proprietate disputata; præterea ad Ptolemæi imitationem cœlestia signa cum ætate nostra ac regione congruentia. demum de Calore ab astris genito disputationem, vt ea, quæ de mediæ regionis natura aduersus vulgatam sententiam scripsimus in hac priori parte, rata magis fixaque habeantur, veraque de hac obscurissima quæstione Aristotelis opinio eluceat: atque hæc de ipso opere & instituti mei ratione. Superest nunc in eo mihi laborandum, neruisque omnibus contendendum, vt à te benigne lector veniam petam ac precer, quòd meis hisce laboribus rei nobilitati, ac dignitati, quam suscepi pertractandam, non respondeam: quæ tamen res in nullam te admirationem traducere poterit, vbi non solum ingenii mei tenuitatem cognitam habueris, sed te illud etiam non latebit, me, humanioribus quidem litteris vix degustatis, ac eis quidem tumultuosè & interruptè, cum iam mihi iter instaret ad grauiora studia perdiscenda, parentibus fato ereptis, ad domesticam gubernationem reuocatum, nullum alium in litteris ac philosophia habuisse præceptorem, ad quam præsertim ad peripateticam summè à tenera ætate propensus fui, præterquàm assiduos meos dierum noctiumque labores, & incredibilem ac flagrantissimam discendi cupiditatem; nisi quantum doctißimorum virorum congressus int dum, & colloquia quodam modo magistri loco mihi extiterunt: vt iam Homericum illud vsurpare valeam ab Aristotele primo

Retho-

Rethorico relatum: Αὐτοδιδάκτας Φρίμ. qua in re si non alios certè Pindarum in Olympijs laudatorem habeo in Cœlū eos extollentem, qui se ad capessendas disciplinas suo marte conferunt, eos qui doctore vtuntur contemnentem. Vt taceam neq; etiam in hisce vigilijs meis clementiorem fortunam fuisse expertum, cum præter rei familiaris curam, rerum quoq; humanarum casus coegerint me suauissima studia ad multum aliquando tempus intermittere. Quę profectò impedimenta, cum talia sint, vt à scribendi munere nos terrere omnino debuissent, si quis tamen requirit, quæ causa nos impulerit, vt hæc litteris mandaremus, nihil est quod expedire tàm facilè possimus. Nam primum hasce lucubrationes nostras Principi Serenissimo quadammodo debebamus: deinde illud etiam incendit, ne talento dato, quantum in nobis est, male vteremur, in terra illud abscondentes: hortata est etiam, vt me ad hæc conferrem, ingens animi cupiditas discentium studijs pro virili parte opitulandi: cum nullus adeo malus liber sit, quin aliquam legenti afferre vtilitatem possit, nisi inimicè potius insectandi, quàm addiscendi animo legatur: vt ipsa etiam errata plurimi facienda videantur, quæ ad veritatem assequendam præclara interdum alijs sunt incitamenta. ex quo & 2. Methaphisicēs pulchrè scripsit Aristoteles non ijs tantum, qui scopum in re aliqua docenda attigerunt, habendam esse gratiam, sed illis etiam, qui ἐπιπολαιότερον monimētis aliqua mandarunt; cum nisi Phrynis extitisset, quemadmodum ipse inquit, Timotheum non haberemus. Prætereo Plinianum etiam illud non mè parum commouisse, cum diu viuere non valeamus, aliquid esse relinquendum, quo nos vixisse alijs testemur. Quod si in his omnibus pertractandis,

dum aliorum placita referrem, liberior tibi, siue acrior videri possim, id (Deum testor) à mè factum scias velim lector humanissimè scribendi potius quodam vsu ac modo (vt solent omnes) quàm vt alicui notam aliquam inurerem (à qua relongissimè absum) aut vllum reprehenderem: alioquin facile mihi persuadens, me potius esse hallucinatum, cum grauissimos illos viros, quorum æterna fama est, nec meis nugis obscurari potest, à recta aberrasse via existimaui. Verum quoniam vnusquisq; abundat in suo sensu, ac vt perbelle aliquando dicebat Cicero, suo cuiq; iudicio vtendum est, turpissimum esse arbitratus sum, rem tractans litterariam, nisi libere dicerē quod sentirem. Vale, & si hæc nostra tibi non displicere intelligemus, grauiora fortasse in dies expectare poteris.



IN LAVDEM AVCTORIS.

HORATIVS VIMERCATVS.



Ambrosios lauro FEDERICI *ornate capillos*
Qui colitis Graias Romuleasq; Deas:
Hic etenim vera est latiæ facundia Linguæ,
Atticus hic Lepor est, Aonidumq; decus.
Nam si non perijt quod liquit Græcia chartis,
Debetur meritis ò FEDERICE *tuis.*
Plurima tu reseras Sophię secreta latentis,
Tu obscuri monstras abdita claustra Noti.
Tu in Latium transfers Dictai arcana Laboris,
Per te Palladias Italus auget opes.
Ergo Pierides FEDERICVM *tollite vestris*
Laudibus, & capiti florida serta date.



INDEX. LOCORVM ET QVAESTIONVM QVÆ IN SINGVLIS OPVSCVLIS, ET ANNOTATIONIBVS EXPLICANTVR.

IN LIBRO DE Ventis.

IN OPVSCVLIS DE SIGNIS IMBRIUM, VĒTORŪ, TEMPESTATIS, AC SERENITATIS.

DE SIGNIS IN GENERE.

4 *Ver-*

DE SIGNIS AD TEMPORUM quatuor a. totius anni statum ac mutationem pertinentibus.

DE SIGNIS PARTIcularibus, ac primum de Signis Imbrium.

seq;

DE SIGNIS VENTORVM.

DE SIGNIS TEMPESTATUM.

DE SIGNIS SERENITATIS.

IN ANNOTATIONIbus super Librũ de Ventis.

IN ANNOTATIONIbus super lib. De Pluuiarum signis.

Pli-

IN ANNOTATIONIbus super Opusc. de Ventorum signis.

17 Quid

IN ANNOTATIONIBUS super Opusc. De Signis Tempestatum.

IN ANNOTATIONIbus super Opusc. De Signis Tranquill. & Serenit.

IN PTOLEMAEI OPVSculo de Inerrantium stellarum significationibus.

IN ANNOTATIONIbus super Lib. Ptolemæi De Inerrantium syderum significationibus.

IN DISPVTATIONE De causa motus Ventorum

51 Exha-

185 Sce-

IN APOLOGIAE LIBRO PRIMO.

IN SECVNDO LIBRO APOLOGIAE.

4 Anni

IN TERTIO LIBRO APOLOGIAE.

††††††† 32 Aristo-

FINIS.

Errata, quæ impressorum incuria irrepserunt, sic corrigenda. numerorum autem prior paginam, posterior lineam indicat: in lineis numerandis, non eas tantum, quæ scriptæ sunt, sed etiam illas, quæ sunt uacuæ numerato.

In Opusc. Theophr. & in Annot.

Pag. 8. lin. 13. ipsissmet. 11. 20. & si 13. 12. ex ambabus 15.13. propterea. 15. 15. illarum. 17. 8. etsi. 19. 6. cum plenus sit locus, nec se aer subducat. 27. 11. sol australi. 29. 1. ipse. 40. 16. pro nõn. l. & 41. 12. imitetur. 42. 16. Ymettus. & sic vbiq; 48, 25. Austri autem. 53. 21. loco non permanserint. 60. 11. autem stellæ, quas. 78. 18. illi. 80. 6. meridiei. 82. 1. obseruatur. 85. 23. νοτίζειν. 90. 9. etsi. 106. 1. & quo modo. 107. 20. ab ea. 111. 16. verò. 112. 8. leuconotes. 112. 17. illi & sic vbiq; 117. 15. aere 120. 1. cap. 5. 137. 24. ventus. 140. 3. σύνοδοι & sic vbiq; 140. 13. cũ posteriori. 140. 37. tex. 23. 141. 3. exhalationum. 142. 17. seruatã. 147. 14. respirationem. 148. 17. loco illi. 150. 10. ὀλίγον. 152. 13. ei 153. 26. illi 158. 2. Epidemion, & sic vbiq; 159. 17. αὐξήσεις 164. 31. vergant. 166. 3. illi. 169. 5. ἄλλως. 177. 17. alteri. 178. 5. deesse. 178. 27. pro Theophrastus .l. Aristoteles. 190. 30. capricorno. 190. 36. se subscribit. particula se vacat; & sic vbiq; 207. 6. hîc vocat. 215. 4. ἀοριστεῖν. 226. 14. pro, Hyades .l. Hadi. 237. 16. minori. 238. 7. à die vigesimasexta ad quartam. 244. 31. medias. 258. 4. secundam. 258. 18. duæ. 260. 9. tutum. 265. 4. cornibus. 272. 10. à nouilunio. 272. 11. à plenilunio. 273. 32. diffusius. 284. 3. quia debiliori. 293. 30. in quod. 296. 34. & eam quasi manum eiaculari. 300. 37. vestigium.

ERRATA.

um. 322. 29. *sentiunt se.* 336. 5. *& multa adhuc.* 341. 21. *vero.* 341. 23. *conspecta:* 345. 21. *insigniter.* 346. 12. *causis.* 347. 16. *qua.* 354. 14. *in Præsepi & sic vbiq;* 355. 5. *notari.* 356. 23. *sit natura.* 360. 31. *coire* 363. 1. *vrgere.* 364. 12. *ipsimet* 367. 31. *vtriq;* 371. 17. *pro. quanquã. l. quandoquidem.* 375. 27. *quod ex elementorum.* 378. 18. *Fauonij sereni.* 378. 36. *addit.* 387. 15. *prò videtur .l. apparet.* 392. 28. *in littoribus.* 399. 30. *circa solem.* 401. 9. *exhalat, esse.* 415. 28. *fatear.* 430. 8. *maxime.* 435. 22. *cur non semper.*

In Opusculo Ptolemæi, & in Annotationibus.

13. 2. *paralleli, & sic vbiq;* 14. 13. *eadẽ.* 41. 12. *Hor.* 13. 30. 41. 15. *pro Metrodoro .l. Democrito.* 44. 21. *eundẽ.* 54. 15. *Aries medius.* 67. 26. *amba.* 72. 32. *ortus & occasus.* 73. 10. παραλλήλων. 74. 26. *reliquos interdum præcedere.* 89. 17. ἀνέσεις. 91. 23. *generabilibus.* 94. 15. *qui horum.* 96. 4. *generalis.* 98. 10. *vir.* 106. 20. *mensis.* 118. 31. *stella.*

In Disputatione de Causa motus Ventorum.

8. 26. *circũamplectitur.* 16. 29. *atq; si ex ipso.* 22. 11. *etsi* 30. 7. *mouetur.* 32. 15. *lenes.* 35. 13. *non quidem ab aere illo moto, quia.* 43. 26. *desciuisse.* 47. 33. *suspicari quis possit.* 51. 27. *pro frigido. l. moto.* 62. 1. *corpus.* 71. 22. *obliqua.* 127. 33. *obliquæ.* 129. 17. *ex ambabus.* 134. 1. *pro sex. l. quinq;* 135. 3. *ambabus.* 147. 20. *qui.* 149. 34. *in quas.* 152. 15. *primi vespertinus.* 182. 34. *propior.* 183. 37. συμπορεύεσθαι.

In Apologia.

7. 18. ἀθροίζειν. 19. 9. *ianitrices.* 22. 31. κολλήσεις. 30. 31. *lucos.* 31. 5. *splendorem.* 31. 11. *ipsam.* 35. 23. *Ouidius.* 41. 28. *matutinus apparens.* 42. 35. *ortus matutinus postea.* 45. 28. *plures in partes.* 46. 15. φυτεία. 52. 1. *frigidis.* 52. 2. *victitato.* 52. 8. *quas.* 54. 2. *Aequinoctium.* 59. 6. ὕδατι. 60. 31. *pendent.* 63. 37. *quibuscum.* 64. 18. ⊙. 48. 79. 7. *seculo.* 87. 5. *exortuum.* 97. 20. *clare.* 97. 22. *ipse.* 106. 15. *incertam esse & mox.* ἄλλην. 108. 21. 4. 15. 110. 11. *abscondebantur.* 114. 34. *metoporon.* 125. 11. 15. 48. ♃. 126. 12. *Ascensio obliqua.* 135. 2. *Ascensionali.* 135. 33. 0. 51. *Leon.* 140. 18. *pro cum Humero sinistro .l. cum prima Clipei.*

Cæteros, qui aderant errores, præsertim interpunctionum, literarumq; maiorum pro minoribus, minorum pro maioribus, accentuum, diphtongorum, uniusq; literulæ quoquomodo immutatæ, uel prætermissæ, qui nec legentem retardare, nec sensum alterare possunt, æquus lector facile emendabit.

F I N I S.

LECTORI.

HOC tibi candide lector compertum esse uolo, cum dixi in meis Annotationibus in libros de Signis Pluuiarum, Ventorum, Serenitatis, ac Tempestatis me ex omnibus recentioribus ferè primũ huiusmodi signorũ causas inuestigandi prouinciã suscepisse, haudquaquã habuisse cognitũ Augustinũ Niphum philosophum præstantissimum, ædito libello de Veris temporum Signis, similem sumpsisse superiori ætate laborem. tametsi cunctæ fortasse aliæ huius uiri lucubrationes ad meas manus peruenerunt. quod sanè opus, cum, impresso iam hoc uolumine in tabula conficienda occupatus, Pisaurum occasione quadam me contulissem, in Serenissimi Ducis Bibliotheca inueni, quam optimus hic Princeps disciplinis omnibus instructus, & ornatus summa cum laude multis non solum ab hinc annis locupletissimam construxit, sed adeò libris undiq; conquisitis quotidie auget, ut ad nouam semper uisendam accedas. Hunc igitur ego librum cum in ea uidissem, in quo multorum signorum causas affert Autor, ac pleraq; attingit horum Theophrasti opusculorum loca, partim lætatus sum, quòd eundem cum tanto uiro genium habuerim; partim dolui uehementer, quòd non prius eum legerim, quàm hosce meos labores in uulgus protulissem. Itaq; si in tradendis causis coniunctũ meum consilium cũ suo fuisse inuenies, aliquid amplius meruisse me, quàm antea iudicabis. si diuersa me sensisse comperies, quæso non tantum apud te opinio præiudicata possit, ut sine ratione ualeat autoritas: enimuerò quantum raptim, & quasi per transennam, ut dicitur, prætereuntes uidimus (neq; .n. aliquot diebus librum ociose nobis tractare licuit) si quis hæc nostra cum illo conferat speramus eum, nos, si non commilitones, saltem summi huius Imperatoris milites non indignos esse iudicaturum. Quanquam quod attinet ad ipsam æditionem multa sunt, ut uerum fatear, in quibus & diligentia maior, officiosiorq; sedulitas desideretur; cui malo, ut in hoc habeas confitentem reum, neq; ego mea opera, quam ipsi ornandæ præstiti, occurrere ualui: nam qui hoc palàm perpetuòq; profitear in hac humana caligine rerum omnium ignarum esse me; in emendandi potissimum ratione, in qua rudem me discipulum & integrum primus hic meus partus accepit, adeo mentis meæ aciem perstrinxit hæc tenebrarum labes (præterquàmquòd dum hæc imprimebantur non raro absfui domesticis curis alijsq; negocijs impeditus) ut uidere tantũ non potuerim, quin & multa, & crassa fortassis errata præterierim. fateorq; illud esse uerissimum, quod per omnium ora circunfertur, neminem in adornanda æditione aliqua minus esse aptum, quàm autorem ipsum. Intelligis igitur benigne lector tibi in his legendis præter multa, quæ à nostra imbecillitate proficisci potuerunt, alia cuncta, quæ cuiq; ferè æditioni accidunt quasi fatalia semper suspecta esse debere: quæ tamen facile uel leui adhibita attentione, ac uigilantia conformare poteris, & emendare; Bene uale.

FINIS.





THEOPHRASTI DE VENTIS LIBER, A' FEDERICO BONAVENTVRA VRBINATE Latinitate donatus.



VENTORVM natura, ex quibus constet, quomodo, & quas ob caussas oriatur, antea contemplati sumus: quod autem singuli vires habeant, ac omnino quæcunque illos comitari solent, ratione comitentur, deinceps dicere tentandum est; quibus ferè omnibus vicissim differunt. Enimuerò differentiæ in his & circa hæc; nempe in magnitudine & exiguitate, in frigiditate & caliditate; simpliciter quod hyberni sint vel tranquilli, pluuij vel sereni, quin etiam quod frequenter per anni tempora aut raro spirent, vel non semper & continui & æquales, sed per interualla & inæquales; ac omnino quæ circa cœlum, vel aerem, terram, Tex. 2.

 & mare

& mare contingunt ob ſpirationem: nam, vt paucis dicam, de his omnibus, & circa hæc quæſtiones habentur; in quibus & ea compræhenduntur, quæ de animalibus, & plantis quęri ſolent.

Tex. 3. Quoniam autem vnicuique vento proprius ſubiicitur locus; idq; tanquam commune illorum eſſentiæ eſt: à locis ipſis, vt in vniuerſum loquar, & differentiæ, & vires, & ſingula alia ſumenda ſunt, quemadmodum primò magnitudinis & exiguitatis; frigiditatis & caliditatis; multitudinis & paucitatis, atq; aliarum affectionum plurimarum.

Tex. 4. Inſunt autẽ eadem cõtrarijs ventis atq; etiam contraria, & ambo ſanè iuſta de cauſſa, vt Aquiloni, & Auſtro; vtrique enim magni ſunt, & diu ſpirant, propterea quod ad ſeptentriones, & meridiem (cum hę regiones ſint ad latera curſus ſolis, qui ab ortu eſt ad occaſum, ſitæ) multus, & copioſus aer contrudatur; vi enim ſolis illuc expellitur: quamobrem & denſiſſimus, & nubibus maximè plenus illic eſt. cum autem, multus ad vtraq; loca illa colligatur; & copioſior fluxus, & diuturnior frequentius efficitur: ex quibus ſanè duobus, & magnitudo, & continuitas, & multitudo ipſorum, ac

Tex. 5. eiuſmodi alia ortum habent. Frigiditas verò, & caliditas manifeſtiſſimè videbuntur locorum ratione ventis innaſci: loca enim ſeptemtrionalia

frigida

frigida sunt; quæ autem ad meridiem vergunt calida, quod verò vtrinque fluit simile est: loci enim propinquitatem, & minus aperta regio, & minus aperta latio comitantur; qui verò spiritus per angustum fertur & vehementius, frigidior est; & qui se longius protrahit, perurens magis, ac remissus sentitur: quamobrem & Auster illic frigidior est quàm apud nos, atq;, vt nonnulli dicunt, magis etiam, quàm Boreas: efficit autem aliquid, & mutatio ad phantasiam, sed si locus præexistat; atq; hoc dixerim ferè commune omnibus esse.

Iam verò quod ambo pluuij sint, & sereni, & fluctus edant, vel non edant, densi sint & continui, æquales, & inæquales, quin etiam, hi quidem magni cum spirate incipiunt, ij verò vbi cessant & desistunt; hæc inquam omnia, ad locorum consistentiam presertim referenda sunt: vnde enim vnusquisque spirat & exoritur, apud illos serenus est; sed quo aerem repellit, ibi nubilus, & pluuius: idcircò Aquilo, & potissimum Etesiæ ijs, qui meridiem versus, & ortum incolunt, pluuias afferunt; Auster autem, vt summatim dicam, vel hi qui ex loco illo venti spirant, ijs qui vergunt ad Aquilonem. Non parui autem, sed magni momenti est, illic regiones eminentes esse, vbi occurrentes nubes assideant & consistant; in huiusmodi enim Tex. 6. Tex. 7.

talibus generantur aquæ: atq; hæc caussa est, cur congeneribus & paralellis locis, alij venti abjs pluuij esse comperiantur. Sed de aquis plura
Tex. 8. alio loco à nobis disputata sunt. Ab eadem autem pendet caussa, quod Aquilo statim cum incipit magnus spiret, Auster verò vbi cessat; vnde, & prouerbium consilium dat de his, quæ pertinent ad nauigationem. Aquilo enim, ijs, qui ad vrsam vergunt, statim quasi imminet, Auster verò longe abest: at verò diuturnior est eorum, qui procul sunt effluxus, ac tum magnus, cum multitudo collecta sit exhalationum; ijs enim, qui circa Ægyptum, locaq; illa habitant, Auster contra incipiens magnus apparet: vnde, & illic prouerbium contrario modo pronunciant. Densitatis pariter iisdem caussa est, nullosq; fluctus edit, continuus pręterea, & æqualis: quilibet enim ventus, semper ijs, qui in vicino sunt, eiusmodi se habet: ijs verò, qui remotiora loca incolunt, & inæqualis, & distractus, & non continuus. Harum igitur affectionum cõmemoratæ caussæ arbitrandæ sunt, quas etiam manifestas ac illustres, in aliis minoribus locis apparere, minoriq; inter se di-
Tex. 9. siunctis interuallo perspicuum est. At enimuerò hoc præter rationem esse videtur, Austrum propriis locis perpetuò serenum esse; Aquilonem verò, si

rò, si per hyemem magnus spiret, proximis locis nubilum, extra verò serenum: profectò caussa est, quoniam Aquilo, ob magnitudinem multum aeris mouet, quem occupat, & indurat priusq; expellat, congelatæ verò nubes manent ob grauitatem; extra autem, locisq; remotioribus, magnitudine potius, quàm frigiditate viget, qua illud operatur. Cæterum Auster, cum pauciorem materiam habeat, nec eam indurare possit, sed depellat, serenitatem in vicino affert; ijs autem, qui longius incolunt, quoniam magnus spirat, pluuium semper magis se præbet, atque desinens potius, quàm incipiens: quia cum incipit pauciorem, cum verò progressus fuerit, maiorem aeris copiam depellat, qui in hunc modum collectus, nubilus efficitur, atque densatus, pluuius redditur: à minori autem, vel maiori principio initium ducere, non parum differt; quandoquidem; si principium paruum fuerit, serenus Auster erit, si verò magnum, eò quod plus aeris compellat, nubilus, & pluuius. Quod autem, oris terræ Ægipti maritimis (vt nonnulli aiunt) Auster non tanto ab eis seiunctus interuallo, quantum est diei, ac noctis curriculum non afflat, super Memphim verò illustris spirat (qui, pariter addunt, etsi tantum distet Auster à Memphi, haud quaquam

Tex. 10.

Tex. 11.

quamquam hoc verum esse, sed forsitan minorem spirare) hæc caussa censenda est: quoniam Ægyptus terra inferiores partes cauas habet, vt in hunc modum eas Auster supergredi intactas possit, superiores verò eminentes magis; enimuero spiritus, qui propius spirat, magnitudinem requirit: hæc enim similia à locis ipsis petenda sunt, ac si naturam inde nanciscantur; nam ob easdem caussas, (vt paulo ante dictum est) & nubili, & sereni, ijdem esse conspiciuntur.

Tex. 12. Aquilonem præterea post Austrum spirare, sed non Austrum post Aquilonem; hoc sane ad illam caussam referendum est, quæ vtrosq; spiritus ad sua partitur loca: siquidem nobis hoc contingit, & omnibus prorsus illis, qui sub vrsa incolunt; ijs autem, qui meridiem versus, contrario modo. verum caussa ambobus eadem est, nobis enim Aquilo, illis verò Auster proximus est: quamobrem statim cum incipiunt sensum mouent, remotiora autem loca tarde penetrat.

Tex. 13. Cum autem plurimi sint (vt dictū est) tum Aquilonij, tum Australes spiritus, vtrisq;, quibus temporibus potissimum spirent, quasi ordo quidam inest cum ratione, vsq; dum cessent. Porro autem Australibus per hyemem, ac ineunte vere, atq; autumno cessante; quandoquidem solis lationes vtrisq; simul opitulari, ac

eodem

eodem tempore nequeunt, Australiumq; redditus fit, tanquam reciprocante aere, vbi sol per hyemē à nobis recesserit. Aquilones enim, & plurimi, & frequentissimi, antea per æstatem spirant, ab Etesiarum, atq; spirituum illorum ortu, qui eos proximè antecedunt; vere rursus ineunte in his locis redeunt, atq; cessante autumno, ac circa Pleiadum occasum proportio seruatur eadem. Vnde, & illud ortum habet, quod multi admirari solent, nec vlla dignum est mehercle admiratione; cur Aquilones Etesiæ fiant, Austri verò non fiant. Constat enim Austros, qui veris initio spirant, veluti quosdam Etesias esse, quos Leuconotos appellant, sereni enim sunt, atque nullas prorsus nubes colligunt, sed quoniam longè à nobis distant, latent, cum alioqui Boreas nos statim occupet. Etesiæ autem cur sua natura id habeant vt statis temporibus, ac per decreta dierum spatia spirent, & desinente die desinant, noctuque non sentiantur ab iisdem ferè caussis pendet: videlicet, quia spiratio ipsorum ob niuium liquationem efficitur. vbi igitur sol glaciem resoluere inceperit, ac vincere, Prodromi exoriuntur, deinde verò Etesiæ. Quod verò sole ad occasum vergente cessent, noctuq; non spirent; caussa est, propterea quod eo occidente, nix liquari desinat, & noctu cum

Tex. 14. (margin, beside "occasum proportio seruatur eadem. Vnde, & il-")

Tex. 15. (margin, beside "cum alioqui Boreas nos statim occupet. Etesiæ")

iam

iam occidit, non amplius colliquescat, quamquam interdum per noctem quoq; flare solent, vbi copiosiorem liquationem effici contigerit: quandoquidem huius inæqualitatis caussa hæc censenda est. Interdum enim magni, & continui, interdum verò minores, ac per interualla spirant, quoniam inęquales efficiuntur liquationes; etenim ventorum motio, & latio, pro materiæ ratione fieri solet. Eiusmodi verò inæqualitatem, cùm loca ipsa per se sortiri, tùm quod propius, vel remotius collocata sint, tùm ob alias
Tex. 16. huiusmodi differentias, vsu venit. Quod si vera sunt ea, quæ ab alijs multis dicuntur, atq; ab ipsimet Cretæ incolis, (videlicet, maiores his temporibus, locis illis tempestates cooriri, plurimasq; niues; cuius rei signum esse aiunt euidentissimum, quod superiori ætate, & montes ipsi incolerentur, & inde ferrum, & fructus, arborumq; copia, consita regione ac omni ex parte culta elicerentur; etenim, & in Idæis montibus, ac alijs multis, valde magni campi reperiuntur, quibus impræsentiarum nullus adhibetur cultus ob sterilitatem, tunc autem, vt dictum est, incolebantur, atq; idcircò insula hominibus referta visebatur: pluuijs sanè, temporibus illis, contingentibus, niuibus auté multis, ac tempestatibus nequaquam

quam

quam) si inquam hæc veritatem habent, necessarium profectò erit, Etesias plures esse, quod si aliquando visi sunt deficere, atque Aristæus (vt fabulantur) Ioui sacra faciens, in Cœo illos euocauit, hyberna profectò tempora imbribus madida fuerint, niuium verò prorsus expertia. Porrò autem si hæ niues, ac tempestates aliquam sortiri differentiam videntur, pacemq; inire aliquando, ac feriari; siue hoc cum ordine contingat, siue nõ, ijsdem quoq; temporibus spirituum cessatio, & mutatio erit: absurdum autem videretur, si, & hi, qui meridiana loca incolunt, eiusmodi per annũ adiumento orbati essent: locus enim ille multo est vrentior, quod certè, vel ex eò manifestum est, quia illorum, alij fructus accelerant, alij verò eorũ producendorum sunt expertes. Sed, & illud Tex. 17.
animaduersione eget, nam si spirituum omnium eadem est, atq; ab ijsdem generatio, non vtique forsan verum erit, vniuersaliter asserere, eò quod sol aliquid è terra excipiat, sursumq; ducat, eosdẽ gigni, sed exalationem ipsam caussam esse, solem verò concaussam. Sol autem videtur, & moue- Tex. 18.
re spiritus cum oritur, & sedare; atq; hæc caussa est, cur frequenter augeri soleant, & comprimi, quod tamen non vniuersaliter verum esse apparet, sed in quibus contingit, hac de caussa contingere

arbitrandum est: cum enim qui ascendit humor exiguus fuerit, hunc sol vincens absumit, & exsiccat, ac cessare facit; at si eius copia amplior fuerit, impetum affert, ac motionem vehementiorem reddit: interdum autem, eò occidente ventus cessat, propterea quod motionem, quam tradidit aufert. Porrò, & eiusmodi exalationem perspicuum est, eam sortiri moderationem opportere, vt nec
Tex. 19. absumi, nec diu ex se ipsa moueri valeat. Iam verò sole ad occasum labente, nil prohibet ventos quosdam nihilo magis spirare, veluti hi, qui calore detinentur, & quasi exsiccantur, atq; deuruntur. hac nanq; de caussa, in meridie præsertim, cessare venti solent; cum autem iam aduesperascit rursus exoriri, ac magis flare. hæc ipsa autem, &
2.T luna facit, nisi quòd, non modo eodem; est enim veluti sol imbecillus, & propterea noctes in plenilunijs calidiores sunt, ac in nouilunijs frigidiores. Contingit igitur interdum cum sol oritur spiritus gigni, interdum autem deficere; similiq; modo cum occidit, aliquando eos sedare, aliquan-
3.T do emittere solet. Cæterum si hosce interdum spiritus, per accidens exoriri eueniat; quemadmodum & hi, qui orientibus, & occidentibus astris, oriuntur, suo loco considerandum est.
Tex. 20. Ob eandem etiam ferè caussam, nocte media præsertim,

fertim ; & meridie flatus cessare solent : euenit enim interdum quidem vincere, interdum verò vinci aerem eiusmodi; vincere sanè dimidiata nocte, quia sol tunc longissimè abest, meridie verò vinci, quoniam tunc proximus est: cum autem superat, ac superatur, quiescit, & manet: at aeris statio tranquillitas est. spirituum verò cessationes secundum rationem fieri accidit; siquidem, vel ortu solis, vel obitu incipiunt: cessat autem, qui ortu cœperit, cum victus aer fuerit, qui sanè in meridie vincitur; qui verò vespere, cum superans aer eum comprimit, quod noctis medio efficitur. Quod autem nonnulli ceu absurdum mirantur, Tex. 21. ventos qui à solis motione, atq; simpliciter à calore fiunt, frigidos esse, falsò id eis absurdum videtur: neq; enim simpliciter, hoc soli, & calori attribuendum est, sed tanquam caussæ adiuuanti; neq; omnino, quæ à calore prouenit motio, calida est, ac vrens, sed si modo quodam fiat. nam si vniuersa quidem illabatur; etsi, ei qui emittit, proxima fuerit, calida; sin autem paulatim, ac per angustum aliquem locum transierit, ipsa quidem calida erit, aer verò, qui ab ea mouetur, qualis ipse fuerit, talem præstabit, & motionem. Idoneum autem exemplum est spiritus ex ore emissus, Tex. 22. quem calidum, & frigidum esse inquiunt, à vero

aberrantes, est enim semper quidem calidus, sed emissione, & eiectione differt: si namq; hiante ore vniuersum emittamus, calidus erit, si verò per angustum latus, sibi proximum aerem impellat, atq; ille sibi continuum, qui sit frigidus, & spiratio, & motio frigida erit. Porrò autem, hoc idem ventis contingit, quandoquidem, si prima motio per angustum venerit; quamquã, qui primus ab ea mouetur aer, non sit frigidus, quemadmodum proximus alter, ab hoc motus, ad caliditatem frigiditatemuè se habere contigerit, talis, & ventus erit: nam si frigidus erit aer, & ventus etiam talis; si verò calidus, ventus quoq; calidus erit. Atq; hac de caussa, hyeme quidem frigidi, æstate verò calidi venti sentiuntur, vtroq; enim tempore sese
Tex. 13 talem aer præbet. Manifestum est hoc, vbi locus
* ob caliditatem ignitũ aerem nactus fuerit: si enim vbi ventus pertransit, ibi locus igneus sit, siue calidus, siue frigidus antea ventus flauerit; nihilominus hanc, quam aer sortitus est differentiam, semper redolebit, atq; in ijsdem locis, ac etiam proximis spiratio calida erit; quamquam si longius progreditur, non similiter se habet. cæterum, & quandoq; ventus aliunde irruens, si ex locis venerit vrentibus, & quæ aerem crassum habeant, caliditate summa affectus, maximeq; ea excellens

sen-

sentietur. Proinde, viatores quidem, & messores, sæpenumero ab eiusmodi ventis, in campestribus locis, & ab æstu suffocatis interimuntur: partim quidem eodem cooperante aere, qui præexistit, partim verò diuerso, ob spirationem, & vehementem impulsionem. Quod autem ipse aer, neq; à semetipso motus, neq; à calore superatus, eiusmodi feratur latione, inde perspicuũ est; si .n. à seipso moueretur, quia sua natura frigidus sit, & multo vapore præditus, deorsum ferri deberet, si verò à calore, sursum; ignis enim latio secundum naturam talis est: nunc autem veluti ex ambobus mixta ventorum motio est, quia neutrum superet. Hoc quidem igitur commune est vniuersaliter omnibus, qualisnam fuerit per singula loca aer, vel exalatio, tales, & spiritus, ad frigiditatem se habere: quæ res, satis inde comprobatur, quod quicumq; spiritus ex fluuijs, vel paludibus spirant, omnes ob aeris frigiditatem, frigidos esse apparet: infrigidatur enim vapor, cum sol longius abesse incipiat, & vna crassior redditur, quòd sanè idem accidit, si etiam sol propius absit; quamobrem, cum incursant eiusmodi spiritus, ac irruunt, quasi inspersionẽ quãdã corporibus fieri contingit; atq; ob id nonnulla sæpenumero loca, quæ, alioqui concaua, ab externorum spirituum iniuria tecta fuerint,

Tex. 24.

Tex. 25.

fuerint, atq; munita; nihilominus à vernaculis frigida redduntur. Quod enim sursum ductum est à sole, cum nec manere sua natura sit aptum, nec possit; fertur, ac locis illis spirationem efficit, quibus, mane à fluuijs, & paludibus, infrigidato ob caloris inopiam vapore, auræ, ac ipsi demum Apogæi idest abterranei flatus spirare solent: tempore enim illo hanc effici spirationem rationi consentaneum est; tùm ob alia multa, tùm præsertim ob tranquillitatem: atq; cum guttæ, ac moderati imbres cadunt, magis spirant, noua enim tunc temporis vndique fit vaporum accessio, & exinde etiā abterranei flatus magis fiunt. At enimuero à Nilo tantum, vel nullæ videntur spirare auræ; vel exiguæ; eò quod locus, ex quo, & ad quem fluunt, calidus est; ipsę verò auræ non nisi densato humore exoriantur. quamobrem nec ab vllo illorum fluuiorum, qui Lybiæ ora irrigant, cum omnes calidi sint, auras ipsas flare scimus: quod & inde etiam perspicuum est, quoniam nec ab illis, qui circa Babyloniam, & Susam sunt, nec prorsus à locis vllis ignitis, ac vrentibus: quamquam admirabiliter refrigerari aerem prædicant, cum iam dies instat, quod profectò dignum est animaduersione: nam forsitam, refrigeratur quidem, sed longiùs progredi non valet, ac auras gignere, cum

Tex. 26.

27

vren-

vrentia statim loca ingrediatur. Cæterum ab Tex.17.
eiusmodi auris, ac abterraneis flatibus, humido aere coaceruato, Tropæ gignuntur: est enim Tropæa veluti quædam de sinibus, vt appellant, spiritus reciprocatio, eo sane modo, quo in aquarum euripis contingit. Cum enim multus aer collectus fuerit, mutatur rursus in contrarium. eiusmodi autem hæc in locis concauis, ac vbi Apogæ spirant; præsertim locum habent, atq; ambo cu ratione; siquidem in locis cauis aer irruens coaceruatur, in apertis enim diffunditur. Apogæorum autem spirituum imbecilla est natura, vt impetum præterea longius efficere nequeant; atq; ipsa quidem reciprocatio, quibus locis Apogæ spirant, & multitudini illorum, & magnitudini proportione respondet; iisdemq; similiter temporibus accidit, tanquam tardior Tropæa, tardiorem Apogæam insequatur; vel magis tempestiua, magis tempestiuam. Efficitur autem, & Tex.18.
quædam ventorum reflexio, vt ad initia reflare videantur, cum iuxta eminentiora loca spirantes, illa superare nequeunt; quamobrem, & alicubi nubes aduerso à ventis itinere feruntur: quod in Lyncistidæ Macedoniæ contingit, cum Borea aduersus Boream spirat, caussa autem est, quoniam, cum montes circa Olympum, & Ossam eminentes

sint,

ſint, ac flatus, qui irruunt eos ſupergredi non valeant, in contrarium reflectuntur, atq; idcircò nubes, quæ ſitum obtinent inferiorẽ, contrario modo impellunt; quod etiam alijs in locis accidit. Alicubi verò, & ſpirantibus Eteſijs contrarius, Boreę ipſi, flatus ob circumflexionem efficitur, vt naues ipſæ recurrere videantur, quemadmodum in tranſitu ex Chalcide ad Oropum contingit; quos ſanè flatus, redeuntes Boreas appellant: ſolet autem hoc ferè euenire, cum venti illuſtres admodum ac ingentes ſpirant; tunc enim ſe longiſſimè porrigere valent, quod multitudo adſit exalationum, quæ repellitur. Alicubi etiam accidit ventum, ſi in aliquid impingat, ſcindi, ac diuelli, vt, quaſi ab vno ac eodem fonte aqua, partim huc, partim
Tex. 29. verò illuc fluat. Omnino autem, loca multas efficiunt ſpirituum mutationes, illaſq; præſertim, quæ ad vehementiorem eorum, ac remiſſiorem pertinent ſpirationem; quemadmodum ſi per anguſtum, minimèq; apertum locum ſpirent: vehementior enim ſemper, & illuſtris magis ſpiritus ille euadit, qui per anguſtum, veluti aquæ fluentum, tranſit: coaceruatus enim magis vi ſua compellit, ac detrudit; quamobrem, & ſi in alijs locis venti ſileant, in anguſtis tamen perpetuò ſpirant. Aer enim, ob copiam ampliorem, manere

non

non poteſt; huius verò motio ventus eſt: vnde, & in viarum anguſtijs, ſi claudantur ſpiritus, ac incidant, illuſtres ſpirant, & ingentes. Hinc Pylarum oſtia attrahunt ſemper, ac reddunt ſpirationẽ; horũ enim omniũ, & ſimiliũ vna, & eadem eſt commemorata cauſſa. Rurſus nonnulla loca, Tex. 30. quia concaua ſint, atq; ab eminentioribus contineantur, & ſi ventorum principijs quam proxima fuerint, ab omni tamen flatu ſilent; quæ verò longius abſunt, vi eorumdem agitantur: quemadmodum circa Theſſaliam, ac Macedoniam ſpirantibus Eteſijs contingit; ferè enim locis illis non ſentiuntur. in inſulis verò, quæ longè diſtant, illuſtres ſpirant, cauſſa autem eſt, quoniam regiones illæ concauæ ſunt, ac tectæ; Eteſiarum verò latio, quin inſulas ipſas inuadat, à nihilo impeditur. eiuſmodi autem vẽti, & cæteri prorſus omnes, ſpirare prohibentur: vel quia longius abſunt, remotiora enim loca attingere nequeunt ob diſtantiam; vel quia obice quodam aditus illis intercludatur; vel tertio ſi vernaculus ventus, ac indigena aduerſus ſpiret, ac vincat. Iam verò quo Tex. 31. tempore contingit Eteſias circa Macedoniam ceſſare, & Tropæam ſpirare, hoc veluti accidens ponendum eſt; vbiq; enim in meridie venti ob ſolis calorem deficiunt, cum autem aduesperaſcit,

rursus excitantur. eodem verò tempore accidit spirantibus abterraneis auris, ac Etesijs, cessare rursus Tropæam. Etesiarum enim reflexio ab Olympo, & Ossa caussanda non est quam nec etiam rudes planè homines adducerent: eiusmodi igitur accidentia tendandum est, suis locis assi-
Tex. 32 gnare. Sed; & illud videbitur absurdum, & à ratione alienum, quod eminentium locorum, quæ ventis exposita sunt, omnia sunt tranquilla, quæ autem à ventis protecta sunt, flatibus agitātur; nec sanè moderate, sed vehementer: vt in Plateis, quæ in Bęotiæ parte ad Aquilonem vergente collocatæ sunt, Aquilo quidem tranquillus, Auster verò magnus, (quamq; Cithæron interiectus est) ac hybernus perflat: rursumq; in Cœla Eubœæ, spirantibus Etesijs, Tropææ leuiter, & quasi prætercurrendo loca illa attingunt; in Catysto autem, tam magnæ spirant, vt inusitatis viribus esse vi-
* deantur. Præterea, & in Phœnicæ Lampei Cretæ insulæ loco, qui ad austrum collocatus est, eminenti sanè, ac in rupis modum abscisso, admira-
* biles quidam fluctus excitari solent: spiritus autē non sunt, sed naues tamen, portubus etiam proximis, ad loca importuosa propelluntur; similiaq;
Tex. 33. eiusmodi accidentia animaduertere licet. Cur autem flatus ad terram non perueniat, caussa est,

quoniam

quoniam aer non ſubducitur, nec fluit; quod ſanè contingit, quia ſpiritus verticem, quem ante ſe habet, ſuperare nequit. Quod verò aerem perpetuò ſubduci opporteat, nec manere, vel ex eo perſpicuum; ſi quis enim ædium portas clauſerit, minus per feneſtras ſpiratio fertur; ſiquidem cum plenus ſit aer, nec ſe ſubducat, intus externũ aerẽ non admittit; ad vacuum enim latio proficiſcitur: quamobrem aerem ipſum trahere, non rectè dictum eſt. loca autem, quæ ad Aquilonem expoſita ſunt, & prorſus eorum, quæ ventis ſunt obnoxia, tecta loca, magis idcircò ſpiritibus perturbantur: quia contingit ad ſummitatem montiũ coaceruatũ ſpiritum ſuperfundi, ac ſupramodum exreſcere, & ſimul totum eiuſmodi tecta loca inuadere: quatenus enim magno cum pondere ingruit, ac impetum facit, eatenus vere ſimul totus erũpit, atq; procellæ in eiuſmodi locis fiunt; enimuerò ſpiritus ibi conglobatio efficitur, & coaceruatio: quamobrem, & quaſi ictum facit, quoniam cum impetu proficiſcitur: magnam enim vim habet ſpiritus, qui ſimul totus, & continuus erumpit, quemadmodum in Typhonibus euenire videmus. Quæ igitur affectiones locorum ratione ſpiritibus inſunt, hæ, ac eiuſmodi tales ſunt, & ſanè multæ, etiam aliæ pleriſq; in locis eueniunt;

de quarum singulis dicere historiæ munus est.
Tex. 34. Sunt autem, & alia nonnulla ventis omnibus communia, veluti quæcunq; eos futuros nunciant: siquidem aer si alterationem passus, densus, & rarus reddatur; aut calidus, & frigidus, vel eiusmodi alia dispositione afficiatur; semper mox futurã demonstrat spirationem. Similes enim fiunt in aere affectiones, quæ, antequam ventos ipsos per-
Tex. 35. cipiamus, nostrum mouent sensum. Eodem pacto, & de mari, aquisq; ipsis similia signa sumere licet. Fluctus namq;, qui prius eueniunt, ac erumpunt, ventos præferunt, vice enim successiua fluctus propelluntur: spiritus autem non continenter, sed paulatim propellit; propulsus autem fluctus, alium propellit, & hic alium adhuc; qui, & rursus ab alia motus est spiratione, cum prior emarcuetit; proinde in hunc modũ mare propulsum appropinquat: atqui cum iam adest, quod mouetur, & propellitur, palam fit mouentem, & propellentem aduentare. Iam uerò, & posteriores ventis fluctus esse accidit; posterius autem dissoluuntur, & cessant, suasq; vires remittunt, quia motu difficillimum sit mare,
Tex. 36. vixq; sedari, & cohiberi possit. Sunt etiam, & eiusmodi signa plurimis ventis communia, veluti discurrentium astrorum, atq; Coronæ, ac Parheliorum

liorũ apparitiones, tabefactiones, & fracturæ, etsi quę alia huius generis reperiuntur: prius enim supernus affectus aer naturam spiritus prænunciat. Porrò autem, & in fine venti magni sunt, hoc namq; pluribus commune est; vbi enim vniuersi simul afflarint, quod relinquitur illorum, exiguum ac debile spirat; eiusmodi igitur hæc sunt, quę, vt diximus, ventorum essentię quodammodo sunt communia. Sunt autem, quædam peculiares potestates, quas singuli à natura ipsorum, & positione habent: quarum aliæ quidem iuxta loca per quæ, & ad quæ spirant; aliæ verò iuxta principia, à quibus proficiscuntur, atq; demum aliæ eiusmodi alijs distinguntur. cæterum singulares maximè esse conspiciuntur, vt vno verbo dicam, quæ ad Cæciam, ac Fauonium pertinent; siquidẽ vnus Cæcias nubes ad se vocat, quemadmodum, & prouerbium declarat, ad se trahens, vt Cæcias nubes. Fauonius verò, ventorum omnium lenissimus est, ac vespertinus spirat, & terram attingit; frigidusq; duobus tantum anni temporibus, vere, ac autumno flare solet. plerisq; autem in locis hyemalis afflat; vnde, & Poeta molestum, & grauiter spirantem illum appellauit; plerisq; verò alijs moderatus, ac lenis: quamobrem, & Philoxenus suauem spirationem ipsum habere dixit; alijs Tex. 37.

enim

enim locis nutrimentum affert, alijs verò, ne illud capiant impedimento est, ac prorsus corruptionis
Tex. 38. est caussa. Quod autem ad Cæciam spectat, caussa est, quoniam hic spiritus suapte natura circulari linea fertur; cuius sanè cauum, cœlum versus erigit, non ad terram, quemadmodum alij venti, resupinat, eo quia ex infimo loco in superum fertur; suam autem repetens originem, in hunc modum nubes ad se ducit; quò enim spiratio tendit,
Tex. 39. eò feruntur, & nubes. Fauonius autem frigidus est, quia de occasu ex mari, campisq; apertissimis spirat, atq; verè post hyemem, sole adeò nuper redeunte; autumnoq; rursus, cum sol amplius non viget, minus autem quam Aquilo frigidus est; quoniam aqua in flatum abeunte, non niue spirat: continuus verò non afflat, propterea quod materia, quæ vertitur in spiritum non superatur: neq; enim tanquam è terra materiam excipit, sed errabundè, quoniam de humido procedit. atq; eadē de caussa æquabilis est; non enim ex montibus, neque niue per vim liquescente, sed tanquam per fauces expedite profunditur: siquidem loca, quæ ad Aquilonem, & Austrū vergunt montuosa sunt; occasum verò versus, nullus mons, nulla terra, est, sed Atlanticum mare spatiatur; quamobrem, &
Tex. 40. maximè terram attingit. Horis verò post meri-

dia-

dianis afflat loci ipsius ratione, spiritus enim omnes sole humorem diffundente, vel secernente proueniunt, vel certè ad principium ipsum cooperante; cum igitur ad locum illum accedit, meritò Fauonium excitat; atq; noctu quiescit, quoniam tunc solis motio deest: nubes autem maximas agit, quoniam ex pelago, & iuxta mare spirat: vt hac de caussa ex multo illo humore nubes ampliores colligere valeat. Porrò autem hybernus, ac molestus afflat, quoniam post hyemem (quod, & antea dictum est) quo tempore aer adhuc frigidus est, spirat: quandoquidem, & autumnalis Fauonius, talis non est; nisi, quod dicimus hybernum, ac brumale, secundum magnitudinem accipiamus: nam si proximis locis magnus Fauonius spirat, quemadmodum, & alij venti solent; accipi fortasse hoc significato hybernum poterit, vt in hunc modum reliquis etiam omnibus conueniat. At enimuerò cum æquabilis, ac lenis spirat gratum se reddere suo motu videtur: quamobrem, & quo loco, talem se præbet, ibi gratissimus sentitur, nisi tamen variet: ex quo, & illi nomen imponunt χειμάσιζέφυρον cū appellantes; ita enim hybernus afflat, sed hæc alio loco consideranda sunt. Illud autem vniuersaliter affirmare verum est; alios quidem fructus Fauonium nutrire, alios verò cor- Tex. 41.

rum-

rumpere: quod alijs etiam ventis commune est; quoniam nutrit quidem, vbi frigidus per æstatem afflat, perdit autem vbi calidus spirat: & rursus hyeme, & vere simili modo res contingit; vbi quidem frigidus interimit, vbi calidus nutrit: demum tunc seruat, cum spirat temporibus anni contrarius; quod sanè contingit, cum ex mari proficiscitur. mare namq; per hyemem calidum est, per æstatem verò frigidum. hac autem de caussa, quibusdam in locis Auster se talem præbet, veluti in Argo: & Aquilo apud alios: quod igitur simpliciter, & communiter Fauonio inest,
Tex.42. vt diximus, tale est. Quæ autem ratione singulorum locorum ei conueniant, ex ipsorum positione, & alijs, quæ ei contingunt, elicere opportebit, & contemplari. in eiusmodi enim caussis ferè differentiam inuenies, veluti in Italia quidem, Locrensi agro, & locis proximis salubris Fauonius spirat, cum ex mari illis adueniat; quod quibusdam alteris regionibus non euenit; sed, & nonnullis alijs nocet; rursusq; Cretæ oris, quæ circa Gortynam sunt, nutrimentum affert: in aperto enim sunt collocatæ, eatq; ex pelago Fauonius adoritur; nonnullis verò alijs damnum, in quas ex terra, & montibus irruit. corrumpit autem in Maliaco omnia, tùm annua, tùm arbores, atq; in Thes-

in Thessalia circa Pierium; amborum enim locorum eadem est natura: & ea quæ continent similiter se habent, siquidem regiones ambæ ad ortum collocatæ sunt, & montibus altis circundātur; illa quidem Oeta, & sequentibus, hæc verò Pierio; Fauonius autem spirans ab æquinoctiali occasu, reflexum à montibus illis calorem à sole emanantem, in campestria illa loca deijcit, & omnia deurit: atq; alijs pariter in locis, hoc idem contingit, quæ tale aliquid, vel consimile patiuntur; & contrarijs locis contrarium rursum accidit. hoc enim prorsus verum est, quod à nobis etiam est sæpius inculcatum; loca per quæ venti transeunt, & à quibus exoriuntur maximi esse momenti tum ad alia multa, tum ad eorum caliditatem, & frigiditatem. Ob id enim Auster interdum frigidus est, atq; vt prouerbium ait, non minus quàm Boreas, vbi per aerem à tempestate aliqua infrigidatum, & humidum præterea, pertranseat. nam qualis est aer, talem se præbere spirationem necesse est. Atq; Aquilo si lutum offenderit, vt rursus in prouerbio est, hybernum tempus efficit ob eandem caussam: madefactus enim aer, frigidus est: similiter autem, & auræ, quæ ex fluuijs exoriuntur, vt antea dictum est; igitur horum proprietas, rationem aliquam habet. Iam verò quod Tex. 43. Tex. 44.

quod tempore hyberno, ſpiritus de ortu, & mane ſpirare ſoleant; æſtiuo autem de occaſu, & veſperè, ea de cauſſa fieri arbitrandum eſt; nimirum quia ſol attrahens non amplius euincat, relictus enim aer profluit; cum igitur nobis occidit, nubes relinquit, ex quibus Fauonij gignuntur: quatenus autem illis, qui inferius hemiſphærium incolunt, exoritur; ſpiritus matutinos ijſdem adducit: contra verò, cum parti inferiori occidit, Fauonios quidem illis producit, nobis autem, ex aere qui eum ſequitur, ſpiritus exortiuos; propterea ſi flantem aliquem ventum offenderit, maiorem reddit, quod nonnihil adiunxerit. Verum quemadmodum Fauonius nobis ab occaſu ſpirat; ita, & incolis inferioris hemiſphær:j à parte noſtra exortiua gignitur, illorum autem occaſus, ſpiritus alios nobis producit; ex quo, & illud efficitur, vt contrario modo apud ambas partes, vel etiam extremas ſingulorum ſpiratio cõtingat, veluti aquæ, & huius generis alia, non ſanè per accidens; ſed tamen non exactè, verum vt plurimum. Quod
Tex. 45. autem cane oriente flare Auſter ſoleat, atq; hoc veluti aliquid aliud, quod ordinem habeat. cauſſa eſt, quoniã inferiores orbis partes ſole remoto calidę ſunt, vt idcircò multus excernatur vapor, & ſanè plurimi Auſtri flarẽt, niſi ab Eteſijs prohiberẽtur.

tur. Aquilones verò nocturni tertia die cessant; Tex.46.
vnde,& prouerbium: Tertia lux numquã nocturno Aquilone laborat: propterea quod, spiritus omnes, qui noctu ab vrsa exoriuntur, sunt imbecilles; manifestum est enim, quò tempore exorti sunt, non multum aeris esse motum, cum modicus vigeret calor: modicus enim calor modicũ aerem mouet. singulis autẽ trinis diebus, omnes cessare solent, sed debiles in prima triade. Cæterum, Tex.47.
quod non idem de Austro contingat, si noctu exoriatur, & spiret, caussa est, quoniam sol tunc australi regioni propinquus est, & noctes ibi calidiores sunt, quàm dies ad septemtriones: quamobrem, & multus mouetur aer, & nihilo minus quàm interdiu: sed, cum dies calidiores sint, ab sumẽdo humores, prohibẽt ne magis tunc spirẽt. Quin etiã, & breuis, compendiosaq; Boreæ illius Tex.48.
spiratio est, quoniã confertim modo procellarum effunditur. cessatio, namq; eiusmodi spirituũ, qui confertim effundũtur breuis esse solet; cũ magnitudinis principiũ sit imbecille, ac spiratio semper prorsus ingens. Post niuem autem, & pruinam spirat Auster; vnde, & prouerbium, spirat Auster Tex.49.
post pruinam: quoniam, & niues, & pruina concoctione facta, & purgatione, cadũt: post concoctionẽ verò, & purgationem mutatio in cõtrariũ fieri

ſoleat Aquiloni autem contrarius Auſter eſt, atq; ob eamdem cauſſam poſt pluuias, & grandines, ac eiuſmodi aliquas tempeſtates ſæpenumero vẽti ceſſant: hęc enim omnia, & ſimilia concoctiones
Tex. 50. ſunt quædam, & purgationes. Quoniam autem ſinguli venti loca habent peculiaria, & regiones, quibus ſerenitates afferant, & nubes; idcirco quorum in prouerbijs mentio quædam eſt, ijdem
* quatenus loca quædam reſpiciunt, commemorantur. quamobrem Argeſte, & Africo præſertim vtuntur; circa Gnidum enim, & Rhodum ventus Africus modo quidem aerem nubilum reddit, modo verò ſerenum: at Argeſtes nubibus omnia tegit. Africus namq; locis illis ambarum affectionum cauſſa eſt, quoniam à conſimili principio ſpirat, Argeſtes verò ſtatim Cœlum denſat.
Tex. 51. Alicubi autem veluti ordinem quẽdam ſpirituum fieri apparet; vt alter poſt alterum ſpiret, & aliquandiù permaneat: quod nullatenus forſan abſurdum eſt. Siquidem ventorum circuitus ſemper fiunt in eos, qui conſequenter ſe habent, atq; eorũ mutationes in contrarios; hos enim habent duos venti mutationis modos; nimirum, vel in circuitum, vel in aduerſos prorſus ceſſantes à ſpiratione; quorum mutatio, illa quæ per gyrationem eſt. in eos qui hærent efficitur: quàm proximus

mus enim eſt ipſæ tranſitus, in quo, & ſæpenumero reuerſio fit ad eoſdem, & reciprocatio, vbi temporibus hybernis indeterminatio aliqua cõtingat. quæ autem mutatio appellatur, in contrarios ſpiritus efficitur, vtq; in hunc modum mutentur, omnibus prorſus natura comparatum eſt; atq; in his etiam reditus, ac veluti refluxus non abs re efficitur, quod ab terraneis flatibus accidere videmus, ſi eos ad Tropæas comparabimus. cæterum pleriſq; in locis mutationis ordo diarius quoq; eſt. Alicubi autem Tropæa non eſt, quæ Tex. 52. reflat, ſed alius quidem maritimus ſpiritus; quemadmodum, & circa Pamphilicum ſinum contingit; mane enim Iris, qui à fluuio Iro nomen ſortitur, magnus ſpirat, & multus: huic autem ſuperueniunt, & afflant Auſter, & Eurus; vbi autem ſe viciſſim colliſerint, ingentes mari propulſo fluctus excitantur, ac Præſteres multi cadunt, à quibus nauigia plurima perduntur, omnino enim, cum hæc ventorum colliſio efficitur; & magni fluctus oriuntur, & tempeſtas valida: quaſi aduerſos viciſſim ſpirantes pugnare dicamus. quandoquidem, & illud fit ſecundum rationem, ſi contrarij ſpirent, nec ſtatim prorſus ceſſent, tempeſtates eos producere; alter enim alteri, quaſi materiam: præbet, ac importat. Hoc autem præſertim in Tex. 53. Aqui-

Aquilone perſpicuè apparet, tempeſtates enim maiores hic efficere ſolet, atq; oblatam ſibi materiam celeriter conglaciat; quemadmodum, & Auſter eandem reddere humidam ſolet, & aquoſam, quamquam ipſe Auſter, quibuſdam in locis niues gignere videtur, veluti in Ponto, & Helleſpōto, ſi Aquilo, ita frigidus euaſerit, vt materiam conglacians continere valeat; tum enim vel maximè maiorem illius partem gelu indurat, quàm in aquam diſſoluat: atq; eiuſmodi quidem veluti brumales, ac hyberni quidam ſunt afflatus, &
Tex. 54. colliſiones. Porrò autem Orionis exortu, & occaſu, inconſtantes maximè ſpiritus eſſe conſpiciuntur: quoniam natura comparatum eſt, vt omnia ſemper in mutationibus ſint indeterminata: Orion autem Oporæ initio exoritur, ineunte verò hyeme occidit; quamobrem, cum nullum adhuc tempus ſtabile, ac firmum ſit, quando hoc quidem incipiat, illud verò deſinat, neceſſe eſt ſpiritus indiſtinctos eſſe, atq; indiſcretos, vt potè qui ab vtriſq; temporibus ancipitem nanciſcantur naturam: vnde, & exoriens, & occumbens difficilis Orion nuncupatur ob temporis indeterminationem; neceſſarium eſt enim, turbulentum
Tex. 55. eſſe, & inæqualem. Hæc igitur, & eiuſmodi alia circa aërem, & cœlum vniuerſum contingunt:

Hæc

Hæc verò ad nostras referuntur dispositiones: veluti quod spirantibus Austris, grauiores homines, & imbecilliores sese redduntur: caussa autem est, quoniam humor liquescens ob calorem, ex paruo multus efficitur, humiditasq; spiritus antea leuis ingrauescit; præterea robur, & vis in articulis considet: quoniam hi sunt, qui mouent; at hi nimis humefacti, intendi prohibentur, Aquilonij verò spiritus eam efficiunt moderationem, vt plurimum articuli valeant, ac intendi possint. Atq; si rursus Austri sicci, & sine aquis spirauerint, febres inducunt: quoniam humorem in corporibus, & calorem excitant alienum, quippe qui natura calidi sint, & humidi. Cæterum, hæc dispositio febres gignit, cum febris ex vtriusq; horũ excessu oriatur; quod si cum aquis spirent, aqua nostri corporis habitum refrigerat: eadem autem ratio est singularum aliarum affectionum, quas corporibus nostris ambo hi flatus ingerunt: quãplurimæ enim hæ sunt, & in plures seiunctæ species, quarum omnium eædem, & pares caussæ adduci possunt. Et fructuum sanè, & aliorum eiusmodi eadem est ratio, omnia enim hæc, & si quæ alia sunt, quæ ad vtramq; coordinationem pertineant; in humiditatem, & dissolutionem; in densitatem, & concretionem reducuntur: & in

Tex. 56.

Tex. 57.

rebus

rebus anima carentibus eodē pacto se res habet, vt cordæ, quæ rumpuntur, ostendunt; & eorum crepitus, quæ pridie conglutinata, tunc remittuntur, & resoluuntur, & quæcunque alia circa ferri opificium humectatis sanè illis, & remissis contingere solent. plura enim commoueri prædicant, & erumpere spirantibus Austris, quàm Aquilonijs spiritibus, cuius rei caussa est; quoniam Aquilones siccant, & indurant Austri verò humida omnia reddunt, & madida; omne autem diffusum, & dissolutum ad sua munera obeunda minus est aptum, quàm obduratum; quod si Aquilones spirant, validiores omnia habent vires, & vehemen-
Tex. 58. tiores. Cæterum eiusmodi hæc, vt summatim dicam, manifestas habent ferè caussas, quippe quę ab vno, ac eodem principio; quod consequitur, proportione comparatum habent. Sed illud in ambobus dubitatione præsertim, ac inuestigatione dignum est: si dicamus contrarias affectiones non duritiem, non siccitatem, & densitatem Aquilonijs spiritibus conuenire, idemq; in Austris locum habere. ita enim quod præter rationem est, caussam quæret; quod verò secundum rationem, nullam habebit, ipsi autem concederent, vt qui maximè quod deest, addere valeant, ac supplere.
Tex. 59. At enimuerò quod venti siccant, cum frigidi sint,

& amplius, quàm sol, qui calidus est, & præsertim, qui frigidissimi sunt, ea de caussa fieri censendum est; quod vaporem euocant, eumdemq; abducunt, quod maximè efficiunt frigidissimi, sol autem eum relinquit. Sed cur dici solet à cænosa terra nequaquam hybernis temporibus nubes, vt ab ipso mari; æstiuis verò à nigra terra? An propterea quòd, per hyemem quidem calidum est mare; quamobrem si aliquid in eo constituitur, à validiori principio constitui perspicuum est; alioqui enim ob loci caliditatem dissolueretur: per æstatem verò mare quidem frigidum, omnesq; maritimi spiritus, terra autem calida. itaq; si quid ab ipsa terra educitur, à maiori principio constituitur; quandoquidem, si imbecillum esset, dissolueretur. Quod vero aiunt Austrum in Ægipto splendidum non spirare, nec diei, ac noctis cursu ab eo distare, falsum est. Porrò autem cœlum præsertim densant Aquilo, & Argestes; Auster verò materiam affert, atq; mane, donec sol sese attollat, nubilum reddit, ac densum, pluuias autem non gignit, quia non adest locus, in quo nubes consideant. Auster rursus, ac Eurus, & quicunq; spiritus à meridie veniunt, mane quidem spirare incipiunt, atq; vnà cum sole desinunt. Aquilo verò è contra, & Argestes ab vespera ad

Tex. 63. mane. Iam verò in Sicilia Cataporthmiam Cæciam non appellant, sed Subsolanum; nonnullis autem non esse idem, videtur, sed differre: quoniam ille quidem cœlum densat, hic verò non; Argestem verò alij Scirona nominant. Sed qui Siciliam incolunt Iapygam, Subsolanum autem Hellespontiam, Cabam autem Phœnices, Berecyntiam demum in Ponto.

***
*



THEO-



THEOPHRASTI LIBELLVS

DE PLVVIARVM SIGNIS.





LVVIARVM, ventorumq; signa; tempestatum, ac tranquillitatis, pro virili scribere impræsentia aggredimur; quorum alia nosmetipsi obseruauimus, alia verò ex probatis auctoribus accepimus. Ea igitur signa, quæ ab orientibus astris, & occidentibus pendent, ex astrologicis monimentis petenda sunt: porrò occasus duplices inueniuntur; enimuerò, & occultationes occasus sunt, fit auté occultatio, cum astrum vnà cum sole occidit; & quãdo sole exoriente astrum identidem occumbit, dicitur occidere: simili modo duplices sunt exortus; hi quidem matutini, cum sydera ortũ solis

anteuertunt, hi verò vespertini, vbi simul cum labente sole oriuntur. Porrò autem Arcturi exortus, vtroq; modo accipiuntur; nam qui hyemè fit, vespertinus est, qui verò autumno matutinus: reliquorum autem illustrium syderum exortus, vt plurimum matutini obseruantur, vt Vergiliarum, Canis, & Orionis. Iam verò aliorum signorum, nonnulla quidem totius cuiusdam regionis propria sunt, in qua alti montes, & valles reperiuntur; ac præsertim si montes aliqui mari fuerint proximi: ventis nanque incipientibus, nubes in eiusmodi loca incursant, & si flatus mutantur in contrarios; contrariã etiam nubes recipiunt mutationem: quod si fiant nubes humidiores, delabuntur ob grauitatem, in campestribusq; , & cauis locis consident: quamobrem oportet quemq; animum intendere, in qua regionum, & locorũ sede sit collocatus; siquidem talis prædicendi norma, singulis passim sit obuiam; ac præsagia quæ ex huiusmodi rebus colliguntur, quàm maximè sunt manifesta. Idcircò, nonnulli quibusdam locis optimi astrologi extitere: quemadmodũ Methymnæ Matricetas à monte Lepetymno, neq; non, & Tenedo insulæ Cleostratus ab Ida præsagia capientes, quinetiam, & Phaenus Atheniensibus, sumptis è monte Lycambeto indicijs, prædixit

dixit ea, quæ circa solstitium euenere. à quo Meton edoctus, annum vndeuiginti annorum spatio præfinitũ ordinauit: & quidem Phaenus Athenis metœcus fuit, Meton verò Atheniensis; multiq; pręterea hanc diuinandi rationem secuti sunt. Alia verò signa inueniuntur, quæ ab animalibus sumi solent, atq; à diuersis locis in quibus degunt, ab eorundemq; affectionibus; verum signa maximè peculiaria à sole, & luna accipiuntur: etenim luna noctù est veluti sol alter, atq; ea de caussa mensium initia sunt frigidiora, quia à quarta senescentis, ad quartam vsq; incuntis mensis lumen deficit: & quemadmodum solis defectus euenit, ita, & lunę ecclipsis. itaq; oportet eum qui voluerit præsagire, ad hòrum luminum ortum, & occasum oculos potissimum conuertere, & quales fiant obseruare. ac primum quidem sumendum est, dichotomias .i. diuisiones æquali portione factas, tempora ipsa distinguere: quamobrem oportet harum ratione annum, mensem, & diem contemplari; annum verò in duas æquas portiones partitur Pleias, tùm oriens, tùm occumbens; ab occasu nanq; ad ortum vsq; illius, dimidius intercedit annus; quare totus annuus tractus in duas æquales partes distribuitur: idemque faciunt Æquinoctia, & Solstitia; qualisq; Pleiade occidente

fue-

fuerit aeris ſtatus, eundem retinet, vt plurimum ipſe aer, vſq; ad ſolſtitium; & ſi mutatio futura eſt, poſt ſolſtitium efficitur: quod ſi nulla mutatio contingit, ita ſe habere aerem oportebit vſq; ad æquinoctium; atq; inde pariter ad Pleiadũ ortũ, ab ortuq; huius ſyderis vſq; ad ſolſtitium æſtiuũ: à ſolſtitio ad æquinoctium; atq; demum inde ad ortum Pleiadum. Similiq; modo res euenit in ſingulos menſes: plenilunia enim, quadrati radij, & ſextiles, in duas æquales portiones mẽſẽ diuidunt. quamobrem ab interlunio, tanquam à principio, contemplationis initium ducere conuenit: terte-nis enim rebus luna mutationem infert, vt plurimũ quarta, ſin minus, octaua; atq; ſi per id temporis non fit mutatio, certè fiet plenilunio: Item à plenilunio ad octauam menſis decreſcentis, ab octaua ad quartam, inde ad numiniam, id eſt ad Calendas, & ſilentem lunam redeundũ eſt: idemq; mutationis modus in die, vt plurimum locum habet; enimuerò exortus, mane, meridies, veſpera, & occaſus; totidemq; noctis partes his proportione reſpondentes, parem tenent, cum ijs quæ enarrata ſunt, in flatibus, tempeſtate, tranquillitate, poteſtatem; ſi enim mutatio fieri debet, in dichotomijs maximè efficitur. Vniuerſaliter igitur tempora decet hoc pacto obſeruare: ſigna verò particula-

cularia ſicuti mox ſcribemus. Porrò particularia ſigna talia eſſe videntur. [1] Manifeſtiſſimum quidem ſignum matutinum eſt, cum ante ſolis exortum purpureum cœlū apparet: portendit enim, vel eadem die pluuias futuras; vel, vt plurimum in triduum. ſunt autem alia ſigna, quæ demonſtrant, [2] nam ſi puniceus, & purpuraſcens ſol occumbat, in triduum imbres potiſſimum prænunciat: licet minus, quàm ſi talis oriatur. [3] Et ſi hyeme, ac verè in nubeculam occidens ſe condat, plerunq; in triduum pluuias præſagit. [4] Si virgæ ad Auſtrum fuerint, ęedem ad Septentriones exortę, pluuias nunciant, licet imbecilliores. [5] Et ſi ſol oriens nigreſcat, ſi aquoſæ concurrant nubes; & ſi ante illius ortum radij ſe oſtendant, commune ſignum eſt aquæ, & venti. [6] Item ſi eo labente nubes incumbat, ab eaq; radij diuidantur, hyemalis temporis indicium. [7] Si feruens ſol emergat, & mergatur, ventum ſi non excitat, certè pluuiam denunciat. Iam verò, & luna exoriens, cū orbem impleuerit, eadem indicat; [8] nam ſi imbecillior facta ignea, & flammea apparuerit, ventum; [9] ſi atra, & obſcura, pluuias decernit. [10] Idemq; noua monſtrat cum igne colligere incipit, eo quod tertius menſis dies prędicit. [11] Stellę ſi crebræ tranſcurrāt, pluuiæ, vel flatus imminebunt; & ex qua parte

tranſcur-

transcurrent, inde imbres, aut ventos expectabis.[12] Si sol oriens, vel occidens radios confertim porrigat,& iaculetur,eamdem habet significationem.[13] Et quando eo emergente, lux colorē quasi eiusdem deficientis imitatur, pluuiæ indicium est.[14] Quando nubes vt vellera lanę apparuerint, pluuiā spondent. præterea hæc etiam signa aquas promittunt.[15] Bullæ plurimæ si super fluuios enatarint, ingentes imbres minantur.[16] Iris circa lucernam, aut per lucernam pellucens, Austrinos imbres metuendos admonet.[17] Et lucernarum fungi, si Austrinus fuerit aeris status, pluuiam pollicentur: quin etiam,& ventum non abs rè promittunt pro magnitudinis, & multitudinis ratione:[18] nam exigui, & milio similes, ac splēdidi,aquā expectandam esse, non ventum indicant.[19] Cum per hyemem lucerna ex sese flammam elidit,quasi bullas relinquens, & vix accendi potest, pluuias præsagit.[20] Si radij in eam euolent;[21] si aquaticę, ac lotrices aues adueniant, in aquis non degentes, pluuias dabunt, & tempestatem.[22] Rubeta lotrix, Ranęq; vltra solitum vocales, imbrem inclamabunt.[23] Lacerta, quæ salamandra appellatur, si è latibulis exeat,ac sese prębeat conspiciendā:[24] Item si viridis rana super arborem canat,pluuię signum est.[25] hirundines ventre aquas verberantes, idem

porten-

portendunt.[26] Bos lambens anteriorem vngulam, tempestatẽ, vel imbres imminere ostendit. [27] Item si sursum eleuato capite in cœlum aspiciens odoretur, pluuiam præsagit.[28] Cornix super saxum vnda obrutum crocitans, imbrem nunciat, & sæpè se, aquis mergens, ac volitans, idem quod antea cõmonstrabit.[29] Coruus qui varias voces edere consueuit, si eas bis celeriter emittat, singultu quodã latrans, seq; concutiens, imbrem prænunciat.[30] Et si pluuio cœlo varias voces edat.[31] Item si super oleam pediculos quærat;[32] & si voce, siue sereno cœlo, siuè pluuio, quasi decidentes guttas imitetur.[33] Si Corui, & Monedulæ altius euolent, ac Miluium imitentur, pluuiarum testimonia præbent.[34] Et si Coruus per tranquillitatem, solitam vocem non habeat, singultuq; quodam latret, signum certum dat pluuiarum.[35] Si Accipiter in arbore cõsidens, & intus inuolãs pediculos quęrat, haud procul abesse pluuias demõstrabit.[36] Quando per æstatem aues, quæ in Insula vitam agunt, multæ gregarim venerint, pluuiarum lapsum inculcabunt,[37] quod si multitudine non excedant, salubre tempus capris, & ouibus promittunt,[38] si verò numerus eorum magnus fuerit, ingentem squallorem minitantur. [39] Omnino autem aues, & gallinacei pediculos quærentes, præsagiunt imbres;

bres: [40] & cum aquam imitantur adeo, vt pluere videatur, Anasq; domestica se alis excutiens fugrundas subierit, idem quod superiora planè testantur. [41] Simili modo si Galguli, & Gallinacei paludes, vel mare, alis more anatis, verberent. [42] Ardeola matutino clangore imbres, aut ventos nunciat, [43] & si ad mare volitans clamauerit pluuiam potius, quàm ventum portendit; [44] quod si magnos det clangores, & diuturnos, flatus spondet. [45] Si Pipo super domum mane strepitum edat, pluuiæ, seu tempestatis indicium est, atque olla scintillans pluuiæ signum. [46] Multipedes vermi multi, ad muros arrepentes, identidem imbres. [47] Delphinus ad terram natans, & crebro ex vnda maris emergens imbres decernit, aut flatus. [48] Ymittus minor ἄνυδρος, idest aquarũ expers appellatus, si in valle nubeculã habeat, imbres. [49] Et si Ymittus maior per æstatem albas nubes in parte superiori, & ad latera habeat, itidẽ pluuias; [50] Et si ἄνυδρος Ymittus albas nubes similiter in vertice habeat, & ad latera. [51] Si circa ęquinoctiũ Aphricus spiret, pluuiæ erunt expectandæ. [52] Tonitrua hyberna, & matutina, imbres potius prænunciant. [53] Æstiuaq; meridiana, & vesperrina, idem ostẽdunt. [54] Si vndiq; fulgurauerit, ventum, vel aquam expectabis. [55] Idemq; promittunt fulgura vesperrina.

tina. [56] Si in motium summitatibus spirāte Austro ad meridiem fulgurauerit, pluuiam, aut flatum decernit. [57] Et Fauonius fulgurās pluuias a parte aquilonis, vel tēpestates portendit, [58] ac vespertina fulgura per æstatem, pluuias mox futuras nunciant, vel in triduum. [59] Si oporę tempore cœlū ab aquilone fulgeat, aquas spondet. [60] Eubæa quando media diuiditur, imbres breui venturos monet. [61] Si in Pelio nubes consideat, qua parte consederit, inde pluuia, aut ventus veniet. [62] Item si appareat Iris prædicit, [63] siq; multæ apparuerint, largum, & diuturnum imbrem præsagiunt; [64] quod idē sæpenumero promittunt acuti soles, & feruentes, cum ex nube exeunt. [65] Formicæ in depressiori, & cauo loco commorantes; si oua ex cubili ad eminentiorem exportauerint, imbrem spondent, [66] at si importarint ad proprias sedes, tranquillitatem. [67] Si duo Parhelij, idest soles alteri, appareant, vnus ad aquilonem alter ad austrum: simulq; Corona, celerem imbrem nunciant. [68] Coronęq; atrę, & nigræ pluuiarum sunt indicia, ac magis si vespere cōtingant. [69] Sunt in signo Cancri duę stellę Asselli appellatæ, exiguum inter illas spatium obtinente nubecula, quam pręsepe dicunt, hæc cū obscura, & atra euaserit, pluuias promittit; [70] si nō pluet sub Cane, vel sub Arcturo, vt plurimum circa æquino-

ctium imber erit, aut ventus.[71] atq; illud de muscis vulgatissimum, verum est, cum vehementer mordent pluuias indicare.[72] Passer cantũ matutino imbrem affert, aut tempestatem,[73] vespertino autem pluuiam tantum.[74] Quando Ymittum ab imo ad summũ nubes longà, & alba occupat, pluuiam auguratur, vt plurimum intra triduũ;[75] & si in Ægina ac super Iouem Ellanium nubes consideat, plerunq; aquã spondet.[76] Si hyems valde pluuia fuerit, ver vt plurimum siccum erit;[77] ac si hyems sicca, ver è contra pluuium.[78] Quando niues multæ decidunt, plerunq; annus bene cedit.[79] Dicũt autem nonnulli, si in astris splendida quasi grando appareat, sæpenumero grandinem promitti;[80] si verò multa tanq; milij grana exigua splendeãt, si ventus quidem fuerit, tranquillitatem, si non fuerit, pluuiã portendi, aut flatum.[81] Animalibus autem, ac plantis aquilonij imbres magis prosunt, quã austrini, oportet enim dulcem esse aquam, nõ salsam, & omnino annus aquilonius austrino melior, ac salubrior.[82] Cùm oues, vel capræ rursus coeunt lõgę hyemis indicium præbent.



THEO-



THEOPHRASTI LIBELLVS DE VENTORVM SIGNIS.





LVVIARVM igitur ſigna talia eſſe dicuntur, quæ autem ventos præſagiunt, eiuſmodi ſe habent. [1] Si ſol exoriens ferueat, nec ſuos fulgores emittat, ventos nunciat: [2] & ſi concauus appareat ventum, vel aquam. [3] Idem ſi per plures dies ferueat, ſquallores, & flatus diuturnos ſignificat. [4] Solis radij ſi in exortu ſpargentur partim ad Auſtrum, partim ad Aquilonem, pura circa medium illius ſerenitas ſit licet; pluuiam tamen ventoſq́; ſignificabunt. [5] Signa autem ſol, & luna dant; nigra quidem aquarum, [6] rubicunda autem ventorum. [7] Si Aquilone dominante lunæ cornua recta fuerint, Fauonij af-

flare

flare solent, hyemalisq; totus mensis erit. [8] Cum superius cornù eius acuminatum erit, mensem portendit Aquilonium,[9] cum eiusmodi se habebit inferius cornù, mensem Austrinum. [10] Si autem vtraq; cornua directa fuerint circa quartam, nec vt debent inclinata, nec pulchrè orbiculata, ad dimidiam vsq; lunam hyemari consueuit. [11] Si nigra, & obscura pluuias; [12] si ignea, & rubicunda, ventum portendere creditur. [13] Mergi Anatesq;, tùm natura cicures, tùm agrestes, sese in aquis mergentes pluuias. [14] Pennas autem rostro purgantes, diù multumq; alas excutientes, ventos spõdent. [15] Fulicę tranquillitate existente, quò euolarint ventũ prenũciant. [16] Passeres tumultuosè per hyemẽ vesperè obstrepẽtes, & pipillantes, vel mutationem venti, vel pluuias indicant. [17] Ardeola multum obstrepens, ac mare fugiens, venti est indicium; quod si magnos det clangores, ingentes minatur. [18] Canis humi se volutans, magnos ventos pollicetur. [19] Refluxus maris Aquilonios flatus,[20] fluxus, Austrinos prænunciat: nam si fluxus ipsius ab Aquilonijs spiritubus prouenerit, in Austrinos mutatio efficitur; si refluxus ab Austrinis, fit mutatio in Aquilonios; & Aquilo quidem cum cessat exiguus est, Auster verò cum incipit. [21] Si per aerem multę ferantur araneę futuri flatus indici-

um

um datur, vel temporis hyemalis. [22] mare intumescens, [23] ripę ipsius quasi vocem edentes: [24] littora si resonabunt, ventos augurantur. [25] Parhelius vndelibet apparebit, inde aquas, aut ventos ostentat. [26] Dies, post brumales conuersiones, quintusdecimus, vt plurimum Austrum præfefert. [27] Spirantibus Aquilonijs flatibus ficcantur omnia: [28] Austrinis verò humida redduntur. [29] Si flante Aquilone eorum crepitus audiatur, quę pridem conglutinata, cum Auster dominatur, remitti, ac resolui solent, indicium est in Australes ventos fieri mutationem: [30] Et si pedes intumescant, rursus austrinam mutationem indicant, atq; hoc idem procellæ signum est. [31] Herinaceus terrestris subterraneũ cubile sibi fodiens pręnunciat; quibus autem locis inhabitat, duo foramina efficere solet, vnum quidẽm ad Austrum, alterum verò ad Aquilonẽ, & qualecunq; obturauerit illinc ventos emersuros indicat; si ambo, magnos nunciat. [32] Et montiũ sonitus prędicunt. [33] Si mare de repente tranquillum reddatur, flatus mutationem, vel incrementũ prę-sagit. [34] Si montium cacumina solito altiora appareant, [35] vel Insulæ, ex vna, multæ ementiantur; Austrinã promittunt mutationem. [36] Terra si nigram sese oculis cernendam præbeat, Aquilonibus, [37] si albã Austrinos spiritus promittit. [38] Coronæ si

næ si

næ ſi circa lunam fuerint magis flatus decernūt quàm ſi ſolem circũdauerint. [39] quod ſi circa ambo luminaria diſrumpantur, ventos proximos eſſe monent, & ex qua parte ruperint ſe, ventus expectetur. [40] Nubes vnde exoriri, & moueri videbitur, inde ventus veniet. [41] Si temporibus æſtiuis, Nubes ſiccæ, & aquarum expertes exoriantur, vẽtum indicant. [42] Si vndiq; fulgura cadant aquas nunciant atq; vnde crebriora, & denſiora ceciderint, inde ventus exorietur. [43] Per ęſtatem vnde fulgura, & tonitrua, illinc vehemẽtiſsimi venti, & valentiſsimi ſpirabunt: quod ſi vehemens viribuſq; præcellens fulgur fuerit, celerius, & vehementius flabunt: ſi verò paulatim ac leniter, exiguus ventus erit. [44] Per hyemem autem, ac autumnum contra euenit, fulgura enim ventos ſedant, & quò vehementiora fuerint tonitrua, & fulgura, eò magis hoc efficiunt: vere autem minus eiuſmodi ſigna locum habent, quemadmodum, & hyeme. [45] Si Auſtro ſpirante fulgur à Septentrione venerit, deſinet Auſter flare; ſi à parte exortiua, tertia die ceſſare Auſter ſolet; alij autem, quinta, ſeptima, & nona. Occidui autem flatus celeriter deficiunt. Aquilones impari, vt plurimum deſinũt dierum numero, Auſtrini autem pari: Flatus tùm ad ſolis, tùm ad lunæ exortum ſpirare incipiunt; & quos ſol

exoriens

exoriens ſedat, luna emergens excitat, & intendit: diuturniores, & valentiores ſunt venti illi, qui interdiù, quàm qui noctū incipiunt. Si Eteſię plurimū temporis flauerint, & Autumnus ventis perflatus fuerit; hyems tranquilla, & a ventis ſilens erit: quod ſi contrario modo res contingat, & contrario modo ſe hyems habebit. [46] Vnde è montium ſummitatibus nubes producuntur, inde venti flabunt. [47] Nubes ſi à tergo conſideant, & venti à tergo flabunt. [48] Myſius nube disiunctus, Auſtralis flatus eſt argumentum; & omnino montes nubibus obueſtiti, ac præcincti, augures vt plurimum Auſtralium flatuum eſſe ſolent. [49] Cometæ ſæpe ventos nunciāt, & ſi multi fuerint, ſqualorem. [50] Poſt niuem Auſter, poſt pruinam Aquilo ſpirare conſueuit. [51] Fungi in lucernis Auſtrinum ventum, vel aquam minitantur. Porrò autem ventorum ſtatus ita ſe habent, vt in diagrammate deſcripti ſunt; ex ventis autem Septentrio, Thraſcias, & Argeſtes in alios maximè incidunt, eoſq; ſedant; quod ſi non viciſſim ſe comprimant, & diſſoluantur, ſed ex ſemetipſis cōtabeſcant, & intereant; mutantur dextrorſum prò ſolis latione, in eos qui hærent. Auſter cum incipit ſiccus, cū autem deſinit humidus eſt; itidem, & Eurus. Subſolanus autem ab exortu Æquinoctiali ſpirans, aquoſus, attenuanſq; pluuias gi-

as gignit; humidi autem maximè sunt Cæcias, & Aphricus; grādinosi verò Septentrio Thrascias, & Argestes; Meses autem nigores parit & Aquilo, & Septentrio: æstuosi Auster & Fauonius, & Vulturnus; atq; hi alia quidē loca ex mari, alia verò ex terra adoriuntur. Nubibus autem cœlum densant, & tegunt Cęcias quidē primo, deinde verò Aphricus; atq; alij venti à se ipsis nubes expellunt, solus verò Cęcias spirans ad se trahit. Sereni pręsertim sunt Thrascias, & Argestes, & inter reliquos Septentrio. Procellas potissimum Septentrio, Thrascias, & Argestes gignunt: fiunt autem procellæ, cum vicissim spirantes venti incurrunt, & se collidunt, ac præsertim in autumno: ex reliquisq; anni temporibus vere. Fulgura autē emittunt Thrascias, & Argestes, Septentrio, & Meses. [52] Pappi multi, qui ortum ex spinis ducunt, si ad mare ferantur, magnum futurum flatum præsagiunt. [53] Astra plura ex qua parte discurrunt, ventum prænūciāt; [54] quod si vndiq; discurrant, ventura flatuum plurimorum prælia monstrant. Ventorum igitur signa talia sunt.



THEOPHRASTI LIBELLVS DE TEMPESTATVM SIGNIS.



TEMPESTATVM autem signa, ita se habent. [1] sol haudquaquam purus se condens; atque, vt in lapsu diuisus, ac nubibus tectus apparebit; ita, & dies erunt expectandi: veluti si tertiam ipsius partem nubes occupent, & capiant, tertia ab occasu die tempestas orietur. [2] Si ea corporis lunaris pars dimidia, quã nos cernimus, recta fuerit circa quartam, nec vt debet orbiculata; ad quadratum vsq; illius cum sole aspectum, hyemabit. [3] Grues mane volantes, & gregatim; mane futuram ostendunt tempestatem, [4] vespere autem, ac ad multum tempus, vespertina quoq; tempestas expectetur. [5] Et si volantes retro flectant, ac ab incepto itinere auertantur, tempestatem præsagiunt. [6] Anseres continuo clangore intempestiuę, vel ad pastum festinantes,

 ac

ac pugnantes idem monent. [7] Fringilla, & passer mane pipillantes, tempestatis signum. [8] Orchilus ingrediens sua latibula, & se condens, tempestatem portendit. [9] Erithacusq́; similiter. [10] Cornix celeriter bis, ac ter cornicans, idē significat; [11] Cornixq́; Coruus, & Graculus vespere canentes, tempestatem nunciant. [12] Passer si albus appareat, vel Hirundo, aut demum auium, quæ minus albę esse consueuerunt, alia quęuis solitum colorem exuere visa; ingentem minatur tempestatem; [13] quemadmodum, & si earum multæ nigræ appareant, pluuiam spondent. [14] Aues mare fugientes, tempestatis pręsagium. [15] Fringilla super domum canens, indicium tempestatis. [16] Quęcunq; signa hyeme pluuias nunciant, eadem si non pluuias, niues, ac tempestates afferre solent. [17] Coruus hyeme multas voces mutans, tempestatem affert. [18] Graculi ab Austro volantes, & cicadę, hyemale signum. [19] Pholis in lacu strepitum edens * idem spondit. [20] Et Pulmones marini, si multi in pelago appareāt, annum fore hybernū pręsagiunt. [21] Oues si venerem maturent, hyemem properare significant. [22] Si oues, vel boues autumno terrā fodiant, corporaq; gregatim ad somnū componant, capita vicissim conuersa habentes, asperā hyemem portendunt. [23] Ac in Ponto quidem, huius rei indicium esse inquiūt, cum

cum poſt Arcturi exortũ, ad Aquilonem ſpectantes auidè, ac feſtinanter depaſcunt. [24] Boues magis quã ſoleãt cõmedentes, ac ſuper dextero latere iacentes, tẽpeſtatẽ nunciãt. [25] Atq; Aſinus collidens aures, idem præſagit. [26] Oueſq; & aues vltra ſolitũ ad paſtum feſtinantes, & pugnantes; ſe enim præparãt. [27] Et Mures ſtridentes, ac ſaltantes, hyemale præſagium. [28] Canis pedibus terram fodiens, [29] & Bubo ſuper montis verticem ſolitaria canens, tempeſtatẽ monſtrant. [30] Terræ inteſtina ſi multa conſpiciantur, præſagiunt tempeſtatem. [31] Et ſi Pylęus circumſpici nequeat. [32] Si lucerna reſpuat accendi, ſignum tempeſtatis. [33] Si Ciuis concreſcat, nix imminet. [34] lumina murmurantia cum ardent, nõ quieta, nuncia tempeſtatum. [35] Et cum hyeme fungi nigri innaſcũtur, [36] cũq; multis quaſi milij granis pleni fuerint, tempeſtatem portendunt. [37] Et cum ſereno ellychnium ardens eadem grana circundauerint, niuem pollicẽtur. [38] Aſelli præſepe ſi concreſcat, & atrum fiat, tempeſtatis ſignum, [39] ac ſi fulgur ſplendidũ in eodẽ loco permanſerit. [40] Si circa Pleiadum occaſum Parnaſus Brileſſus, & Hymettus, ſimul omnes fulgeant, magnam hyemem prenunciant. [41] Si autem duo tantum, aſperam minus; [42] at ſi Parnaſus tantummodo, clemẽtis hyemis indicium. [43] Si per hyemem nubes longa Hy-

mettum

mentum occupet intendi hyemē monet.[44] Athos, & Olympus omninoq; montium vertices nubibus obsessi tempestatem minantur. [45] Si nubecula sereno extenta in longum, & diuulsa in aere appareat, signum est nondum sedatam esse tempestatem.[46] Si Autumnus plus iusto calidior fuerit; ver plerunq; frigidum erit.[47] Cū maturat hyems, maturè etiam desinit; & ver suam retinet temperaturam:[48] quod si contrarium eueniat, ver non efficitur. [49] Si hyems pluuia fuerit, ver admodum siccum sequitur. [50] at si hyems valde sicca, ver optimè se habebit. [51] Si recrementum fuerit moderatum, vt plurimum oues fame infestabuntur. [52] Si ver, & æstas frigida fuerit, opora, & autumnus æstuosus erit, atq; à ventis silens. [53] Si Ilices abundè fructificauerint, asperrimas imminere ostendunt tempestates. [54] Si ad montis verticem nubes recta steterit, tempestatē nunciat, vnde Archilocus cęcinit.

Glaucè vide
Profundum .n. mare iam fluctibus agitatur,
Et circa verticem nubes recta permanet,
Quod signum est tempestatis.

[55] Cum nubibus coaceruatis, aliç feruntur ad eas, ipsę verò immotę permanent; idem quod prius indicant. [56] Si cœlum hyeme fulgens rursus fulgorem abscondat, atq; hoc bis, aut ter efficiat, hyemalis

malis dies erit.[57] Mercurij stella hyeme conspicua, frigora nunciat; [58] æstate, æstus. [59] Cum apes non longius auolant, sed sereno adhuc circa alueum volitant, tempestatem futuram monent. [60] Lupus vlulans tempestatem præsagit. [61] Lupus ad opera festinans, vel intra triduum hyemale tempus futurũ preuidet; vel iamiã adesse tempestatem. [62] Cũ multæ autumno vespæ gignuntur, ingentes imbres portendunt, & tempestates. [63] Et cum albæ aues, omninoq; agrestes belluæ ad culta loca appropinquant, Aquilonios flatus, ac hyemis magnitudinem demonstrant. [64] Si Aquilone dominante eam Parnasi partem, quæ ad Fauonium, atq; ad occasum vergit, nubibus stipatam videamus, proximam reputabimus esse tempestatem. [65] Cum æstus plurimi, & vehementissimi dominantur; hyems maximè aspera reperitur. [66] Si ver fuerit valde pluuium, ingentes æstus in campestribus, & concauis locis erunt expectandi; oportet igitur ad principium animum intendere. [67] Si Autumnus vehementer calidus fuerit; ver vt plurimum frigidum erit. [68] Si autem ver cunctabitur, ac frigidum fuerit, opora tarda erit, atq; autumnus, vt plurimum æstuosus. [69] Ilices fructibus maximè onustę asperam hyemem vt plurimum denunciant; [70] interdumq; hoc præsagio squallores demonstrari inqui-

inquiunt; [71] siquis * accipiens inspergens argyllã, & super vasculum imponat; dicitur, vocibus, quas emittit ventum, ac serenitatem præsagire. [72] Atq; quod vbiq; locorum, tanquam præsagium tempestatis vulgatissimum vsurpatur, Cũ mures circa quisquilia pugnát, ac ea auferunt, & furantur.





THEO-



THEOPHRASTI LIBELLVS DE TRANQVILLITATIS, AC SERENITATIS SIGNIS.





ERENITATIS autem, & tranquillitatis signa hęc esse dicũtur: [1] sol quidem si splendidus emergat, nec feruens, neq; vllum in se præsagium habens, serenitatem nũciat. [2] Simili modo luna luminibus plena. [3] Itẽ sol purus hyeme occumbens serenitatem spondet; modo tamen præteritis diebus non se condiderit in nubes, idq; sit incompertum: [4] & si perturbato cœlo, ac vigente tempestate, occasus illius purus fuerit, tranquillitatis signũ; [5] Si hyeme sol labens, sereno pallidus fuerit, prędicit. [6] Et si tertius ineuntis mensis dies splendidus fuerit, prę sagium est

serenitatis. [7] Cum asini præsepe putū, ac splendidum apparet, differenabit. [8] Corona si æquabilis concrescat, & emarcescere videatur, serenitatem portendit. [9] Siccę nubes, & aquarum expertes cęlo perturbato, serenæ sunt. [10] Olympus, & Athos, ac omnino montes, qui vim habent significandi, si cacumina pura habeant, tranquillitatem spondent, ac serenitatem. [11] Cum nubes mare cingunt, serenitatis indicium: [12] & quando pluuia cadente, ad occasum nubes ęreum colorem referunt; in posterum enim diem plerunq;, serenitatem pręsagiunt. [13] Cum nebula oritur, vel nulli imbres, vel pauci sunt expectandi. [14] Grues cum volant, nec iter flectūt, tranquillitatem pollicentur: enimuero nō antea volāt, quàm aerem prospexerint vndequaq; serenum. [15] Noctua perturbato cœlo, ac tempestate, quietè canens, serenitatem præcinit, & tranquillitatem: [16] item si nocte hyberna placidè canat. [17] Noctua marina tempestate vigente canens, tranquillitatem; [18] tranquillitate verò dominante, præsentit tempestatem. [19] Coruus solitarius, & placidus crocitans, vbi ter crocitarit mox pluries clamitans, serenitatem pręsignificat. [20] item Cornix si ter crocitet, [21] & si vespere cœlo perturbato canat. [22] Orchilus ex suis latibulis euolans, denunciat serenitatem. [23] Si Aquilonia tempestate ab Aquilone


lone subfulgeat, & fulgor albescat, in Austrinum statum fit mutatio: [24] si ab Austro; in Aquilonium. [25] Si nubes magna mole assurgens, ac tumida apparuerit, indicat vt plurimum ad tranquillitatem, serenitatemq; fieri mutationem. [26] Cum Aquilo magnus spirans nubes plurimas attulerit, promittit serenitatem. [27] Oues tardam venerem exercentes, signũ afferunt tranquillitatis. [28] Et bos si super læuo latere quiescat, serenitatem præmonstrat. [29] Canisq; similiter. [30] Si autem super dextero, tempestatem; [31] Cicadę quando multæ oriuntur, grauem annum nunciant, & insalubrem. [32] Lucerna perturbato cœlo, quietè ardens, portendit tranquillitatem: [33] & si multa veluti milij grana splendida in extrema sui parte habeat; [34] & si splendida linea ellychnium ambiat. [35] Lentisci fructus tria arandi tempera ostendit; ac primus quidem, tempus arandi primũ significare videtur, secũdus medium, tertius nouissimum; & qualis horum vberior fuerit, talem fore promittit arationem. Iam verò, & totius anni, ac partium eius signa huiusmodi afferri solent. [36] Si ineunte hyeme aer caliginosus, ac tenebrosus fuerit, æstusq; vigeant, & pluuiæ à ventis dissoluantur, ver pollicentur grandinosum. [37] Si post vernum æquinoctium nebulæ cadant, Spiritus, & ventos inde ad septimum mẽ-

sem.

sê. (ambobus enumeratis) futuros monẽt:[38] quęcunq; autem cæciderint, falcata, & corniculante luna, tunc temporis flatus præmonstrant.[39] quæ verò eadem prætumida, ac pleniore, tum imbres fore minantur. & quo magis nebulæ in alterutra harum configurationum increbuerint, eò magis hæc fore demonstrabunt.[40] Quin etiam, & flatus simul cum decidentibus nebulis surgentes, prędicunt.[41] Si ab exortiua parte, & meridiana venti venerint, imbres afferunt.[42] Si autem ab Occidua, & Aquilonari, frigora.[43] Porrò autem, quas Ægyptij cometas nominant, non solum ea, quę antea enarrata sunt nunciant, cum apparuerint; verũ etiam, & frigora.[44] Sub astris, vt plurimum prænunciari consueuit: item & æquinoctijs, & solstitijs, non quidem statis horum temporum diebus, verum paulò ante, aut paulò post.

FINIS.

ANNOTATIONES IN LIBRVM Theophrasti de Ventis.



H τῶν ἀνέμων φύσις) Cum maior pars operum Theophrasti, maxima philosophiæ iactura, amissa sit; certè, quæ ad nostras manus peruenit, adeò vitiata est, ac mutila (quēadmodū iure, & meritò doctissimus vir Adrianus Turnebus aliquando conquerebatur;) vt verus ipsius sensus, ferè pro deplorato, videatur habendus. Inter omnes autem libros prǽstantissimi huius philosophi, qui hanc calamitatem perpessi sunt, libellum hunc de ventis, vehementer ea vexatum fuisse, nemini, mediocriter etiam in Theophrasti lectione versato arbitror esse incompertum: cum solus hic innumeris mendis coinquinatus, mirificè lacerus, ac mutilus, iam bis mille annis iacuerit; alij verò omnes, præter opuscula de aquarum,& ventorum signis, & c. quæ eandem fortunam sunt experta, fœlicissima habuerint ingenia, quæ in eorum illustrationem incubuere. quamobrem nos, qui de re philosophica bene mereri cupimus, libellum prò virili restituere,& emendare, demumq; latinitate donare conati sumus: opus quidem audacissimum, nostrisq; viribus mirabiliter impar; verum, cum nec timor gloriæ amittendæ debuerit nos à labore deterrere; quoniam nullam in re literaria acquisiuimus; vix enim nobis metipsis cogniti, hoc vnum scimus, quod nihil scimus: nec incurrendæ reprehensionis notæ, quoniam speramus, si non omnes, permultos saltem fore, qui conatum hunc nostrum amplectantur, & laudent; idcircò allacriter iacta est alea. Iam verò, cum

cum exemplarium veterum nulla nobis esset copia, etsi ipsa per omnes illustres Italiæ bibliothecas diligenter conquisiuerimus; emendationes nonnullæ Adriani Turnebi, quas ex bibliotheca literatissimi, ac integerrimi viri Vincentij Pinelli habuimus, & sectio vigesimasexta Problematū Aristotelis, vnum fuere nobis, in tanta re subsidium; ex quo factum etiam est, vt dum libellū hunc, diligenter cum Aristotelica oratione conferebamus, ipse quoq; Theophrastus non semel iacenti præceptori manus admouerit; nobisque propterea plura loca, & ea quidem difficillima, intelligendi, restituendiq; dederit facultatem; quemadmodum infra demonstrabimus. Illud etiam sciant lectores velim, nos in multis doctissimorum virorum opera,& iudicio fuisse vsos; videlicet ex nostris Petri Pauli Florij, & Alexandri Georgij; item Aloisij Lolini Patritij Veneti, viri omnibus artibus, & disciplinis ornati, & græci sermonis scientissimi: in hoc autem opusculo conuertendo, non orationis nitorem, sed nuda autoris verba, & sententiam, tanta esse religione persecutos, vt verbū verbo ferè reddentes, ἑλληνίζειν potius,quàm latine interdū loqui,teretibus auribus videri possimus: quod tamen fidelis esse interpretis munus, semper arbitrati sumus; quamobrem,& breuitatem, obscuritatemq; illam sermonis retinere coacti fuimus; immo etiam, & libenter retinuimus; quæ Hippocratis, Aristotelis, & Theophrasti propria esse solet: qua in rè genium omnino nostrū sequi voluimus; cū enim,ob concisum hūc loquendi modum, facile in diuersa sensa horū autorum trahi oratio patiatur, iam statim euenit,si aliquid addamus,ad eam reddendam clariorem, vt enarratoris potius, & paraphrastis; quàm fidelis interpretis officio fungamur: quod ego, tanquam ingentem quandam pestem, in Hippocrate, Aristotele, & Theophrasto conuertendo, maximè esse fugiendum existimaui; præclare enim agi cum his autoribus tum mihi videtur, cum eorum scripta, ea ratione interpretantur, vt liberum sit legentibus, pro suo cuiq; sensu concipere sententiam. Demum opusculum hoc in contextus partiti sumus, pro ratione comentariorum, quæ in illud conscripsimus;

mus; queq́; si aliquando plus ocij nacti erimus, dabimus operam, vt cum alijs omnibus ad hanc studiorum de Ventis rationē pertinentibus, quę in posteriori ANEMOLOGIAE nostræ parte continentur, vt in præfatione diximus, ad literatorum manus perueniant. Interea, libellum hunc diuulgantes, satis esse duximus eum annotationibus illustrare, (vbi etiā occasio fuerit, pleraq́; scitu nō iniucūda differētes) quæ restituimus indicare, & quam ob causam; quod hinc facere aggredimur: ac primum dicimus, de autore nō esse dubitandum, cum Laertius, scripsisse Theophrastum de Ventis libellum, in eius vita testificetur; & Alexander Aphrodiśiēsis vir callidissimus rerū peripateticarū, in Cōmentarijs suis super secundum Meteoron, verbis ad Orionis ortum, & occasum spectantibus in medium allatis, ipsum tribuat Theophrasto. Non me tamē præterit Achillem Statium in Arati Phænomena Aristoteli tractatum de Ventis quendā adscribere, vt non iniuria suspicari aliquis posit, opusculum hoc eum Philosopho tribuere; sed huius viri auctoritas non erit, mea sententia, tantis testibus præferenda.

ἐκ τίνων.) Tria. inquit, de ventorum natura ab eo fuisse disputata; scilicet ex quibus, quomodo, & quas ob causas oriatur; quo loco ἐκ τίνων. id est, ex quibus, puto materialem causam venti designare; πῶς, id est quomodo, formalem; tunc enim exhalatio ventus fit, ac euadit, cum obliquè mouetur; vnde motus in vento se habet vt forma, quemadmodum latini nostri loquūtur; atq; apud præceptorē capite quinto secūdi Meteoron, exhalatio cum mouetur circa terram ventus est; capite verò decimo eiusdem libri, illustrissima sententia à paucis animaduersa, exhalatio ῥέουσα
„ μέν πῶς ἄνεμός ἐστιν. id est modo quodam fluens, obliquè vi-
„ delicet ventus est: qui locus mirificè comprobat explicatio-
„ nem nostram, ostenditq; particulam πῶς, ad formalem causam pertinere, quoniam id in vento exprimat, quod ei dat esse. Alia illa verba διὰ τίνας αἰτίας, id est quas ob causas, efficientem causam indicant, & finalem: idcircò enim inquit Theophrastus ob quas causas, non ob quam causam. φύσις verò dicit hîc, ni hallucinor, compositum ipsum, non com-

positi partes; nempè ventum, non venti formam tantum, vel materiam: licet tex. 3. secundi Naturalis Auscultationis φύσις proprie materiam, & formam possit significare; compositum verò ipsum secundum naturam esse, non naturam, dici debeat: qno pacto asserendum esset ventum secundum naturam esse, non naturam. verum non sempet exacta locutio in philosophica oratione est requirenda; nam præceptor capite qninto primi Meteoron ignem corpus, & compositum ex materia, & forma, naturæ nomine dignatus est ita scribens, ὑπὸ δὲ ταύτην τὴν φύσιν ἀὴρ, id est infra hanc naturam aër est: & secundo eiusdem operis citato loco, exhalationem venti, fulguris, & terræmotus causam, naturam appellauit. Sic videmus egregium philosophum plenissimè venti naturam docuisse, cum omnes ipsius causas explicauerit; nimirum, vt reor, in suis Meteorologicis disputationibus, quarum Olympiodorus primo Meteoron Actione xv. meminit.

ὅτι δὲ ἑκάστοις αἱ δυνάμεις.) Totam libelli huius, ac disputationis materiam hæc verba patefaciunt; duo enim sibi proponit in ea Theophrastus pertractanda; primo, quòd venti habeant vires aliquas; secundo quòd ea omnia, quæ ventos consequuntur, nimirum tùm vires, tùm aliæ affectiones, cũ ratione, videlicet naturaliter, ac iusta de causa eos consequuntur. addit secundo membro καὶ ὅλως. id est, & omnino, quoniam, & ipsę δυνάμεις, id est vires ventorũ, τῶν παρακολουθούντων, id est consequentium nomine comprehenduntur: sunt enim vires hæ, de qnibus loquitur impresentia Theophrastus, accidentia quædam, quæ ventos comitantur; naturam enim eorum, & essentiam iampridem se docuisse testatus est. non conuertuntur tamen duo hæc, sed consequentia ipsa comprehendunt, vt arbitror, vires tanquam vniuersale particulare: enimuerò frigiditas, caliditas, serenitas, magnitudo, imbecillitas, æqualitas, inæqualitas, & consequentia, & vires dici debent; quòd verò vel continui spirent aliqui venti, vel per interualla; quòd certis anni temporibus; item quòd cum sole aut luna exoriente exoriantur, cnm occumbente desinant; hæc omnia, mea

mea, quidem ſententia, παρακολουθοῦντα, id eſt conſequentia & quidem cum ratione, ſed non δυνάμεις id eſt vires dici debent. Demum cum ventorum contemplatio duo habeat membra, quemadmodum egregiè indicat hoc loco Theophraſtus, atque his verbis docet
,, ad finem ſexti capitis 2. Meteoron Ariſtoteles. περὶ μὲν
,, οὖν ἀνέμων, τῆς τε ἐξ ἀρχῆς αὐτῶν γενέσεως, καὶ οὐσίας καὶ
,, τῶν συμβαινόντων κοινῇ τε παθημάτων, καὶ περὶ ἕκαστον, το-
,, σαῦθ' ἡμῖν εἰρήσθω. id eſt, interprete Vicomercato. Ac de
,, ventis quidem, & primo eorum ortu, & eſſentia, atq; af-
,, fectionibus, quę tàm communiter quàm vnicuiq; accidunt,
,, hactenus dictum ſit. Theophraſtus de poſteriori, quod circa affectiones verſatur, quæ tàm communiter quàm vnicuiq; accidunt, diſputationem inſtituit; τὰ συμβαίνοντα παθήματα, id eſt, affectiones, quæ ventis accidunt, vocans δυνάμεις, & τὰ παρακολουθοῦντα, id eſt, vires, & conſequentia: atq; Alexander 2. Meteoron Com. 36. dum Ariſtoteles ventorum alios humidos eſſe docet, alios pluuios, vel ſerenos, τὰς τῶν ἀνέμων δυνάμεις, id eſt, ventorum vires, ipſum docere notat.

διαφέρει.) Turnebus emendat διαφέρουσιν, puto tamen vulgatam lectionem commodè retineri poſſe.

Super Tex. 2.

εἰ γὰρ διαφορὰς.) Rectiſsimè inquit philoſophus noſter differentias ventorum omnes circa vires, & circa conſequentia verſari; enimuerò, vt ex Alexandro Aphrodiſienſi cap. 8. 1. de Anima elicimus, differentiarum inuentu commoda virium fit diuiſio: vnde cum ventorum differentias cognitas habemus, ipſas etiam vires cognoſcimus. atq; ipſe Theophraſtus hîc frigiditatem, & caliditatem, & c. differentias vocat, nempè vires. vnusquiſque igitur ventus differt ab altero, aut frigiditatis, & caliditatis ratione, aut ratione magnitudinis, vel exiguitatis; & de reliquis idem iudicium: ex quò, & Ariſtoteles cap. 6.
,, 2. Meteoron διωρισμένων οὖν τῷ ψυχρῷ καὶ θερμῷ καὶ ἐλλεί-
,, πει τῶν πνευμάτων, & c. id eſt, Ventis igitur frigore, & calore,

» lore, atq; tepore distinctis, & c.

ἁπλῶς τὸ χειμερινόν.) Quid dicant τὸ χειμερινὸν, & τὸ εὐδιεινόν, id est, hybernum, & tranquillum in ventis, non est facile videre; nos, quando res egeat longiori dispntatione, quàm Annotationũ natura patiatur; atq; res tota abunde 2. lib. de Hippocratica anni ratione à nobis tractata fuerit, dicamus hoc loco breuiter, quod ibi, & rationibus, & auctoritatibus ostendere abũdè conati sumus. nempè τὸ χειμερινὸν tria propriè in vento dicere magnitudinem, frigiditatem, & pluuias, vel saltem nubes; vt ventus ille χειμερινὸς ab Aristotele vocetur, ac Theophrasto, qui frigidus magnus, & pluuius spirat; atq; cum pluuias nomino, niues etiam, & grandines, huiusq; generis affectiones intelligo. è contra tria alia opposita dicere τὸ εὐδιεινὸν, serenitatem videlicet, lenitatem, & caliditatem; vt ventus ille sit ex Arist. & Theophrasti opinione εὐδιεινός, qui serenus, calidus, vel temperatus, item exiguus, & lenis non magnus spirat; atq; hæc ipsissima est harum vocum significatio: quod, ne aliunde testimonia mendicemus, ex cont. 32. huius libelli latissimè probatur: quo loco Theophrastus Aquilonem serenũ, ac frigiditate remissum, nec magnum flantem εὐδιεινὸν vocat; Austrum magnum, procellosum, ac pluuium, & præter consuetudinem frigidum spirantem χειμερινόν. Sic & in aëre vox hæc, vt citato loco ostendimus, propriè non vnum tantum, sed tria significat, frigiditatem, nubes, vel pluuias, & ventum, ac eum quidem validum. τὸ εὐδιεινὸν è contra, serenitatem, calorem, vel temperiem, silentium ventorum, aut lenem auram. Perspicuum est autem ex his, non esse latinas voces, quæ græcis respondeant, illarumq; vim omnino exprimant, cum posiit tranquillum esse cœlũ, sed tamen pluuium, & frigidum; posiit esse serenum, sed tamen ventis perturbatum; quin etiam & frigidum; item posiit ventus serenus flare, sed frigidus, & magnus: quomodo nec aër, nec ventus εὐδία propriè sumpta potietur: nos tamen τὸ χειμερινὸν, & τὸ εὐδιεινὸν hybernum, & tranquillum transtulimus, quando meliora non succurrerent.

» Cicero 2. de Diuinatione ita locutus. Sed quæ tanta dementia

„ mentia est? vt in maximis motibus, mutationibusq; cœli,
„ nihil intersit qui ventus, qui imber, quæ tempestas, vbiq;
„ sit. quarum rerum in proximis locis tantæ dissimilitudi-
„ nes sæpè sunt: vt alia Tusculi, alia Romæ eueniat sæpè tem-
„ pestas. quod qui nauigant maximè animaduertunt: cum in
„ flectendis promontorijs ventorũ mutationes maximas sæ-
„ pè sentiant. hæc igitur cum sint, tùm serenitas, tùm per-
„ turbatio cœli: est ne sanorum hominum, hoc ad nascenti-
„ um ortus pertinere non dicere? & c. videtur ad εὐδιάν, & χειμῶνα respiciens, has voces, serenitatem, cœliq; perturbationem, esse interpraetatum: tamen verum est Aristotelem, ac Theophrastum, eas plerunq; vsurpasse ad vnam tantum harum affectionum significandam; vnde non semel, pluuiæ aeris tempestati, τὸ εὐδιεινόν; serenæ, τὸ χειμερινὸν, tribuere; quæ omnia cum nonnulli, licet viri magni non animaduerterint, maximis in Hippocrate interpraetando altercationibus inter se digladiati sunt; quemadmodũ Leoniceni, Manardi, ac aliorum disputationes super aph. duodecimum tertij secti ostendunt. Hoc igitur est, vt ad Theophrastum redeamus, quod ipse impresentia significat, subdens, postquam magnitudinem, & exiguitatem; frigiditatem, & caliditatem enumerauit, ἁπλῶς τὸ χειμερινὸν, & c. voluit enim dicere; & simpliciter, quod has omnes differentias, & vires comprehendit, hybernum, & tranquillum, & c. vnde placeret mihi magis, si hæc duo post illa, ὕετιον, ἢ αἴθριον. id est, Pluuium, vel serenum, collocarentur. fortasse enim ab aliquo imperito librario loco eiecta fuere: & sanè quod ille, qui ventum docet esse magnum, frigidum, ac pluuium, vel placidum calidum, & serenum; idem, eundem etiam χειμερινὸν esse doceat, vel εὐδιεινόν, testis hic Theophrastus est locupletissimus, qui tex. 4. de magnitudine, & exiguitate; tex. 5. de frigiditate, & caliditate; tex. 6. de serenitate, & pluuijs sermonem habens; nil amplius postea docet, qua ratione venti χειμερινοὶ, sint, vel εὐδιεινοί; ratus, se illa explicans, satis duo hæc explicasse. Non est autem prætereundum, contextum hunc secundum, breuiter omnia continere, quæ in hoc libello pertractantur;

tur; cum omnis ſequens diſputatio, verè nil aliud ſit, quàm eorum, quæ hic proponuntur, enarratio.

περὶ τὸν οὐρανόν.) Cœlum ex Ariſtotelis decreto ab omni perpeſsionis, & alterationis labe immune eſt, vnde non dicit philoſophus noſter, cœlo ob ſpirationem aliquid contingere; ſed vocat cœlum, antiquorum more, eam aeris partem, in qua diſcurrere aſtra viſuntur, & coronæ pareliiq; apparent; vt ex tex. 36. inferius patet; quin & cœlum prò aere ponit, vt verba oſtendunt, inquit enim περὶ τὸν οὐρανόν, ἢ περὶ τὸν ἀέρα. id eſt circa cœlum, vel aerem: demum cum pareliorum, & coronæ apparitiones ab aſtris pendeant, & cœlo, ex quibus præſagia, ad ventorum ortus pertinentia, ſumi ſolent; hac etiam de cauſa, aliquid contingere cœlo ob ſpirationem, dicere potuit.

καὶ τὴν θάλατταν.) Quæ mari eueniunt ob ſpirationem, declarat contextus trigeſimusquintus; vnde, cum nil de maris æſtu eò loco dicat Theophraſtus, qui arbitrantur, de ipſius vel Ariſtotelis opinione, hunc maris motum à ventis cauſari, longiſsimè ab eorum mente aberrant: nec tamen vlla notari poteſt in Theophraſto contrarietas, etſi libello de Vêtorū ſignis, num. 19. Aquilonijs, & Auſtrinis ſpiritibus æſtū tribuere videatur, quemadmodum nos in prælectione in priorē partē de maris æſtū, indicauimus; quod opus propediem edituri ſumus; diximus verò abunde in parte poſteriore, cui etiam adiuuante Deo manum imponere extremam propoſuimus: eſt tamen ſpiritus de Ariſtotelis, & Theophraſti ſententia, nec aliud aliquid æſtus cauſa, vt citatis locis demonſtrauimus.

Super tex. 3.

ἔστι δ' ἑκάστου.) Verba hæc Theophraſti diligenter memoriæ mandanda ſunt, enimuerò paucis, quæ longiſsimis diſputationibus doceri ſolent, aperit nobis: nimirum omnes ventorum vires, differentias, & accidentia, à locis ortum ducere; vel à quibus ſpirant; vel per quæ tranſeunt; vel ad quę vadunt: quam rem, tanquā maximi momenti, non ſemel inferius repetit, ac verá eſſe exemplis docet, & rationibus.

καὶ τοῦθ' ὥσπερ τῆς οὐσίας.) Exemplum breuis, & concisæ orationis: frequentissimum enim est, ac familiarissimū Hippocrati, Aristoteli, & Theophrasto, vt aliquid interdum in eorum oratione desideretur: supplendum igitur est, αὐτῶν κοινόν, mea sententia, vel tale quid; nam, & consimilem sensum ad finem trigesimisexti textus videtur Theo-
» phrastus expressisse, ita scribens τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα, καθά-
» περ ἔρηται, κοινὰ πᾶσι τῆς οὐσίας. id est, hæc igitur sunt, quę
» vt diximus ventorum essentiæ quodammodo sunt commu-
» nia: atq; hoc pacto sententia erit, commune esse ventis omnibus, vt vires, & differentias à locis, vnde spirant, & per quæ transeunt, nanciscantur; quam explicationem verba etiam postrema quinti textus comprobant, quibus ita con-
» cludit Theophrastus. καὶ τοῦτο μὲν κοινόν, ὡς εἰπεῖν, πᾶσι.
» id est, atq; hoc dixerim ferè commune omnibus esse.

ἀπὸ τούτων.) Legit Turnebus ἀπὸ τούτου.

οἷς ἁπλῶς εἰπεῖν.) Placet magis ὡς ἁπλῶς.

Super tex. 4.

ὑπάρχει δὲ ταὐτά.) Pulcherrime: vires, tùm easdem, tùm contrarias contrarij venti participant; quem loquendi modum accepit à suo Doctore Theophrastus; Aristoteles enim
» sic cap. 6. 2. Meteoron, οἱ ἐναντίοι δὲ ἢ ταυτὸ ποιοῦσιν, ἢ
» ἐναντίον. id est contrarij autem vel idem operantur, vel con-
» trarium; Aquilo, & Auster contrarij venti sunt; sed tamen habent vires, & affectiones easdem, magnitudinem scilicet, & diuturnitatem; habent etiam contrarias, vt tex. quintus ostendit.

ἀμφότερα δ' εὐλόγως.) Hoc est quod docendum sumpserat Theophrastus; nempè ostendere τὰ παρακολουθοῦντα κατὰ λόγον ἀκολουθεῖν. id est consequentia ratione recta consequi: at non est dubitandum, magnitudinem, & diuturnitatem, de eorum esse numero, quæ Aquilonem, & Austrum comitantur; quamobrem iure hoc ipsum habere in natura rationem dicit Theophrastus, & quænam ipsa sit, explicat. ἀμφότερα. videlicet ταῦτα, & ἐναντία.

πρὸς ἄρκτον, καὶ μεσημβρίαν.) Videtur his verbis Theo-

phrastus, Aquilonis, & Austri originem docere; vult enim Aquilonem ab vrsa, Austrum à meridie initia ducere: atq; loca hæc πλάγια esse inquit ad solis lationem, quæ ab ortu fit ad occasum. cum ergo solis calor sit, qui vapores absumat, & exhalationes; rationi consentaneum est, vt regiones illæ, quæ ad latera cursus eius sunt, plurimas participent; quoniam sol eas non attingens, non potest materiam absumere, ex qua oriuntur; atqui vbi maior copia adest exhalationum, ibi ventos ingentes, ac plurimos excitari necesse est: iusta igitur de causa Aquilones, & Austri magni, & diuturni sentiuntur, quod erat probandum Theophrasto. Similem sententiam exprimit præceptor cap. 4. 2. Meteoron his verbis. Quin & eadem causa est, cur tum à septentrionibus, tum à meridie venti potissimũ oriuntur. Aquilones enim, & Austri inter ventos omnes maximè excitantur; sol nanq; hæc vna loca non peruadit, sed ad ea sese applicat, ab eisq; abducit; ad occasum verò, & exortum perpetuò fertur. quam ob causam nubes ad latera coguntur, & accedente quidem eo, humidi fit exhalatio, ad locum autem contrarium abeunte, aqua, & hyems. Ob motionem igitur, quæ ad conuersiones, & à conuersionibus est, æstas fit, & hyems, & aqua sursum educitur, ac rursus generatur. quoniam autem plurimum aquæ in his locis descendit, ad quæ, & à quibus conuertitur (hæc autem sunt ad septentriones, & ad meridiem) & vbi aquæ copiam terra excipit, ibi plurima exhalatio, non aliter ac ex viridibus lignis fumus, reddatur necesse est, ipsaq; exhalatio ventus est; ratione recta euenit, vt plurimi maximeq; principes venti inde oriantur, quorum ij, qui à septentrionibus spirant, Aquilones, qui à meridie, Austri nominantur. Hæc Aristoteles. cuius disputationem mirifice locũ hunc Theophrasti illustrare nemo non videt. Porrò autem eadem etiam hæc quæstio, quę hoc loco monetur à Theophrasto, sect. 26. Problematũ pertractata inuenitur in corpore problem. 35. in græco codice; (& cum problemata adduco admonitos lectores velim, me ordinẽ sequi græci exemplaris, atque ea semper ex illa sect. desumere) licet desit tẽporũ iniuria problema-

blemati quęstionis propositio; sunt enim duo problemata nõ vnũ,quod etiã rectissimè Theodorus in sua conuersione animaduertit:atq; alter quęrit, cur Fauonius horis postmeridianis spiret; alter, cur Aquilo, & Auster sæpissimè spirent; quam profectò quæstionem ita dissoluit Aristoteles.
" καὶ ὁ βορέας. καὶ ὁ νότος διὰ τοῦτο πλεῖστάκις πνέουσιν, ὅτι τὸ
" ἐναντίον ὑπὸ τοῦ ἐναντίου κρατούμενον κατ' εὐθυωρίαν, ἥκιστα δύ-
" νάται διαμένειν. ἀλλὰ μᾶλλον ἐκ τοῦ πλαγίου. ὁ μὲν οὖν νό-
" τος καὶ βορέας, ἐκ τῶν ἐφ' ἑκάτερα τόπων τῆς τοῦ ἡλίου φορᾶς
" πνέουσιν. οἱ δὲ ἄλλοι μᾶλλον ἐκ τοῦ κατ' ἀντικρύ. id est, Inter-
" prete Theodoro, Cur Aquilo, & Auster sæpissime spirant?
" An quia contrarium a suo contrario, è directo scilicet op-
" pugnatum, minimè edurare potest, sed ex latere potius ad-
" uersam vim tollerat? Auster verò, & Aquilo ex cursus solis
" lateribus spirant, cæteri aduersi potius occurrunt. Hæc ille. qui vtrum hoc loco aliter quàm hic Theophrastus, & ipsemet 2. Meteoron, tollere videatur dubitationem, infra videbimus; illud satis nunc erit annotasse, in eo saltem apertè ipsum consentire, quod Austrum, & Aquilonem, velit cum Theophrasto, ex locis ad latera cursus solis positis exoriri: quæ profectò loca, cum de Arist. & Theophrasti opinione, dicantur esse ad semptentriones, & ad meridiem: dubitatio maxima est, quæ demum loca, voce illa πρὸς μεσημβρίαν. id est, ad meridiem, veniant audienda, videlicet an Polus alter, an aliqua alia terræ pars; nec possumus de Austri origine, aut firmum aliquid statuere, aut rectè sentire, nisi prius scrupulum hũc è medio diuellamus. Arist. 2. Meteoron cap. 5. plurimis rationibus conatur ostendere, Austrum ab æstiua conuersione proficisci; itaq; si per loca meridiana, & quæ ad latera cursus solis sunt, intelligeret Theophrastus vtsam alteram, videretur hac in re a suo doctore dissentire: sed nec ipsius Arist. placita satis tuta esse videntur; enimuerò si Auster perinde ac Aquilo ex locis ad latera cursus solis collocatis, et quæ sol ipse non ἐπέρχεται. id est non peruadit, vt ipse inquit, initium ducit; quemadmodum ipsemet citatis paulo superius verbis testatus est; falsum omnino erit Austrum ex locis æstiuæ conuersioni

ſubiectis dimanare. poſſet enim aliquis ſuſpicari, hæc inter ſe mirificè pugnare; cum ſol videatur non attingere tantũ loca æſtiuæ ſubiecta conuerſioni, verum etiam, & pertranſire; ſi per loca æſtiuæ conuerſioni ſubiecta cum Alexandro com. 31. 2. Meteoron intelligamus ea, quæ inter æquatorem, & cancri circulum continentur: quamobrem non poterint hæc ſimul in foribus ſtare veritatis; Auſtrum à meridie, ex locis curſui ſolis lateralibus, & quæ ſol non peruadit, oriri; & Auſtrum ab æſtiua conuerſione excitari. Præterea ita videtur dicere Ariſtoteles Auſtrum, & Aquilonem è regionibus ad latera curſus ſolis poſitis exoriri, vt velit ſolem ipſum medium inter illas ferri: ſiquidem aſſeruit ci-
» tato problemate, ἐκ τῶν ἐφ' ἑκάτερα τόπων τῆς τοῦ ἡλίου φορᾶς.
» id eſt ex locis quę ad vtrunq; latus curſus ſolis ſunt, hos flatus ſurgere, quod etiam in hoc contextu cõfirmauit Theophraſtus; & cap. 4. 2. Meteoron loca hæc πλάγια. id eſt lateralia appellauit: atqui ſi ab æſtiua conuerſione Auſter nobis oritur, vtraq; loca, ex quibus hi venti excitãtur, ad vnũ tantum ſolis latus erunt. Alexãder Aphrodiſienſis vir ſummus vidit contradictionem hanc com. 19. 2. Meteoron; at-
» que his verbis eam annotauit. Non videbuntur autem con-
» uenire hæc, quæ nunc dicit de ventis, cum his, quæ parum
» infra dicentur. Nunc quidem enim propter hoc dicit plu-
» rimos, tum Boreas, tum Auſtros fieri ventos, quoniam ab
» his vocatis locis mouentur, quapropter, & in his nubes cõ-
» ſiſtunt plurimum: parum autem infra oſtendet, Auſtrum
» non ab his locis latum, quæ non ſupergreditur ſol; (hæc au-
» tem ſunt apud polum auſtralem) ſed ab æſtiuo tropico, ad
» quem cum peruenerit ſol, regreditur rurſus. quam profectò contradictionem, cum eo loco non diſſoluat Alexander, hac re permoti, vt reor, nonnulli recentiores, atq; ad bonam ſpem reuocati, Ariſtoteli manifeſte indicere bellum non ſunt veriti. Franciſcus enim Valeriola medicus eruditiſsimus, lib. 5. enarrationum medicinalium, enarratione prima; ac poſt eum Hieronymus Magius lib. 3. Miſcellaneorum cap. 6. Ariſtotelem circa Auſtri originem, non ſolum, aut dubium, aut non ſibi ſatis conſtantẽ, ſed etiam, ò deli-

(ò delirationem incredibilem) contrarium esse sibi ipsi demonstrare profitentur. Verum nos pietate erga vnum omnium Preceptorem adducti, ostendamus quæsò longissimè à veritate, atq; mente Philosophi hos homines discedere: nam, & simul Theophrasti locus hic plurimum illustrabitur, planumq; fiet, quod superius quærebatur; nempè qua ratione intelligendum sit, à meridie Austrum ortum ducere, quiduè per meridiem veniat accipiendũ. Duo sunt quæ imponit Valeriola Aristoteli; Primum in Austrini flatus enarrando positũ, dubium valdè nec sibi perpetuò constantem ipsum fuisse: secundum fuisse etiam contrariũ. Primum ostendit ex eo, quod cap. 4. & 6. 2. Meteoron à meridie, loco vrsę opposito dimanare Austrum velit: capite verò 5. ab æstiua conuersione. item eodem loco non ab altero polo, non ab hyberno solstitio, sed ab exusta terrarum plaga. Secundum ex hoc priori pendet; sequitur enim ex his, esse sibi contrarium Aristotelem: si nanq; à meridie oritur Auster, igitur ab altera vrsa; nisi enim per meridiem alterum Mundi polum vrsæ oppositum (inquit Valeriola) intelligas: verum esse non poterit, quod asserit Aristoteles, solem motu suo hæc loca non adire; nunquam enim, vel vrsam, vel alterum polum sol motù suo contingit, cum vltra duos tropicos non progrediatur. Hoc idemq; ex ventorum coordinatione, ab Aristotele 2. Meteoron cap. 6. posita, constare tradit; Austrum enim secundum diametrum, Aquiloni oppositum esse confitetur Aristoteles, quamobrem, cũ Aquilo ab extremo orbis cardine, .i. ab altera vrsa, initium ducat, & Austrum quoq; ab altero illi opposito puncto flare (siquidem contrarij hi venti sunt) necessariũ quidem erit.
" At hoc ipsum altero loco negat Aristoteles ijs verbis, ὁ δὲ
" νότος ἀπὸ τῆς θερινῆς τροπῆς πνεῖ, καὶ οὐκ ἀπὸ τῆς ἑτέρας ἄρ-
" κτου, id est Auster autem ab æstiua conuersione spirat non
" ab altera vrsa: quod idem rursus sub finem capitis 5. affirmat, scribens ventum, qui ab altero polo flat, non esse Austrum; quin etiam, neq; illum, qui spirat ab hyemali solstitio, propterea quod alterum, ab æstiuo venire solstitio oporteret, vt seruaretur ratio proportionis, cum tamen

nullus

nullus veniat; sed vnus tantum ex illis locis spirare videatur; vt propterea necesse sit ventum, qui ab exusta terrarum parte ad nos deuenit, Austrum esse. Itaq; sibi ipsi contrarius Aristoteles, & pugnātia affirmans; si enim à meridie Auster spirat, inquit Valeriola, vt omnes confitentur, & experientiæ fides demonstrat; ab æstiua versione is idem ventus spirare non poterit. fieri enim nequit, vel naturæ lege vt à duobus distantissimis locis vnus idemq; ventus spiret. Quibus ita constitutis duplici adhuc nomine reprehendit hic autor Aristotelem; quod scilicet dixerit Austrum flare ab æstiua conuersione, cum tamen inde, vel eiusdem testimonio, spiret Cæcias; item quod dixerit sui immemor, nullum ventum flare ab æstiua conuersione: atq; hæc sunt Valeriolæ verba. Qui enim ab æstiua conuersione seu oriente æstiuo flat ventus, non Auster, sed Cæcias, vel eiusdem Aristotelis testimonio dicitur, ab Austro, & natura, & situ diuersissimus: & mox, altero autem, & postremo loco, vult à loco terrarum exusto, hoc est torrida Zona, ventum hunc spirare, non ab altero polo, nec ab versione hyberna; ea scilicet ratione, quod si inde spiraret, oporteret, & ab æstiua versione alterū spirare, cum nullus inde (vt ipse sui immemor subdit) spiret ventus. Cum tamen capite de ventorum positione dixerit ab oriente æstiuo, (quod idem est, atque conuersione, seu solstitio æstiuo) Cæciam spirare. His omnibus addit Magius Aristotelem problemate decimo, vndecimo, duodecimo, decimoseptimo, & vigesimoprimo aperte testatum esse, ab altero polo Austrum aduentare; vt nulla de eau a debuerit receptam iam ab omnibus opinionem abijcere. Dicimus autem nos, plurimum in eo primum Valeriolam hallucinari, quod putauerit, meridiem, idem quod polum alterum significare; cum tamen Aristoteles cap. 5. 2. Meteoron, duo hæc videatur distinguere, & omnes boni distinguant autores; inquit nanq; eo loco Aristoteles: Nam terræ habitabilis segmenta duo sunt, vnum ad superum nostrum polum, alterum ad reliquum, & ad meridiem, eaq; tympani speciem habent. Ideo enim simul iungit Aristoteles, & polum alterum, & meridiem; quia nos propè

vrsam habitantes ex eodem latere, ac terræ tractu aspiciunt, & polus alter, & pars meridiana, atq; ex eodem cœli aspectu: vnde si nostram secemus habitationem per circulum ab ortu ad occasum, per medium nostrum verticalem punctum transeuntem, tota ea cœli ac terræ pars nobis erit meridiana, quæ à circulo isto Aequatorem versus tendit, licet non me lateat, apud Ptolomeum cap. 3. 2. Apotelesmaton terræ nostræ partem Aquilonarem, ab Australi, lineá ab Herculeó freto ad sinum Issicum ductam, separare. quæ omnia ne gratis dixisse videamur, audiant isti Aristotelis calumniatores Alexandrum Aphrodiseum, qui hoc totum com. 28. 2. Meteoron de Præceptoris mente manifestè docet, ita scribens. Inquit autem habitabilem plagam, quæ nostra est, ad superiorem vergere polum, alteram vero ad meridiem, & ad alterum polum: non quidem quod meridies ad ipsum polum sit, sed quia habito respectu ad nos, versus easdem partes sit polus, secundum quas meridies nobis est. Hæc Alexander ex quibus perspicuè habemus, aliud omnino esse polum alterum, aliud meridiem; idcircoq; non idem esse ab altero polo Austrum flare, & à meridie: cum ventus hic possit ab æstiua conuersione exoriri, atq; sic à meridie, sed non tamen à polo altero; quoniam æstiuus circulus, à plaga cœli meridiana nos aspiciat, vnde circulum hunc possumus meridiem nostrum vocitare. quod idem met Alexand. citato loco com. 27. his verbis luculenter explicauit, Videtur autem modo exquisitè, & exactè inquirens, ostendere, quoniam ab æstiuis versionibus versus nos spirat Auster; sub his n. meridies nobis est: efflans igitur illinc versus vrsam, ad habitabilem nostram accedit, quæ ad vrsam vergens sita est, inter enim manifestum semper circulū, qui propter poli borealis eleuationem semper apparet; & circulum, qui tropicus æstiuus est, pars ipsius terræ est quam nos habitamus. Venti autem, qui à versionibus æstiualibus flant, propter hoc, quod ab eisdem partibus accedunt ad nos, sub quibus etiam tropicus hyemalis est, ab eodem etiam tropico videntur efflare: qui tamen habito respectu ad mundum ipsum, ex altera parte situs est. Cum igitur ab

æstiuis

„ æstiuis versionibus spiret Auster, sub quibus noster meri-
„ dies est, &c. nec aliud significauit Olympiodorus vbi 2. Meteoron docuit duplicẽ Notũ, idest meridiem inueniri, alterum respectu nostri, alterum totius orbis ratione. Perspicuum est autem ex his nil absurdi Aristotelicam sententiã continere, dum statuit Austrum à meridie, atq; ab æstiua conuersione nobis occurrere, cum vtrunq; sit vero sũmè consentaneum. quamobrem superest, alterum scrupulum labefactare, dequo Alexander quoq; videtur dubitasse; quo modo si ab æstiua conuersione spirat Auster, vt cap. 5. 2. Meteoron dictum est, verum tamen esse posit, cundem flatum à locis, quæ sol non adit excitari; enimuerò æstiuam conuersionem solem adire ipsemet confitetur Aristoteles, scribens motionem à conuersionibus esse, & ad conuersiones. Cui grauissimæ dubitationi ita putauimus satisfaciendum; quod sententia sit ipsius, solem vna loca illa non ἐπέρχεσθαι, id est quemadmodum ipsemet declarat, de solis cursu sermonem habens, οὐκ ἀεὶ φέρεσθαι, id est non semper ferri super ea: vnde sensus erit, plurimos Aquilones, & Austros ab vrsa, & meridie oriri; quoniam sol vrsam, & meridiem non ἐπέρχεται, id est non sic adit vt feratur quotidie ad illa, quemadmodum ad ortum, & occasum: quo fit, vt sint loca, ad hunc solis cursum verè πλάγια, lateralia videlicet, veluti in hoc contextu inquit Theophrastus. Quod verò superius addebamus, solem loca æstiuæ conuersioni subiecta, & ea ex quibus Auster excitatur, non attingere tantum, sed etiam pertransire; eo quod illum terræ tractũ, qui inter æstiuum circulũ, & Aequatorem continetur, peruadat, & pertranseat: quem docente Alexandro æstiuæ conuersionis nomine philosophus dignatur, hoc nil pariter officit; enimuerò non fertur quotidie super illa sol, nec semper, atq; hoc sensu negat Aristoteles, solem loca illa adire, immò cum non sit semper, super eam partem, à quã nobis Auster, ex Aristotelis sententia exoritur; non tollit hoc, vt doctè com. 33. docet Alexander, licet solis cursui pars illa subijciatur, quin, & pluuiæ, & niues locis illis fiant, ex quibus Austri excitentur. Alexandri autem hæc est oratio.

Asi-

» Afsignat deinde caufam, quare plures flant fpiritus à locis,
» quæ circa vtfam funt, quàm ex oppofitis ad hæc, meridio-
» nalibus fcilicet: afferit autem huius rei primam quidem ef-
» fe caufam, quoniam pars orbis terræ, quam habitamus, ad
» hunc locum vergit, ac feptentrioni proxima eft: quicunq;
» enim illinc flant fpiritus, manifefti nobis, ac minimè qui-
» dem latent. fecundam autem, inquit effe caufam, propte-
» rea quia ad illas quidem partes tanquam longè exiftentes à
» fole, multò plures confiftunt aquæ, & nubes, ac congelantur
» niues. Meridionalia enim loca minus habent de huiufmodi
» congelationibus, cum folis lationi fupponantur: fiunt ta-
» men, & in his fecundum folis receffus (cum non femper fu-
» per eafdẽ meridionales partes exiftat) aquę, ac humidę ex-
» halationes quandoq;, verum non tantę. Obiectio potius altera magis vrget, de qua feci fupra mentionem: folem ex prob. 35. de Arift. fententia inter has regiones videri interiectum, ex quibus Auftri, & Aquilones oriuntur, quod etiam in hoc 4. contextu fentire videtur Theophraftus. Refpondemus tamen breuiter imprę̈fentia vocem ἐφ' ἑκάτερα, ab vtroq; philofopho vfurpatam, nil aliud vtroq; in loco fignificare quàm πλαγίων; neq; enim femper vtranq; partem, vel loca vtraq; dicit, fed interdum, alterum ex duobus, & alterutrum: vnde fententia effe poteft Auftrum, & Aquilonem ex locis, quę ad alterũ ex duobus lateribus curfus folis funt, excitari, & ex altero latere lationis ipfius; quo modo accepta verba nullam habent difficultatem. Refponderi etiam aliter poteft; locum, ex quo dicitur flatus aliquis aduenire, apud Ariftotelem fępifsimè potius cœli tantum tractum, quam exactè locum ipfum fignificare. quod dicimus, notũ erit confiderantibus, philofophum cap. 6. 2. Meteoron, vbi de uentorum pofitione differit, & coordinatione; licet in Gręcia philofopharetur, ea tamen ratione difputationem inftituiffe, ac fi fub æquatore fuiffet: fiquidem fcripfit ab occafu brumali Africum, ab ortu Eurum prouenire; quod quidem, etfi fub æquatore, ac in torrida Zona veritatem habere dicamus, in Gręcia tamen, ac locis noftris, rem ita euenire non poffe, luce meridiana clarius eft,

L vel

vel ipſomet Ariſtotele teſte: enimuerò ſi Auſter, à locis Capricorno ſubiectis, non poteſt nobis exoriri, igitur neque Eurus, neq; Africus, ex locis exactè brumali ortui, & occaſui reſpondentibus. itaq; ortus brumalis, & occaſus, tractus potius cœli tantum, recta illis reſpondentes, ex quibus venti illi nobis oriuntur, dicunt, & terræ partes, tractibus illis ſubiectas, quàm exactè puncta ortus, & occaſus in circulo Capricorni ſumpta: & ſententia eſt, Eurum, & Africum à brumali ortù, & occasù prouenire, quia ex eodem illo cęli tractu, atq; ex eadem parte illa, à quà nobis ſunt ortus brumalis, & occaſus, exoriuntur. ex quibus omnibus patet, etiam ſi diceret Ariſtoteles, Auſtrum ex altero latere ſolis curſus ad nos venire, non tamen ſequi, exactè ex illo Auſtrũ exoriri oportere: ſed ita ipſum eſſe locutũ, quoniam hæc interdum apud illũ, terræ, & cœli tantum tractũ oſtendant, ex quo venti oriuntur; vnde ſententia erit ex altero latere, id eſt ex eo tractu, qui ad alterum latus, curſus ſolis vergit, & ex puncto, qui lateri illo in tropico recta reſpondet, Auſtrum ad nos aduentare: de qua tota quęſtione magnum hominem, & in primis eruditum Franciſcũ Vicomercatum. 2. Meteoron com. 50. acutè philoſophatũ video; cum enim loca ex quibus venti oriuntur contemplamus, ita contemplamus, ac ſi ſub æquatore eſſemus; ideoq; ex vtroq; latere curſus ſolis, ventos ad nos progredi dicimus, verè namq; noſtri reſpectù, Auſtri, Euri, & Africi ex vno latere ad nos veniunt, ſcilicet meridionali: Cæcias, Aquilo, & Argeſtes ex altero, ſcilicet ſeptentrionali; vnde vox ἐφ' ἑκάτερα nil aliud demum dicit, vt ex contextu hoc 4. ſatis clare elicitur, quàm meridiem, & vrſam, & loca ad latera ſolis motus collocata, qui fit ab ortu ad occaſum; atq; ad nos relata, quemadmodum fortaſſe voluit Ariſtoteles, verè duas oppoſitas ſignificabit partes, & latera, ex quorum altero Auſter, ex altero Aquilo ad nos perueniat: vt prætercam ſi Auſtrum ex partibus etiam æquatori ſubiectis oriri concedamus; ſolem verè, & curſum eius, interiectum eſſe inter eos terræ tractus, ex quibus Auſtri manant, & Aquilones poſſe affirmari: atq; hinc vera ſenten-

ſententia, alioqui obſcuriſsima problematis. 35. ſuperius allati enitefcit. Enimuerò contraria, non tam vocat. ibi philoſophus, ni hallucinor, flatus ipſos, vt Auſtrum, & Aquilonem; Subſolanum, vel Fauonium; aut loca, ex quibus veniunt, vt ſeptentrionem, & meridiem; ortum, & occaſum; quàm ſolem, ac humidam materiam, ex qua ipſe ſol exhalationes excernit. vnde cum inquit Ariſtoteles contrarium ſuperatum, κατ᾽ εὐθυωρίαν, à ſuo contrario, minus poſſe permanere, intelligit humidam materiam ſolis itineri ſubiectam, & ſic à ſole κατ᾽ εὐθυωρίαν ſuperatã, citius, faciliusq; abſumi; vt ex ea paucæ propterea exhalationes excernantur. κατ᾽ εὐθυωρίαν enim ſuperat ſol illam, id eſt recto tramite, quia recto tramite, id eſt ſemper, & quotidie ſuper illam fertur, ac iter facit: etenim hoc eſt quod ſuperius cap. 4. 2. Meteoron ipſe dixit, ſolem ἀεὶ φέρεσθαι, id eſt ferri ſempet ad ortum, & occaſum. at ſi non κατ᾽ εὐθυωρίαν ſuperetur contrarium à contrario, ſed vt addit Atiſtoteles ἐκ τοῦ πλαγίου, id eſt ſi ſol materiam hanc ad latera habeat, non ſuo curſui ſubiectam, tunc, quia non adeo facile eam abſumat, quin potius maiorem illius copiã coaceruari permittat, maiorem etiam exhalationum copiã excitabit; quę res cauſa eſt crebrioris, vehementioriſq; flatus, Auſtri, & Aquilonis, ac diuturnioris. Itaq; cum Ariſtoteles concludit, alios ventos, ἐκ τοῦ κατ᾽ ἀντικρὺ excitari, non intelligit mea ſententia cæteros aduerſos occurrere, vt Theodorus in conuerſione voluit; quaſi reliqui contrarij ſint inter ſe, non Auſtri, & Aquilones: enimuerò cap. 6. 2. Meteoron demonſtratum eſt, non minus è diametro ſpirare, & ex conſequenti non minus aduerſos Auſtros, & Aquilones, quàm Subſolanos, & Fauonios; ſpirãt enim ex locis contrarijs, id eſt ex maximè diſtantibus, & per diametrum: ſed voluit dicere alios ex locis curſui ſolis ſubiectis exoriri, Aquilonẽ verò, & Auſtrum, ex lateralibus; nam, & cum τὸ πλάγιον dicit flatuum potius contrarietatem, ac oppoſitionem, quã hanc locorũ, reſpectù curſus ſolis diuerſitatem, Subſolani etiam, & Fauonij dicuntur ab Ariſtotele πλάγιοι ſpirare; „ vnde prob. 26. ſcriptum inuenimus, ὁ γὰρ ζέφυρος, καὶ ὁ

„ εὖρος ἀπάγουσιν ἄμφω, ὁμοίως γὰρ πλάγιοι. id est ex Theodo-„ ro. Nam, & Fauonius, & Eurus nubes abigit, quippè qui, ex latere pari modo proueniant; quod tamen prob. 35. de his ventis negare videtur Aristoteles. Verum de his hactenus, satis enim fuerit hæc impresentia disputasse, vt intelligamus, quid, meridie nomine veniat in hoc contextù audiendum; iniuriaq; reprehensum hac in re fuisse Aristotelem. Hinc verò omnia etiam alia, quæ Valeriola aduersus ipsum affert, facillimè labefactantur; cum enim philosophus inquit cap. 6. 2. Meteoron, in coordinatione ventorum Austrum ab opposito loco flare, intelligit, per oppositum locum, partem nostram meridianam, atq; diametrum sumit, vt subtilissimè Franciscus Vicomercatus com. 50. 2. Meteoron animaduertit, in Horizonte non totius terræ, sed nostræ tantum partis habitabilis, quę ad septemtriones, intra circulum arcticum, & tropicum Cancri posita, continetur; siue verius dixeris in Achaico Horizonte: atq; id satis est, vt è diametro spiret Auster, aduersus Aquilonem. Item quod ait Cęciam, non Austrum flare ab æstiua conuersione Aristotelem voluisse, hoc omnino aborret à veritate; voluit enim philosophus ab ortu æstiuali flatum hunc nobis occurrere, Austrum verò voluit ab æstiua conuersione, scilicet à locis æstiuæ conuersioni subiectis ad nos fluere; sunt autem duo hæc tam longe inter se diuersa, vt nihil magis. Demum quod addit, Aristotelem sui immemorem asseruisse, nullum ventum ab æstiua conuersione flare, cum tamen dixerit inde spirare Cæciam; hoc delirantium somnium est, atq; figmentum; tantum enim abest, vt loco illo, què iste citat, dixerit Aristoteles nullum à conuersione æstiua ventum flare, vt maximè inde flare ventũ asseruerit; quod, vt ostendam verba ipsa adduco, ab vno tantum Alexandro intellectà, à latinis plurimis perperam conuersa, ita enim
„ loquitur ibi Aristoteles ὅτι μὲν οὖν ὁ νότος οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ
„ ἑτέρου πόλου πνέων ἄνεμος, δῆλον. ἐπεὶ δ' οὔτ' ἐκεῖνος, οὔτε ὁ
„ ἀπὸ χειμερινῶν τροπῶν. δέοι γὰρ ἂν ἄλλον ἀπὸ θερινῆς εἶναι τρο-
„ πῆς, οὕτω γὰρ τὸ ἀνάλογον ἀποδώσει, νῦν δ' οὐκ ἔστιν. εἷς γὰρ
„ μόνος φαίνεται πνέων ἐκ τῶν ἐκεῖθεν τόπων, ὥστ' ἀνάγκη τὸν ἀπὸ"

κε-

» κεκαυμένου τόπου πνέοντα ἄνεμον, εἶναι νότον. Quorum verborum sententia est, vt explicat Alexander com. 31. quod neque ventus ille, qui spirat à brumali conuersione, possit esse Auster, qui ad nos peruenit, quoniam si ventus aliquis nobis inde occurreret, cum oporteat alterum rursus exoriri ab æstiuali quoq; conuersione, vt seruetur proportio, iam duo venti ex locis illis aduenirent: at hoc inquit Ari-
» stoteles, νῦν δ' οὐκ ἔστιν, scilicet, nunc autem non est, nempè non videmus, duos ventos flare ex locis illis, sed vnum tantum, Aquiloni contrarium, quem Austrū dicimus; quemadmodum longinqui temporis vsu, & periclitatione percepimus, itaq; necesse erit hunc vnum ventum, qui ab æstiua conuersione, & loco exusto nobis spirat, Austrum esse, ac subinde Austrum, ab æstiua conuersione initia ducere. Sic
» ergo perspicuum est verbis illis Aristotelem, νῦν δ' οὐκ ἔστιν, non quidem dicere, vt obscurè, ac præter illius mentem in-
» terpretatus est Vicomercatus, aliique multi, nunc autem
» nullus est, ventus scilicet, qui ab æstiua conuersione spiret: sed, nunc autem non est hoc, quod scilicet deprehendatur, duos ventos, ex locis illis flare; alterum à brumali, alterū ab æstiuali conuersione; quam veritatem inter latinos vnus Suessanus ex Alexandro didicit, ac annotauit. Item vide-
» mus non sic addere Aristotelem altera illa δέοι γὰρ ἂν ἄλλον
» ἀπὸ θερινῆς εἶναι τροπῆς. tanquam absurdum aliquod colligere velit, vt sensus sit, quemadmodum transfert Vicomer-
» catus. Alium enim ab æstiua conuersione esse oporteret; quasi si nòn ponamus alium à brumali flare; ab æstiua alium hunc spirare non oporteat: sed proponit, tanquam magis consentaneum his verbis Aristoteles, oportere alium ventum flare ab æstiua conuersione, quia si statuamus vnum à brumali exoriri, multo magis alterum ab æstiua excitari sit concedendum: enimuerò sic, vt ipse subdit seruabitur proportio; quemadmodum nanq; Suessanus addit, & rectè, sol sicut se habet ad brumales conuersiones, ita & aliquando ad æstiuas: quamobrem dubitari non potest, quin ex ea quoq; ventum alium commoueat; itaq; duo ex locis illis flarent; at hoc repugnat experientiæ, vnum enim tan-

tum

rum dimanare ex eis obseruetur: igitur ab æstiua conuersione tantum, tanquam è loco nobis proximiore. Quod verò ponit tanquam clarum Aristoteles, duos ventos è locis illis nobis non spirare, sed vnum tãtum, quodnã alicui videri posset obscurum, inde habere firmitatem arbitror; quia cum sol ingreditur Aquarium, non solum Etesiæ Australes non spirant ita continenter, veluti Aquilonares, cum idem Leonis initium tenet; sed nullo modo spirant, etsi sol distantiæ ratione in Aquario existens, eandem habeat ad brumales versiones proportionem, quam habet ad æstiuas, cum in Leone reperitur: quę res argumento est, vnum tantum ventum nobis è latere meridionali ex vno tantum loco exoriri. Perspicuum autem ex his est, quemadmodum superius dicebamus, falsum omnino esse, Aristotelem sui immemorem asseruisse, nullum flatum ab æstiua conuersione excitari: clarum quoq; est, aliud prorsus esse Cęciam ab ortu æstiuali oriri, aliud è locis circulo æstiuo subiectis Austrum ad nos venire. Quod vero ad Magium pertinet, quæ ipse addit ex problematibus facile etiam tolli possunt; nam primum omnibus est compertum, vulgares plerunq; aliorũq; opiniones, & populares in libris illis sequi Aristotelem; vt si aliud sentit, vel scribit in grauioribus disputationibus, & in quibus loquitur ex animi sententia, (si etiam assereret Austrum ab altero polo dimanare, quod 2. de dieta placuit Hippocrati,) non sit propterea dicendum, sibi ipsi eum esse contrarium. deinde nil aliud habent ex locis illis aduersarij, si ea ad veritatis lancem appendamus, (etiam ex problem. 17. in quo ab altera vrsa Austrum profluere, Aristotelem sentire, alicui videri posset;) quàm, vt Auster sit in Libya frigidus, tanquam in loco suæ origini propinquus; quod etiã nõ in problemat. tantũ, sed cap. quoq; 3. 2. Meteoron dixisse visus est, scribens in Libya Austrum serenum esse, & quod redit in idem, frigidum quoque; quod de eodem Austro paulo supra eodem loco confirmauit: docuit enim ipse alibi non semel, omnem flatum, vbi incipit spirare, serenum esse, & frigidum: quod de Austro Libyæ populis sereno, & frigido spirante, Alexander locum enarrans,

com:

com. 14. monuit. At hoc non probat ab altero polo ventũ hunc dimanare; enimuerò Libyę nomine Aristoteles potissimum eum terræ tractum intelligit, qui ab æstiuali circulo ad nos vergit, atq; sub eo collocatur, & circiter; vnde, & Aegyptum origini Austri maxime propinquam esse statuit; vt ex problemate. 44. sect. 26. notum est; quod etiam tex. 8. & 11. huius libelli apertè ponit Theophrastus: Australissimũ enim latus orbis, Arist. cap. 5. 2. Meteoron compertũ,
›› Aethiopia est; quod his verbis ipse testatur. Nam quod ab
›› Herculeis columnis ad terram vsq; Indicam porrigitur; id,
›› quod ab Aethiopia vsq; ad Mæotim, & extremos Scythiæ
›› terminos pertingit, maiori superat proportione, quàm sit
›› quinq; ad tria: atqui inter Aethiopiam, & nostras regiones, partem illam mediam interiectam esse, quam ipse Libyã appellare consueuit, ac Aegyptum multo magis, satis per se est perspicuum. itaq; si Austri ortus in Lybia est, si Aegypto quamproximus; longius distat illius origo à polo altero, quàm à locis nostris, quoniam longius abest Aegyptus, & Lybia ab altera vrsa, quàm à nostra; vt illi, qui vel leuiter sphærica elementa, & cosmographica attigerunt, facile norunt. Sentitur autem frigidus in Libya Auster statim cum incipit, quoniam non desunt illic montes, qui niues etiam interdum habeant, ex quibus Austri gigni possint; nec pluuiæ desunt, quibus terra madefacta, & mox calescens radijs solis, exhalationes mittat ad loca superiora; quemadmodum nauigationum libri noui Orbis ostendunt; quod non latuisse etiam Aristotelem, & superius demonstratum est; & ex prob. illo 17. in codice Theodori, in Græco vero 15. de quo dubitabamus, latissimè probatur: etenim inquit ibi perspicuè philosophus, Libyæ Austrum non minus esse frigidum, quàm locis nostris Aquilonem, sic enim
›› scribit, atq; Africæ, scilicet Austri, non minus frigidi, quã
›› regioni nostrati Aquilones: hoc autem ideo euenit vt dicebamus, quia proxima Libyæ est origo Austri; vnde statim cum incipit frigidus lòcis illis afflat: nec tamen pugnat id cum eo, quod mox in eodẽ problemate subdit Aristoteles, Austrum ideo calidum esse, quia aeri Libyæ miscetur, qui

calidus

calidus est: etenim, vt supra diximus, cùm ortus est hic flatus, non multò post progrediens, incalescit ob feruorem regionis; vt enim eleganter tex. 23. huius libelli docet Theophrastus, etiam si frigidus antea ventus flauerit, nihilominus, aeris, quem ingreditur qualitatem, statim induit; atque hoc est quod 2. de dieta monebat diuinus Hippocrates, in Libya Austrum esse calidum, & preterea siccum, quod etiam cap. 3. 2. Meteoron sensit Aristoteles, quia cum per solis iter spiret, & continentem, humiditas ipsius à sole ebibitur, & flatus resiccatus rarescit; nobis verò rursus calidum, & humidum, quia pelagus transit, & tanquam calidus, ac rarus existens, multam haurit humiditatem, eamq; ad nostra loca affert. quæ Hippocratis sententia mirificè Aristotelis verba explicat, alioqui obscurissima. Dicendum namque est Austrum in Libya tùm frigidum esse, tùm calidum; frigidū in primo sui ortu, calidum, cum iam misceri incipit Libyco aeri, atq; tunc etiam siccum esse quemadmodum docuit Hippocrates; cum vero mare Africum ingreditur, ob vim maximam, & calorem, ingentes in eo fluctus excitare, cumq; humiditatem plurimam hauriat, & vapores, non calidum tantum, sed maximè humidum ad loca nostra accedere, quemadmodum diuinè diuinus senex explicauit: vnde ,, cum inquit citato problemate Aristoteles. θερμὸς δὲ ἐστι διὰ ,, τὸ μίγνυσθαι τὸ πνεῦμα τῷ κατὰ λιβύην ἀέρι θερμῷ ὄντι: καὶ ,, διὰ τοῦτο μεγαλοκύμων, νοτίζειν ποιεῖ το θ.ρος ἐμπῖπτον τὴν ,, θάλατταν. non est sententia, nisi fallor, vt vetus censuit ,, Interpres, qui Aristotelis orationem ita transtulit. Calidus ,, autem est, propter id, quod commiscetur ventus aëri calido ,, existenti iuxta Libyam: & propter hoc magnas facit vndas, ,, turbare facit æstate cadens in mare. Neq; enim video qua ratione verba illa, νοτίζειν ποιεῖ, turbationem vllam hic possint significare. Nec rursus sententia est, vt Theodorus ,, expressit, qui ita locum est interpretatus. Calidus autem ,, propterea est, quia spiritus aeri Africe miscetur, qui calidus ,, est. hinc etiam in mare erumpens ingentes excitat fluctus, ,, facitq; Australem æstatem. Enimuerò quomodo Auster in mare erumpens Australem facere possit æstatem non video, & qua-

& qualis sit eiusmodi æstas, non inuenio ab Aristotele declaratum: sed sensus est Austrum calido Libyæ aeri admixtum, cum erumpit in mare, ob vim suam, & calorem ingentem, fluctus maximos excitare; mox quia mare traijciat, ac ob siccitatem, & calorem suum rarus antea factus plurimã humorum copiam hauriat, multa humiditate regiones nostras, in quas illabitur, implere; quemadmodum diuine docebat Hippocrates; quod verbis illis νοτίζειν ποιεῖ potissimum ostendisse credimus Aristotelem; quamobrem oratio
» tota ita erit fideliter transferenda. Calidus autem est, quia
» spiritus illius miscetur aeri Libyco, qui calidus est, & ob id
» magnos fluctus excitãs humida omnia reddit, æstate in ma
» re irruens. exprimit autẽ inter omnia anni tempora nominatim æstatem Aristoteles, inquiens τὸ θέρος, quia facit id æstate potissimum Auster; sol enim tenens æstiuam conuersionem, Libyæ loca maximè calefacit: vnde, & aër Libycus tunc temporis multò est vrentior, ex quo, & Auster, cũ ob id calidior, siccior, & rarior reddatur, ampliorem etiam humorum copiam de mari trahit: atq; hic agnoscere possumus, rectè à Gellio cap. 22. lib. 2. dictum esse; Austrum græcè Notũ nominari, quoniam est nebulosus, atq; humectus, νότις verò græcè humor nominatur: ducit enim à verbo νοτίζειν nomen; quod in fragmento Aristotelis de ventorum positione, & denominatione inuenio quoq; explicatum; quo loco alia etiam Noti origo habetur, quod scilicet νότος
,, dicatur, quia νοσώδης. verba hæc sunt. Νότος δὲ ὁμοίως πα-
,, ρὰ πᾶσι καλεῖται. τὸ δὲ ὄνομα διὰ τὸ νοσώδη εἶναι. ἔξω δὲ
,, κάτομβρον, κατ' ἀμφότερα δὲ νότον. id est vt ego interpretor.
,, Notus eandem retinet apud omnes nomenclationem. no-
,, men verò ductũ est, quia νοσώδης sit, id est insalubris, quin
,, etiam, & locis exterioribus pluuius, vtroq; verò modo No-
,, tus. Sed vt ad nostra redeamus, quod Auster ob Libycum aerem calidus reddatur, problemate etiam. 26. licet obscurè, repetitum inuenitur à Præceptore: querit namq; Aristoteles ibi, quare Auster, & Subsolanus, quem de more Eurum nominat, cum calidi sint, nihilominus magis pluuij sunt, quàm contrarij flatus, scilicet Aquilo, & Fauonius;

cum tamen contrarium esse oporteret, quia aqua vi frigiditatis ex aere fiat, vnde venti frigidiores, pluuij ob id magis esse deberent: quod si dicamus Aquilonem serenum esse, nubesq; & pluuiam apud nos non gignere, quia nubes expellat, id non videtur quaestionem labefactare; enimuerò eas Fauonius quoq; & Subsolanus abigunt, & expellunt, ac omnes demum alij flatus, ex locis vnde spirant, quapropter hac de causa, sereni omnes esse deberent, siquidem hæc est
,, sententia illorum verborum, οὐ γάρ, διὰ τὸ ἀπωθεῖν τὸν βο-
,, ρέαν ἐντεῦθεν, γίνεται τὰ νέφη, quæ dum ita vetus Interpres
,, conuertit, non enim prò eo quod impellit Boreas huc nu-
,, bes: scopum non attingit: ac longè magis ab eo recedit
,, Theodorus, locum ita interpretatus. haud enim quod Aqui
,, lo nubes hinc pellit, idcircò aqua non prouenit, etenim hoc pacto diceret Aristoteles causam verã serenitatis in Aquilone non esse hanc, quia nubes expellat; cum tamen contrariũ passim scripserit, & docuerit. vnde Alexander com. 14.
,, 2. Meteoron. Quoniam autem inconueniens videri posset,
,, quod cum frigidus, & humidus Boreas quidem sit, non ta-
,, men pluuiosus existat, sed serenus magis, huius rei causam
,, subdit, eo enim quia nubes propellit serenus est hic. quam-
,, obrem sic oratio est transferenda. Nubes enim non fiunt
,, quia Aquilo hinc expellat; quasi diceret Aristoteles, quod si inferas Aquilonem serenum esse, quia hinc expellat; hæc causa, & Fauonio, & Subsolano, ac alijs etiam flatibus communis est: vnde hoc dubitationem non tollit, cur inter hos ventos frigidiores sereni, calidiores pluuij preter rationem esse videantur. Hæc cum dixisset Aristoteles Austrum præter alias causas pluuium esse concludit, quia aerem calidũ
,, secum afferat, ita enim scribit ὁ δὲ νότος λήγων ὑδατώδης.
,, ὅτι ψυχρὸς ὁ πρῶτος φερόμενος ἀὴρ ἀπὸ τῆς θαλάττης. ὁ δὲ
,, τελευταῖος διάθερμος, ὃν ἀπὸ τῆς γῆς κομίζει. id est Auster au-
,, tem desinens pluuius est, quoniam aer, quem ipse primo ad
,, nos de mari affert, frigidus est, ille verò quem postremo ad-
,, ducit, calidus, quem ex terra deportat. Siquidem ita ego verba interpretor; & lego non ἄν, vt habent omnia exemplaria sed ὃν κομίζει. atqui postremum aerem; quem calidum

secum

secum afferre Austrum ex terra dicit Aristoteles; à nulla alia terra, quàm à Libyæ continente, certum est, Austrum accipere posse: itaq; calidus in hoc quoq; problemate ponitur in Libya Auster ab Aristotele, quod probandum sumpseramus. Nec tamen ulla est in eo contrarietas, si frigidū ibi flatum hunc esse etiam statuit, quemadmodum superius ostendimus; etenim pars quoq; ad Austrum vergens, vt ipse prob. 52. testatur, confirmatq; Theophrastus tex. 39. huius libelli, adeò montuosa est; vt niues glaciesq; ei non desint ex quibus Austri excitati, frigidos in sui ortus initio se præbeant. nam & hoc est quod idem cap. 5. 2. Meteoron notabat de Austrinis Etesijs disputationem habens, loca illa glaciem habere, & humidam materiam, ex qua hi flatus oriuntur, licet non tantam, quemadmodum cap. 6. admonuit, notauitq; com. 33. Alexander, quanta ad Aquilonem congregatur; vnde cum ad finem 5. capitis scribit locum, ex quo Auster oritur non habere aquas ob solis propinquitatem, quæ διὰ τὴν τῆξιν, id est ob liquationé faciant Etesias, non est simpliciter intelligendum, ipsum negare, materiam conglaciatam illic non reperiri, quod quidem, & ante, & postea concesserat, verum sententia est, locum illum non habere materiam tantam, quæ possit facere Etesias, veluti partes Aquilonares; Etesias inquam continuatos, non per interualla spirantes, vt sunt Etesiæ illi, qui veniunt ab vrsa nostra. quamobrem non respondet his verbis Aristoteles aliter ad quæstionem motam, cur Austri Etesiæ post solstitium hybernum non fiant, veluti censet com. 49. Vicomercatus; nunquam enim negauit Aristoteles Austros Etesias fieri, sed cum accepisset, eos fieri post brumalem conuersionem, & ttia de Austrinis Etesijs pronunciasset, videlicet minores illos esse, quàm Etesias Aquilonares, tardius spirare, tertio ac postremo non ita continuatos: minoresq; & non adeò continuatos ideò flare dixisset, quia tū, quæ in summa telluris parte extant, tantum secernantur; tardiores verò, quia sol, dum brumalem tenet conuersioné, longius à loco, ex quo oriuntur, distet: cum inquam hæc omnia dixisset Aristoteles primum, vt ea magis declararet,

quæ de eorum ortus tarditate dixerat, statim de origine Austri instituit disputationem; docens ab æstiuo circulo eum ad nos manare, vt iam verissime dictum ab eo videatur, si inde etiam Australes adueniunt Etesiæ, solem, cum circulum lustrat Capricorni, ab eorum origine longissime abesse: quibus demonstratis addit ad reliquorum duorum probationem, loca ista non habere aquas, neq; pabulum, scilicet tantum, quod possit Austrinos Etesias adeo continuatos gignere, & vehementes, sicuti Aquilonares esse sensuum fide experimur. quamobrem pertinent verba ad posteriorẽ quæstionis partẽ, cur scilicet Etesiæ Australes non sint adeo cõtinuati, & vehemẽtes; nõ autẽ ad quęst: illã, cur Austri post solstitium hybernum Etesiæ non fiant, vt credidit Vicomercatus. Patet autẽ ex his quam lõgè aberrauerit Valeriola, dũ in hoc altero reprehẽdit Aristotelẽ, quod veram causam, quare Austri frigidi in Libya sint, non attulerit: neq; enim, inquit hic vir, ob id Auster Libyam incolentibus frigidus est, quod illis sit propior; nam si suapte natura calidus hic ventus esset, vt idemmet Aristoteles voluit, & à loco terrarum exusto spiraret, vt etiam idem supra affirmauit, quo propior illis esset, eò profectò calidior appareret: quanto enim vnumquodq; origini suę propius est, tanto naturã qualẽ habet magis repręsentat; vnde Auster Libycis, tanquam sitũ vicinioribus, calidior appareret; sed ideo frigidus locis illis Auster est, inquit Valeriola, quod tali sit ipse qualitate præditus, ob loci vnde spirat naturam, quæ frigidissima est, nempè polus alter ad quem nunquam sol adit. Sunt inquam omnia hæc longe à veritate aliena; nam si Auster à polo altero exoriens ad Libyam perueniret, quo modo totam torridam zonam pertransiens, circulum inquam Capricorni, & Aequatorem, calidus Libycis non aduentaret? Certè non potest hoc non fateri Valeriola, qui Austrum in Libya frigidum, ad nos calidum peruenire scribit, quoniam in itinere calescat. Itaq; nulla alia potest esse Libyci Austri frigiditatis causa, præsertim cum locus sit calidus natura, quàm sui ortus vicinitas; nam, & ob id serenus etiam Libyæ Auster spirat, quod com. 14. 2.

Meteo-

Meteoron his uerbis docte expressit Alexander ad mentem
„ Preceptoris. Quemadmodum autem, inquit, Boreas se-
„ renus est apud nos, sic & Auster circa Libyam, vnde oritur,
„ vbi rursus Boreas pluuiosus existit. Quam sententiam cla-
rissime rursus explicatã prob. 49. inuenio, quo loco docet
Arist. Austros in Libya frigidos esse, vt apud nos Aquilo-
nes; quia, vt nobis Aquilonum origo, sic Libyæ Austrorum
propior est; flatum enim omnem per angustum propiori-
bus extrudi, ideoq; propter vehementiam sui motus, illis
occurrere frigidiorem. Poterit igitur Auster in loco exu-
sto, scilicet in Libya exoriri; & tamen cum incipit flare,
frigidus esse, quia pluuiæ ingentes ibi fiant, nec desinr eti-
am, & glacies, & loca montuosa, vt superius ostendimus,
vnde Libycis in sui ortus initio frigidus apparebit; in no-
stra verò loca calidus aduenit, quia mox ob regionis cali-
ditatem in Libya quoq; calescit, ac mare traijciens, & cali-
da loca, ad nos humidus, & calidus peruenit: nam & hoc
est quod cap. 3. 2. Meteorõ dicitur, ex locis proximis plu-
rimum Austrum accipere siccę exhalationis, ideoq; calidũ
euadere, quibus ostendit. nõ longe à sua origine permuta-
re qualitatem. Quæ verò in problematib. leguntur, Austrũ
ab altero polo ortum ducere demonstrantia, facile rollun-
tur ex superioribus; nam, & quod habetur prob. 32. sci-
licet decimam quintam à brumali conuersione diem Austri-
nam esse, etsi longiori egeat disputatione, cum totum pro-
blema illud mendis sit coinquinatum, ac plurimam habeat
difficultatem: dicimus tamen nil cogere, quin Austros ab
æstiua conuersione initium dicamus habere, id est, vt ex
Alexandro docebamus, ex ea terræ parte, quæ inter Aequa-
torem est, & circulum æstiuum. Siquidem ideo decima
quinta à brumali conuersione die, sol interdum Austros ex-
citat, quia Aequatori, & æstiuo circulo tum proximior fa-
ctus, iam potest sua inde vi exhalationes, si mareriã idone-
am inuenerit excitare: atq; eodem sensu accipiendæ sunt,
quæ prob. 15. dicuntur, Austrum scilicet hyeme flare, atq;
ineunte vere, & cessante autumno: quia sole propinquo
spiritum moueri necesse est, sol autem per hyemem Austrũ
versus

versus fertur, & ineunte vere adhuc loca calefacit, vnde Austri oriuntur, desinente verò autumno iam calefacere eadem incipit: sol enim Capricornũ tenens, ac iam ad nostras reuertens regiones, situm obtinet opportunum, ad Austros, ex locis inter Aequatorem, & æstiuum circulũ existentibus, commouendos: neq; enim est valde remotus, neq; maximè propinquus; eademq; ratio viget, cum desinente autumno illos mouet; vere autem ineunte, idem potest efficere, & si magis appropinquet, quia loca ob illius absentiam humore redundantia, materiam calori eius suppeditent ad Austri ortum: vnde non cogunt hæc, vt Austrũ ab altero polo confiteamur exoriri, quemadmodum etiam alio loco à nobis vberrime est demonstratum. Demum tota hæc annotatio, quæ longe nimis scholij magnitudinem excedit, hoc vno concludenda est; à versione æstiua Austros nobis exoriri, firmissimum illud esse argumentum ab ipsa re desumptum; quod idem net testatur Aristoteles sub finẽ quinti capitis 2. Meteoron; nempè in Australi extra Libyam mari, nec flare Notos, neq; Aquilones: sed horum ventorum loco Subsolanos ibi, & Fauonios plurimos spirare; quam veritatem Nauigationum noui Orbis libri mirificè comprobant, ac patefaciunt, qui idem testificantur, ac prętere a nostrum Aquilonem loca illa nunquam, aut rarissimè peruadere: vt in ea parte, quæ inscripta est Nauigatio ad Insulam sancti Thomæ, videre est, atq; in prælectione in Iamblici nauigationem, in primaq; epistola Andreæ Corsalis. quibus omnibus in locis perspicuè habetur, regiones, & maria Aequatori subiecta, non Austris, & Aquilonibus, sed Fauonijs, & subsolanis perflari; adeo, vt in Africo mari, & Indico, à Maio Mense vsq; ad Octobrem occidui flatus perpetuo dominentur, alijs sex mẽsibus Fauonij, quod totum citato loco Aristoteles quoq; indicauit: res profectò mira vetustissimum philosophum, cui incompertam fuisse regionum illarum naturam, sicuti, & omni vetustati, ætas nostra credidit; tàm verè, tàm subtiliter, qui flatus locis illis spirent, qui non spirent, qui ad ea non penetrent, pronunciare potuisse.

Aia

διὰ τὸ συναθεῖσθαι πλεῖστον ἀέρα.) Dixit hoc Aristoteles citato loco 4. cap. 2. Meteoron: διὸ τὰ νέφη συνίσταται ἐν τοῖς πλαγίοις, id est quam ob causam nubes ad latera coguntur.

ἐξωθεῖσθαι) Turnebus emendat ἐξωθεῖται.

τῇ τοῦ ἡλίου δυνάμει.) Notandum calorem solis, & lumen Theophrastum hoc loco δυνάμιν appellare. de qua re nos alibi disseruimus.

καὶ πλείων ἡ ῥύσις.) Franciscus Vicomercatus Vir doctissimus in com. super 2. Meteoron com. 38. locum hunc adducens Theophrasti, ῥύσιν interpretatur aeris fluxionem: possumus tamen, & commodè aquarum fluxum, & pluuiarum intelligere; nam & hoc indicat Theophrastus scribens fieri ibi aerem πυκνότατον, & συνεφέστατον, id est maxime densum, & nubilum; cum enim plurimæ nubes ad loca illa congregentur, pluuiæ cadunt ingentes, vnde, & aquarum fit ῥύσις, vt cap. 4. 2. Meteoron docet Aristoteles, quibus terra madefacta, plurimas locis illis gignit exhalationes, ex quibus Austri oriuntur, & Aquilones.

ἐφ ὧν.) Restituendum cum Turnebo ἀφ ὧν, ac plurimũ notanda sunt tria illa μεγέθη, συνέχεια, & τὸ πλῆθος, id est Magnitudo, continuitas, & multitudo; magnitudo enim, & pluralitas ventorum ex multitudine prouenit exhalationum; continuitas quia continuè exhalationes generentur.

Super Tex. 5.

ἡ δὲ ψυχρότης) De magnitudine, & exiguitate locutus textu quarto, nunc de frigiditate, & caliditate instituit disputationem, ostendens ratione locorum ventos induere has etiam qualitates, vt verissime tex. 3. dictũ esse probet, ventos à locis ipsis differentias omnes, & vires accipere.

τὸ δ' ἐφ' ἑκάτερον.) Restituit Turnebus, & rectè ἀφ' ἑκατέρων. locorum, scilicet tùm Australium, tùm Aquilonarium.

ἅμα γὰρ καὶ ἧττον ἐκπεπταμένα.) Legendum cum Turnebo ἀναπεπταμένα. estq; locus is ob miram breuitatem obscurus, in quo philosophus noster de more voces, vt arbitror, omittit necessarias, ac nobis relinquit subaudiendas:

das : accedit ad obſcuritatem, loci deprauatio. Cæterum nos, quibus ſine magna neceſsitate, manifeſtiſq; indicijs contextum immutare, religio eſt, locũ ipſum, vt impreſſus habetur, intactum relinquentes, ſic ſupplendum eſſe augu-ramur.. ἅμα γὰρ καὶ ἧττον ἀναπεπταμέναι. ſcilicet χώραι τοῦ σύνεγγυς, ſcilicet τόπῳ. καὶ ἀναπεπταμένη, ſcilicet ἧττον φορά; legendum nanq; eſt φορὰ in recto. Quod ſi hoc pacto locus ſuppleatur, ſententia perſpicua erit, qualem expreſsimus in verſione. ventus enim, qui ex proximis locis oritur, quia minus apertam tranſit regionem, & propterea quaſi per anguſtum locum venit, frigidus ſpirat; coacervatus enim ob loci anguſtiã, flat vehementius; vnde aerem frigidum magis mouet, atq; hac de cauſa frigiditatem contrahit; nam, & hoc eſt quod Theophraſtus hoc loco inquit. τὸ δὲ διὰ στενοῦ, καὶ σφοδροτέρως φερόμενον, ψυχρότερον. legendum enim eſt mea ſententia. ψυχρότερον; non ψυχρότερα, vt perperam habent impreſſa omnia exemplaria. quod ſi longius progrediatur flatus, tunc remittitur eius vis, hebetaturq; frigiditas, & incaleſcit ventus, quemadmodum hic apertè teſtatur Theophraſtus. Vt autem facilius agnoſcatur nos veram contextus huius ſententiam attigiſſe, locũ ſubijciam Ariſtotelis ex prob. 49. in græco codice, in latino verò. 51. qui hunc mirificè illuſtrat. ita enim ſcribit Philo-
„ ſophus ſecundum Theodori interpretationem. Cur Auſtri
„ frigidi in Africa ſunt, vt apud nos Aquilones? Primum quia
„ vt nobis Aquilonum origo, ſic Africæ Auſtrorum propior
„ eſt: Nam ſi, vt dictum eſt, flatus per anguſtum extrudi ſo-
„ leant propioribus, certè frigidiores occurrent, propter ve-
„ hementiam ſui motus; quam diffundi, hebetariq; neceſſe
„ eſt, cum ſe longius protrahit, qua de cauſa Aquilones fri-
„ gidi apud nos ſunt: colimus enim propius imò iuxta ipſos
„ ſeptentriones. Nonnulla etiam inuenies in eandem ſententiam in prob. 40.

διὸ καὶ ὁ νότος ἐκεῖ ψυχρότερος) ἐκεῖ, ſcilicet πρὸς μεσημβρίαν ad meridiem. at loca ad meridiẽ dixit eſſe calida, quo modo ergo poteſt ibi Auſter eſſe frigidus? An qua ratione, & frigidus, & calidus ſpiret locis illis Auſter, ſuperius declara-

tum

tum est? nulla igitut est contradictio.

καὶ ἡ μεταβολὴ πρὸς φαντασίαν) Arbitror hic dicere φαντασίαν sensum ipsum, vt cap. 7. p. Meteoron, & ad finem problemat. 32. non est tameu facile videre, quid his verbis voluerit Theophrastus; sed si liceat ariolari, duplicem crederem sententiam esse posse: primo, vt dicat mutationem aliquid addere, scilicet cum sit mutatio ex vento calido in frigidum, quoniam magna sit vis mutationis, vt ob mutationis naturam, frigidior etiam ventus sentiatur; verum parum posse id, nisi etiam natura loci auxilietur. Secũdo potest quoq; tacitæ cuidam dubitationi occurrere; non enim locus tantum à quo ventus oritur, videtur causa esse caliditatis, vel frigiditatis ipsius, sed etiam aer: si enim calidus aer fuerit per quem transit ventus, etiam si ex propinquo adueniat, & per angustum, calidus erit: ait ergo, mutationem aeris aliquid operari ad phantasiam, scilicet ad sensationem; sed tamen naturam loci concurrere oportere. atq; hoc pacto ad vocem illam, μεταβολὴ, subaudienda erit altera, τοῦ ἀέρος.

Super Tex. 6.

τὸ δὲ ὕετιον.) Dixerat magnitudinem, & exiguitatem; frigiditatem, & caliditatem: hæc inquam quatuor, ad loca esse, tanquam ad suas causas reducenda. Nunc idem de pluuijs, & serenitate docet; ac notandum nullam Theophrastum de hyberno, & tranquillo habere mentionem, quoniam, vt monuimus superius, χειμερινός flatus, aut pluuius, aut frigidus, aut magnus est, aut tria hæc simul habet; contrarias qualitates εὐδίεινος. legere autem oportet problema.7.& 56. atq; cum hoc contextu conferre, vt plenius omnia intelligantur; verba enim non semper apponam, ne tedium legentibus afferam; atq; satis plerunq; erit loca indicasse.

ἑκάτερον.) Restituir Turnebus ἑκάτερων.

καὶ πυκνόν, καὶ συνεχές.) Arbitror hic vocare πυκνόν Theophrastum, quod tex. 2. dixit τὸ πολλάκις πνεῖν. vt enim ex com. 19. 2. Meteoron Alexandri elicio; in exhalatione, &

N flatù

flatū πολλάκις, & πυκνῶς idem dicunt. τὸ συνεχὲς verò refertur ad vnum ventum, qui non ſpiret per interualla, ſed continuus: vnde contrarium huius ex textu 3. eſt τὸ διαλεῖπον: ſicuti prioris τὸ ὀλιγάκις.

ἐρχομένου.) Emendo cum Turnebo ἀρχομένου.

περὶ τὴν ἐπίςασιν) ἐπίςασις poteſt hic dicere locorum inſpectionem, & conſiderationem. Idem tamen Theophraſtus cap. 21. p. de Plantarum cauſis ἐπίςασιν, & ἐπιῤῥοὴν coniungit, vocemq; hanc interpretatur Theodorus, acceſſum. Capite verò 11. 2. libri, quo loco vtitur eadem Theophraſtus; Theodorus eam interpretatur, conſiſtentiam: inquit enim eo loco Theophraſtus vetos διὰ τὴν ἐπίςασιν exaſperare arbores, & nodos facere: quod ſi, vt cap. 4. eiuſdem libri dictum eſt, magis minus vè pro ſitu regionis flatus vires capeſſunt; iam poterit vetus διὰ τὴν ἐπίςασιν, id eſt ob ſitum, & poſitum exaſperaſſe, & feciſſe nodos: quo ſenſu hic arbitror dicere Theophraſtum, omnes haſce differentias ad locorum poſitum eſſe referendas.

ἀπολύει μᾶλλον.) Turnebus legit ἀποκλίνει; fortaſſe ἀπολιδοῖ.

ὅπου δ' ἀπαθεῖς) Lego ἀπαθεῖ cum Turnebo. Hanc verò ſententiam mirificè illuſtrant, quæ cap. 4. 2. Meteoron ſcripta ſunt, inquit enim ibi Ariſtoteles, Aquilonem τῷ ἀπαθεῖν ſerenum eſſe, quod cap. 6. ab codem repetitum eſt; atq; hinc cauſa elucet, cur ad montes ferè ſemper, atque ad eorum vertices nubes ſint, & pluuiæ.

καὶ ἀνατολήν.) Poſitum eſt hoc, ob Eteſias Aquilonios, quos flare ab occaſu æſtiuali veteres arbitrabantur: vnde orientē verſus incolētibus, pluuios eſſe hos flatus oportet.

πῶς εἰπεῖν.) Lego ὡς εἰπεῖν: hic enim loquendi modus Theophraſto familiaris.

ἐξ ἐκείνου τοῦ τόπου. *) Supplēdus ſtellatus locus mea ſētentia, hac voce, ἄνεμοι.

Super Tex. 7.

τὸ τὰς χώρας.) Ariſtoteles prob. 52. ſic τὰ μὲν γὰρ πρὸς βορέαν καὶ νότον ὄρεινα, id eſt loca ad Auſtrum, & Septentrionem

trionem montuosa.

ἀλλὰ περὶ μὲν ὑδάτων.) Sententia huins contextns clara est ex superiotibus. Scripsisse verò Theophrastum de aquis, testatur Laertius in ipsius vita.

Snper Tex. 8.

ἐκ τῆς αὐτῆς δ' αἰτίας.) Nimirum à locis ipsis habent flatus, vt magni, cum incipiunt, spitent, vel cum desinunt: legeteq; est ptob. 18. 19. 26. 39. 41. 45. sect. 26. de eadem hac quæstione, cut Austet desinens magnus sit, Aquilo incipiens.

ὅθεν καὶ ἡ παροιμία.) Prouerbium tale etat, vt ex proble-
» mate 45. constat. εὖ πλεῖν ἀρχομένου τε νότου, καὶ λήγοντος
» βορέαο, id est secundissimè nanigatut, cum Auster incipit, cumq; Aquilo desinit.

ὁ μὲν γὰρ εὐθύς.) Causam continent hæc, cur Aquilo statim cum incipit magnus spiret; quam Præceptot in hunc
» modum problem. 39. cxprimit. ὁ μὲν οὖν, ὅταν ἄρξηται, εὐθὺς
» παρ' ἡμῖν, id est alter igitur (scilicet Aquilo) vt ptimum exortus est, nos statim occupat.

ὁ δὲ μακρὰν ἀφέστηκε.) Cansa cut Austet desinens magnus sit; quæ eadem etiam est, quare incipiens paruns ad nos veniat. Diuinus vir sic elegantissime allato problemate.
» τοῦ δὲ, scilicet τοῦ νότου, ἅτε διὰ πολλοῦ χρόνου ἡ ἀρχὴ διασ-
» κεδάννυται, καὶ πρὸς ἡμᾶς μικρὸν ἀφικνεῖται αὐτῆς τὸ πρῶτον,
» id est interprete Theodoro. Alter suo disperso principio, vt
» potè diù pertracto, exiguus ad nos ptimum deuenit.

καὶ ὅταν ἀθροισθῇ πλῆθος.) Aliquid supplementi desiderari in hac oratione alioqui obscurissima, & breuissima perspicnum est. Continet autem hæc causam cur flatus, qui longius absunt, cum cessant, magni spirent: nam pars alte-
» ra, quæ præcedit orationis χρονιώτερα δὴ τῶν ἄπωθεν ἀπόρ-
» ροι, id est at vero diututnior est eorum, qui longius sunt
» effluxus; simpliciter ac per se sumpta, potius videtur reddere rationem, quare flatus, ac subinde Auster incipiens exiguus sentiatut: Enimuerò quia χρονιώτερα, id est, vt dixit prob. 39. Aristoteles διὰ πολλοῦ χρόνου est ἀπόρροι,

& ἀρχῇ, diù videlicet pertracta motio, & principium, ac venti corpus; propterea dispergitur principiũ ipsum, exiguumq; idcircò ad nos primum deuenit. vnde merito subdit Theophrastus, vt doceat cur Auster in fine magnus sit, & cum cessat, καὶ ὅταν ἀθροισθῇ πλῆθος; nam huius rei caussa proposita erat inuestiganda. Sententia igitur est, & cum multitudo collecta fuerit exhalationum, tunc magnus fit effluxus. Supplendum enim μεγάλη, scilicet ἡ ἀπόῤῥοή. At in fine spirationis, copia hæc colligitur exhalationum, igitur in fine magnus Auster, exiguus in principio. Quod si caussam quæras, cur in fine è contra Aquilo exiguus sit, eã citato problemate, his verbis affert Aristoteles secundum
» Gazæ interpretationem. At finem alterius sentimus, alte-
» rius minimè: itaq; merito alter imbecillus cum cessat est,
» (omnium nanq; finis imbecillus est) alter validus. Finem
» enim istius nihil præterea sentimus. Finem inquit Aristoteles spirationis Aquilonis sentimus, Austri non sentimus; at omnium finis imbecillus est, igitur meritò Aquilonem in fine exiguum percipimus. Neq; enim Aponensis audiendus est, qui allatum problema explicans, arbitratur de Aquilone dictum esse, nos finem ipsius nil præterea sentire,
» vnde ita scribit. in Borea vero contrarium accidit; omni-
» no enim non sentimus ipsum circa finẽ insufflationis eius.
» Et paulo post, & quia Boreas, vt dictum est prius est imbe-
» cillis, non sentitur in fine etiam si perflet. Affirmat nanq; hoc, non negat de Aquilone, vt dicebamus, Aristoteles; & dicit quoniam ventorum omnium finis imbecillus est, nos verò finem percipimus Aquilonis, ideo in fine exiguum esse Aquilonem. Et profectò quo modo negare possumus, nos finem Aquilonis non sentire, si imbecillum eum percipimus? omnis enim flatus cum in fine spirationis est, imbecillus est; & è contra: quamobrem cum imbecillum ventum sentimus, iam finem ipsius sentimus, at Aristoteles dicit manifestè Aquilonem nos sentire imbecillum. Verum aduersus hæc, quæ dicta sunt de magnitudine, & exiguitate tum Austri, tum Aquilonis, magna sese offert silua dubitationum. Primum enim quod inquiunt Aristoteles, &

Theo-

Theophraſtus Auſtrum imbecillum à nobis ſentiri, quia è longinquo veniat, multumq; temporis iam ſpirauerit, hoc parum firmitatis videtur habere; ſi vera ſunt, quæ ipſemet docet cap 4. 2. Meteoron: ſcribit nanq; eo loco philoſophus idem de ventis contingere, quod de fluuiorum principijs, ac fontibus; & propterea ventos omnes, vbi exoriuntur, ibi imbecillos eſſe, cum verò longum iter peragrarint magnos, ac illuſtres; verba hæc ſunt. Multis porrò exhalationibus paulatim coeuntibus eos exiſtere, non aliter ac amnium fontes, terra humorem ſcaturiente fiunt, re etiam ipſa perſpicuum eſt, vnde enim quiſq; ſpirat, ibi omnes minimi habentur, progredientes autem longius, illuſtriores ſpirant. hactenus Ariſtoteles. Sequitur autem ex his Auſtrum ingentem admodum ad nos accedere oportere, quia è diſtanti terræ tractû veniat. Secundo ex iiſdē verbis nutat cauſa de Aquilonis magnitudine allata; ſi enim in noſtris locis oritur Aquilo, igitur exiguus, & imbecillus eſſe debet; ſiquidem inquit Ariſtoteles, ventos omnes exiguos eſſe eo loco, vnde flare incipiunt, atq; in principio ſui ortus; ex quo teſtatur ibi Ariſtoteles, ad Vrſam hyeme ventorum ſilentia eſſe, & tranquillitates, eadem de cauſa; qui enim flatus ibi exiguus tum ſpirat, & ob imbecillitatē latet; mox vltra progrediens, & ad loca diſtantiora, ventus iam illuſtris euadit, & magnus, vt ipſe ſubdit: quæ ſententia mirificè iis, quæ de Aquilonis magnitudine in ſui ortu dicta ſunt, videtur aduerſari. Tertio, ſi vt problem. 39. ſcribitur, finis omnium ventorum eſt imbecillus, quo modo Auſter, cum ceſſat, magnus à nobis ſentiri poteſt? nam quando ceſſat, iam τελευτὴν adipiſcitur: at τελευτὴ omnium ἀσθενὴς, id eſt finis omnium imbecillus. Ex quo, & quarto dubitatur, qua ratione potuerit aſſerere Præceptor, nos finem Auſtri non percipere; ſi enim ceſſationem ſentimus, igitur, & finem. Quinto; problemate 24. videtur dicere philoſophus, vētos omnes in fine magnos eſſe, & cauſam affert: non ergo poterit Aquilo in fine ſentiri exiguus. Reſpondemus breuiter, (quoniam alio loco vberius hæc tractanda ſunt) ad primam dicendum eſſe, de ventorū exiguitate,

-guitate, & magnitudine verè ab itineris longinquitate esse iudicandum: triplici enim distinctione opus est; nam vel locum ipsum, in quo omnino incipit oriri flatus, consideramus; vel locum parum ab hoc distantem, vel longo seiũctum interuallo. Si ptimo modo locum accipiamus, verum est imbecillissimos esse ibi flatus; sicuti, & fontes ex quibus amnes oriuntur, exiguam emittere aquam videmus: atq; hoc sensu dictum est ab Aristotele, ventos sub Vrsa exiguos esse, & prę imbecillitate latere: si secundo modo, cũ scilicet flatus in vicinis ab ortu locis spirat, & paululum progressus, tunc verum est ipsum ingentem, ac illustrem euadere: si tertio modo, vbi nempè longissimum iter peregerit, iam tunc denum ad imbecillitatem priorem redit; quia venti corpus itineris longinquitate dissipetur, ac dispergatur; quamobrẽ nulla est contradictio: Auster nobis exiguus in principio occurrit, quia locum inuadit tertio modo sumptum. Aquilo magnus, quia secundo modo. Hanc ego solutionem cum per me inuenissem, illam postea à Vicomercato viro doctissimo 2. Meteoron com. 40. tactam inueniens, mirificè sum lætatus. Hinc nullo negocio secundam etiam labefactamus, arbitrantes non esse cum Aponensi consentiendum; qui, cũ hasce forsitan dubitationes versaretur animo, ac præsertim quintam, in commentarijs suis super prob. 39. inquit, totum hoc, quod de Austro, & Aquilone dicitur, tum aliorum ventorum comparatione, tũ Aquilonis ad Austrum relatione esse intelligendum, scilicet quod magnus alter, exiguus alter in principio sentiatur: omnes enim ventos, ac subinde Austrum quoque, & Aquilonem in principio exiguos, in fine verò magnos flare; verum quia Auster paulo minot alijs, Aquilo paulo maior in principio exoriatur; item quia Aquilo cum Austro comparatus maior adueniat, ideo hæc de huiusmodi flatibus affirmari. quæ profectò interpretatio, longè magis, quàm principium Austri à nobis, distat à vera huius loci intelligentia; cum Aristoteles non aliorum flatuum comparatione, non comparatione Austri cum Aquilone, alrerum ingentẽ, alterum exiguum flare in sui ortus initio dicat; sed quia

simpli-

ſimpliciter, & per ſe id eis conueniat. Dubitationi igitur ſecundæ occurrentes, dicendum erit, quod pertinet ad Aquilonis ſpirationem, locum ſecundo modo ſumi; ideoq; ad nos magnum ipſum peruenire. Tertiam dubitationem tollimus ex eo, quod aliud ſit omnino finis venti, quem τελευτὴν appellat Ariſtoteles; aliud ceſſatio, quod λήγειν idem vocat. Ratio enim eſt vt ventus vbi incipit, ibi verè deſinat, & finem ſuum recipiat, vnde Auſtri ſentimus ceſſationem non autem finem: finem enim Libyci habitatores potius ſentient, ex quo, & cum locis noſtris ceſſat Auſter, illis adhuc ſpirat. at è contra, quia Aquilonis origini proximi ſumus, finem eius percipere poſſumus, de fine autem ſimpliciter ſumpto, non de ceſſatione pronunciat Ariſtoteles, finem omnium eſſe imbecillum, atq; ex his quarta etiam diluitur. Ad quintam, ac poſtremam dicimus, problema illud non eſſe vniuerſaliter intelligendum, cæteroqui falſum eſſet; loquitur enim ibi Ariſtoteles, de nonnullis ventis, qui finientes magni ſpirant, quia exhalatio ipſa, venti corpus, ſimul tota effunditur, & quaſi expirat, de qua re vidère eſt contextum 48. huius libelli; vnde tex. 36. Theophraſtus, pluribus ventis, non omnibus commune eſſe notat, vt in fine magni ſentiantur.

τοῖς γὰρ περὶ αἴγυπτον.) Vide quo modo Auſtri originē in Aegypto eſſe velit Theophraſtus, vt ab æſtiua conuerſione ventum hunc dimanare vnà cum Præceptore omnino credat; nam, & ibi magnum, & frigidum eſſe ſcribit, quemadmodum apud nos Aquilonem: quamobrem delirant omnes, qui arbitrantur Ariſtotelem, ab altero polo oriri nobis Auſtrum aliquando aſſeruiſſe.

* δὲ τὰ πόῤῥω.) Turnebus optime ſupplet ſtellatum locū, & ſic reſtituit τοῖς δὲ τὰ πόῤῥω.

καὶ κατ' ἄλλους τρόπους.) Mirum eſt quo modo tam Aldini codices, quàm Baſilienſis τρόπους habeant: reſtituendū τόπους. ac ſententia eſt, haſce omnes allaras differentias, ſcilicet quod venti alij, alijs ſint magni, æquales, continui, & è contra: non ſolum, ratione locorum tam longè diſtantium habere veritatem; vt ſunt loca meridiana, & aqui-

Aquilonia, principes inquam nostri orbis partes; sed etiam locorum, quæ minus distant ratione: quibus indicat forsasse Theophrastus, vernaculos, & indigenas ventos easdem differentias sortiri posse.

Super Tex. 9.

τουτὸ δ' οὖν καὶ ἀνάλογον.) Videntur librarij dixisse sacramentum, vt in hoc libello omnes, pro veris falsa supponerent. Perperam igitur habent exemplaria, tria hæc, οὖν, δόξει, ἀνάλογον; pro quibus Turnebus, admirabili sua illa εὐστοχίᾳ qua tantum valuit, rectissime restituit, τουτὸ δ' ἂν καὶ δόξειεν ἄλογον. Et pulchte quidem quasi absurdum inquit Theophrastus se narrare. videtur enim duplici ratione absurdum, & præter rationem, quod Aquilo proximis locis interdum hyeme fit nubilus, & pluuius: nam dictum est, ventum omnem è propinquo serenum esse, præterea Aquilonem proportione Austro respondere; talis enim nobis esse debet Aquilo, qualis Auster suis: atqui Auster suis semper locis serenus est. Itaq; vt omnem tollat absurditatem, causam aperit; non enim potest esse ἄλογον, quod λόγον habet.

τοῖς ἑαυτοῦ τόποις.) Libyæ, scilicet & Aegypto.

ὁ δὲ βορέας, ὅταν ᾖ χειμὼν μέγας.) Aristoteles problemate vltimo eleganter hanc de Aquilone proponit quæstionem, & dissoluit, quod etiam facit breuiter cap. 6. 2. Meteoron
» his verbis, de Aparctia Thrascia, & Argeste. Aparctias, au-
» tem Thrascias, & Argestes, quod è loco proximo ortum ha-
» beant, in alios maximè incidunt, eosq; fedant, hiq; omni-
» um maximè crebri ac validi spirant; ob eamq; causam, om-
» nium maximè sereni sunt. Nam cum ex propinquo spirent,
» vim inferentes, & reliquos flatus sternunt, & nubes con-
» cretas expellentes, serenitatem inducunt, nisi fortè etiam
» frigidi fuerint. Siquidem sereni tum nō sunt. Si enim ma-
» gis frigidos, quàm vehementes esse cōtigerit, antea gelant,
» quàm repellant. Hæc Aristoteles ex quibus etiam colligimus ipsū, Boreæ nomine, allato problemate, quemadmodum etiam hic Theophrastum, Aquilonares omnes flatus intel-

intelligere.

ἐν μὲν τοῖς πλησίον συνεφὴς, ἔξω δ' αἴθριος.) Hinc non leuem coniecturã captare possumus Aristotelici problematis propositionem mendo non carere: habent enim tùm impressi,
,, tùm manuscripti omnes codices, διὰ τί οἱ βορέαι μεγάλοι τοῦ
,, χειμῶνος ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις ἐπινεφέλαις, ἔξω δὲ αἴθριοι; At non dubito ego horum Theophrasti verborum auctoritate permotus, pro eo quod est ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις, id est in locis frigidis, esse restituendum ἐν τοῖς πλήσιον τόποις, id est in locis vicinis: nam Theophrastus inquit ἐν μὲν τοῖς πλήσιον συνεφὴς, quod est penitus idem: quinetiam aduerbium ἔξω, quod in problematis propositione sequitur, ostendit precessisse πλήσιον: praeterea paulo infra inquit Aristoteles ἐγγὺς δὲ μᾶλλον ψυχροὶ, id est proximè verò frigidi magis, & mox ἔξω δὲ τῷ μεγέθει, & c. id est extra autem magnitudine, & c. quae series verborum non suadet tantum, sed cogit omnino, vt nostram recipiamus emendationem. Demum quid sibi vult Aquilonem in frigidis locis esse nubilum, extra serenum? nil profectò mea sententia: nam & loca in quibus spirat serenus Aquilo, quae ἔξω vocat Aristoteles, frigida quoq; sunt, & dici debent; nos enim ferè sub vrsa habitamus; vt non semel ipse admonuit. Quod si per loca frigida nostras regiones intelligamus, & septentrionem; per externa loca, regiones oppositas, & meridiem: sententia omnino falsa erit, cum probatum sit tex. 6. huius libelli, Aquilones locis meridionalibus perpetuò esse pluuios. Hinc factum esse reor, vt Theodorus vir alioqui grauissimus rei difficultate permotus, omnino praeter interpretis fidem transtulerit aristotelicam orationem; facit enim duo quaerere Aristotelem in sua conuersione: cur locis frigidis Aquilo per hyemem vehemens sit: deinde cur proximè nubilus, transuorsum liquidus, & serenus. cum tamen quaerat tantum philosophus, cur Aquilo hyeme magnus spirans, vicinis locis nubilus, extra serenus sit; vnde,
,, & dum altera illa verba ἢ ὅτι ἅμα ψυχροί εἰσι, καὶ μεγάλοι,
,, sic interpretatur. An ratione qua frigidus, eadem vehemẽs
,, sit? & obscuriorem reddit Aristotelis rationem, & mentem

O fortasse

fortasse illius non attingit; sententia nanq; est, quemadmodum etiam in præsenti contextu explicat Theophrastus, Aquilonem, & magnum simul, & frigidum spirare; sed vicinis locis frigiditate magis agere, quàm magnitudine: extra è contra magnitudine magis, quàm frigiditate; propterea proximè nubilum esse, extra, serenum. Quod verò addit Aponensis in Commentarijs aduerbium ἔξω, non solum loci, sed etiam temporis rationem habere, interpretatur enim extra hyemem, & extra loca circa polum; omnino est contra Aristotelis sententiam: quærit enim ipse, vt vidimus, cur Aquilones per hyemem in proximis locis nubili interdum, extra verò sereni sint, non autem cur per hyemem nubili, alijs vero temporibus sereni appareant.

τοῦτον δὲ φθάνει.) Effectus magnitudinis est, quod multum aeris moueatur, & expellatur; sed, vt concrescat aer ante expulsionem, cuius nam est opus, & effectus? non sanè magnitudinis, sed frigiditatis. hoc igitur est, quod postremis verbis illis inquit Theophrastus, ἡ ψυχρότης διαδίδοται, καὶ τοῦτο ἐργαζομένη. Aquilonis.n. frigiditas operatur concretionem hanc. clarius sic Præceptor citato problemate, & elegantissime. ἢ ὅτι ἅμα ψυχροί εἰσι καὶ μεγάλοι. ἐγγὺς δὲ μᾶλλον ψυχροί. ὥστε φθάνουσι πηγνύντες πρὶν ἀπῶσαι τὰ νέφη, id est vt ego interpretor. An propterea quod frigidi simul sunt, & magni. proximè autem frigidi magis, quare preueniunt coagulantes, priusquam nubes expellant.

καὶ προσωτέρω τοῦ μεγέθους.) Emendo cum Turnebo τὸ μέγεθος.

ἡ ψυχρότης.) Lego ᾗ, vt sit explanatina particula non articulus. est enim sententia extra, & locis remotioribus, Aquilonem magnitudine magis, quàm frigiditate operari.

Super Tex. 10.

ἀλλ' ἀπωθῶν.) Codex Basiliensis ita habet, & perperam. Aldinus rectè legit ἀπωθεῖν. Contextus autem hic clarus est, & causam explicat, quare vicinis etiam locis Auster perpetuò serenus spiret. Vna tantum esset diluenda dubitatio, ac ea quidē perdifficilis, quæ ex verbis oritur Theophrasti:

phrasti: videtur enim ipse totam causam cur Auster pluuius sit, ad magnitudinem illius referre, ita vt exiguitas causa esse debeat (cum contrariæ contrariorum sint causę 2. de ortu, & interitu) vt Auster serenus spiret, quod, prob. 19. & 38. videtur Aristoteles voluisse. Itaq; in Austro magnitudo hæc pluuias, in Aquilone faciet serenitatē; quod censeri posset absurdum, præsertim cum Aristoteles prob. 26. aliam in Austro præter magnitudinem, pluuiarum causam agnoscere videatur. Verum quia dubitatio hæc 2. lib. de Hippocratica Anni ratione satis superq; à nobis explicata est, quo loco tota Austri natura ex Hippocrate, Aristotele, & Galeno aperitur, ideo ibi eam dissoluisse satis fuerit.

ὑετιώτερος δ᾽ἀεὶ τοῖς πόῤῥω.) Si dixit superius tex. 9. Austrum esse suis locis perpetuò serenum, quo modo potest hic dicere ipsum esse ὑετιώτερον ijs, qui longius absunt, cū magnus spirat? si enim magis pluuius illis, ergo, & proximè pluuius? Dicamus igitur loco positiui, ὑέτιον, vocem esse positam, quemadmodnm Ioannes Grammaticus, & Olimpiodorus primo Meteoron cap. p. in Aristotele de voce ἀτακτοτέρον annotarūt. neq; enim hoc loquendi genus philosophis est insolens. Nā, & idem Aristoteles prob. 26. Austrum, & Eurum ὑδατωδεστέρους appellat, cum tamen, non tam magis plunios, quàm pluuios simpliciter Aquilonum respectu, qui sereni sunt, dicere eos velit. Præterea alia obiectio oritur; videtnr enim hic Theophrastus per loca vicina, intelligere regiones, Austri origini, propinquas, Libyam, scilicet, & Aegyptum: per τὰ πόῤῥω, & loca remotiora, nostras regiones; nam, & nostris locis Auster pluuius est magnus spirans, & cum deficit: vnde in superiori quoq; contextn per τὰ πλήσιον, loca nostra, & septentriones; per τὰ ἔξω, Meridionalia erunt intelligenda: ex quo, & perperam dictū videbitur à nobis, Aristotelis problema esse mendosum, cum rectè, & congruenter septentrionalia loca frigida possint appellari. Respondemus veram causam serenitatis, vt superius Aristotelis autoritate, tùm ex problematib. tùm ex 2. Meteoron ostendimus esse hanc, quod ventus nubes è loco aliquo expellat, siquidem dicebat 2.

,, Meteoron Ariſtoteles. καὶ ἀποφυσῶντες τὰ συνιστάμενα νέφη,
,, ποιοῦσιν αἰθρίαν, id eſt, & nubes expellentes, ſerenitatem ef-
,, ficiunt: vnde magnitudo concauſa potius erit; adiuncta enim vento, qui expellit, citius, & facilius ſerenitatem pariet. Atqui non poteſt ventus nubes expellere, niſi è locis ſuę origini propinquis; vt enim tex. 6. huius libelli docet illuſtriſsima ſententia Theophraſtus, vnuſquiſq; ventus quò ex loco ſpirat, & exoritur, ibi eſt ſerenus; itaq; remotis locis ſemper pluuius erit; vnde Theophraſtus citato loco teſtatur, quo ventus aerem repellit, & nubes; ibi pluuium omnino eum eſſe, & nubilum. Hoc poſito non poſſumus in ſuperiori contextu, quod etiam ibi dicebamus, per τὰ ἔξω, loca meridionalia intelligere; ita enim quo Aquilo nubes pellit, & affert, ſerenus eſſet, quod fieri nequit. Dicendum igitur loca, quæ πλήσιον vocantur, habere tamen aliquam latitudinem, vt eorum aliqua magis proxima ſint, aliqua verò remotiora, ſed nihilominus propinqua, ſi abſolutè loquamur, & ſimpliciter; ſententiamq; eſſe Aquilonem locis proximioribus interdum eſſe pluuium: remotioribus, ſed vicinis tamen, eſſe ſerenum: Auſtrum verò ſuis locis, ſiue hæc propinquiora ſint ſuæ origini, ſiue remotiora, perpetuò eſſe ſerenum. quod vt indicaret Theophraſtus, contextu ſuperiori dixit Auſtrum τοῖς ἑαυτοῦ τόποις, id eſt ſuis locis eſſe ſerenum, moxq; quaſi loca hæc ventorum diuidens, ſubdidit Aquilonem è contra ſuis locis talem non eſſe, ſed proximioribus pluuium interdum; remotioribus verò ſerenum: quibus patet, dum ſermo eſt de Aquilone, ſemper eſſe quæſtionem intelligendam de locis, quæ Theophraſtus ventorum propria appellat. In hoc verò contextu loca Auſtri propria τὰ πλήσιον dicit, atq; arrepta occaſione, cur Auſter locis alienis, noſtris videlicet, quę alia voce τὰ πόῤῥω appellat, ſit pluuius oſtendit; vnde nulla eſt contrarietas.

ἢ ἀρχόμενος μὲν ὅτι ἀρχόμενος.) Particula μὲν poſtremo loco eſt reponenda cum Turnebo; & ſic legendum ἢ ἀρχόμενος, ὅτι ἀρχόμενος μέν.

ἢ μείζονος ἀρχῆς ἄρχεσθαι. Quod ἀρχὴν hic dicit, ſupra vide-

videtur appellasse ὕλην; non possumus tamen intelligere per τὴν ἀρχὴν, & ὕλην simpliciter hic exhalationem, quam Aristoteles 2. Meteoron cap. 4. ἀρχὴν, & φύσιν spirituum, & ventorum omnium esse docet, & rectè, siquidem non potest esse principium, nisi, vt materia, ipsa exhalatio; forma nanq; venti alia est, vnde infra tex. 15. ὕλη nil aliud est Theophrasto, quã exhalatio, ex qua constant Etesiæ. enimverò cũ dicat Austrum materiam hanc expellere, nõ cogere; si per materiã exhalationẽ intelligeremus, Auster se ipsum expelleret, & cogere posset, quod est absurdum, & contra Præceptoris opinionem; qui 2. Meteoron cap. 4. aliam venti, aliam pluuiarum materiam esse aduersus veteres probauit. Itaq; debemus per τὴν ὕλην, & ἀρχὴν totum aerem motum vna cum exhalatione intelligere. quod Aristotelis est problemate 46. & 56. qui depulsum sic à ventis aerem, qui vertatur in nubes, videtur ὕλην appellare. quin problem. 26. quod magis est, ventos ipsos Eurum, scilicet, & Austrum, concrescere, atq; in aquam consistere, dicere videtur. verba hæc sunt ὅταν οὖν ἔλθωσιν, (subaudiendũ ὁ εὖρος
„ καὶ ὁ νότος) εἰς τὸν ψυχρότερον τόπον, ταχὺ πήγνυνται. καὶ συνίστανται εἰς ὕδωρ. i. cum igitur frigidiorem locum adierint
„ compendio concrescunt, atq; in aquam consistunt; quoniam igitur antea dixerat ferri ab Euro de ortu, ab Austro de meridie calidũ aerẽ, idcircò ait hos vẽtos, aerem, scilicet vt ego interpretor ab illis latum, cum frigidiorem locum adierit, concrescere.

Super Tex. 11.

κατὰ ταύτην τὴν αἴγυπτον.) Aristoteles problemate 44. eandem mouet quæstionem, cuius autoritate constat legendum esse κατ' αὐτὴν τὴν αἴγυπτον, non κατὰ ταύτην, vt in æditionibus inoleuit. Nexus autem huius contextus cum superioribus talis est; quoniam superius affirmauit autor, Austrum, cum oritur, proximis locis, vt in Aegypto magnum spirare, veluti ex contextu præsertim. 8. patet; nonnulliq; inueniebantur, qui aut nullo modo, aut leniter flare hunc ventum in Aegypto scribebant; idcircò hoc loco dubi-

dubitationem hanc tollit, & quando id veritatem habeat, docet.

εἰς θάλατταν.) Legerem τὰ εἰς θάλατταν, nam Aristoteles habet τὰ πρὸς θάλατταν, & de ora maritima, non de mari sermo est.

μὴ δ' ὅσον ἡμέρας ἀπέχοντα.) Ex his perspicuum est, in Aristotelis verbis problematis 44. quæ ita leguntur in exemplaribus omnibus, οὐδ' ὅσον ἡμέρας δρόμον καὶ νυκτός. subaudiendum esse ἄπεχον, & reponendum; est enim loquendi hic modus, ad rei alicuius distantiam ab altera exprimendam. Sic Plinius cap. 13. lib. 4. Quæ appellatur Banomanna abesse à Scythia diei cursu, & c. consimileq; habetur apud Aristotelem 7. Politicorum cap, 10. Itaq; sententia est tùm Aristotelis, tùm Theophrasti; Austri originem longè minus diei, ac noctis cursu abesse ab Aegypto, ideoq; Austrum Aegypto vicinum exoriri. Sequitur enim ex his magnum ipsum spirare ibi oportere, quoniam omnis ventus vicinis locis ingens spirat; quamobrem longè alienum videretur à ratione, si nullus, aut exiguus Auster ibi flaret. Hanc rem non contuens Theodorus, ita transtulit verba Aristotelis. Nec interius iter diei ac noctis. Aponensis arbitratus est, ipsa temporis, non itineris mensuram dicere, in quo flat Auster: vnde voluit Aristotelem asserere, flatum hunc in Aegypto non flare diei, ac noctis vnius spatio, in Memphi verò tanto tempore durare; quàm rectè ambo, alij viderint.

ἀλλὰ τὰ ὑπὲρ Μέμφιδος.) Augent hæc mea sententia dubitationem motam. Si enim circa Memphim, à quà Ciuitate longius distat origo Austri (distat enim, vt dicitur problem. 44. diei, ac noctis cursu, cnm tamen oram maritimam minus ab ea diei, ac noctis cnrsu abesse dictnm sit) si inquã circa Memphim, à quà longius abest sua origine Auster, illustris tamen flatus hic spirat, cur maritimam Aegypti oram, à qua propius abest, magnus non inuadit? Verum hic maxima, & difficillima oritur dubitatio: enimuerò verba illa μὴ δ' ὅσον ἡμέρας, & c. nil aliud dicere posse videntur, quàm distantiam loci, vt monebamus, à quo credebant illi

Austrum

Auſtrum exoriri, ab ipſa Memphi, vel ora maritima: ſed aſfirmat Ariſtoteles allato problemate, Auſtrũ longius abeſſe à Memphi, quàm à maritima ora; vnde ad finem problema-
» tis inquit, ἄνω δὲ καὶ πόῤῥω οἱ τόποι ὑψηλότεροι, id eſt loca
» autem Aegypti ſuperiora, & longiora, eminentiora ſunt, quod totum de locis circa Memphim pronunciatum eſſe nemo in dubium vocare poteſt; nam & huiuſmodi pars Aegypti à Coſmographis ſuperior appellatur, & hac de cauſa dicunt Ariſtoteles, & Theophraſtus circa Memphim Auſtrum ingentem ſpirare; cum enim loca illa eminentiora ſint, neceſſario Auſtrum illuſtrem excipiunt: at eadem hæc πόῤῥω eſſe, id eſt diſtare magis dicuntur ab Ariſtotele, diſtare inquam magis ab ipſo Auſtro, atq; eius origine; neq; enim, vel fingi poterit, vt de diſtantia ab altero aliquo loco ſermo habeatur: cum enim exprimantur quinq; in contextũ, ſcilicet Auſter, Aegyptus, ora maritima, Mare, & Memphis: non poſſumus dicere, diſtantiam tradi Auſtri ab Aegypto, quatenus Aegyptus totam comprehendit, & ſignificat regionem; nam ſic ab extrema ora illius verſus meridiem diſtantia Auſtri ab ea fuiſſet metienda. Neq; diſtantiam Aegypti à maritima ora ſeu mari, & Memphi; hoc enim ridiculum eſſet affirmare: Neq; diſtantiam maritimæ oræ à mari; nam falſum eſt diei, ac noctis curſu à mari illam abeſſe, quæ littore eius terminatur: neq; maris à maritima ora ob eandem cauſam, neq; Memphidos à mari, & ora maritima; quoniam non ſolum diſtantia Memphidos aſsignatur, ſed alia quoque; igitur reliquũ eſt, vt originis Auſtri internallum à Memphi, & ab ora maritima doceatur, dicaturq; Auſtrum non diſtare diei, ac noctis curſu ab ipſa, à locis verò circa Memphim, diei, ac noctis curſu abeſſe. At hoc falſum omnino eſſe demonſtratur; nam ſi oram maritimam dicamus eſſe eam, quam Pelagus Aegyptiacum terminat, ac alluit, vt rationi videtur conſentaneum: tota hæc pars longè magis diſtat ab Auſtri ortu, quàm Memphidis loca; vt potè quæ longius abſit, ſeptentrionem verſus collocata, ab æſtiua cõuerſione, (à qua proficiſci Auſtrum prodidit, Ariſtoteles,) quàm ipſa Memphis: vnde Nili oſtia ſeptem, vbi Ni-

lus influit in mare; ponuntur à Ptolomeo sub lat. grad. 31. 10. ferè; Memphis verò sub lat. grad. 29. 50. Itaq; distabit magis maritima ora ab Austri origine, quàm ipsa Memphis; cum tamen contrarium & velle, & docere videantur Aristoteles, & Theophrastus. Dubitatio hæc, fateor, diù multumq; me torsit; atq; cum amborum philosophorum contextus ita balbutiens sit, vt intelligi facile non queat, suspicatus sum semper locum corruptũ esse, nec post diuturnas cogitationes, & labores, aliquid inuenire potui ad hanc tollendam dubitationem, quod non statim improbaret ani-
„ mus. Apud Theophrastum non leguntur illa καὶ ἀπεχόντι
„ σφόδρον ἡμέρας καὶ νυκτὸς. habet .n. tantum contextus ἀλλὰ
„ τὰ ὑπὲρ μέμφιδος λαμπρόν. vnde possent multò aliter exponi verba, & tolli dubitatio: neq; enim dicit Theophrastus Memphidis loca ab Austri origine esse remotiora. quamobrem ratio dubitandi esse posset, cur Memphidi, quæ proximior est Austro, spiret hic flatus ingens, oræ verò maritimæ, quæ longius ab eo distat, vel nullus, vel exiguus: cũ tamen flatus locis valde proximis imbecillus, longius verò progressus illustris, docente 2. Meteoror. cap. 3. Aristotele, vt superius vidimus, flare soleat; atq; hoc pacto solutio esset, ob loci eminentiam, in proximo ingentem flatum hunc sentiri. Quod verò inquit Theophrastus Aegyptum, id est maritimam oram non distare ab Austro noctis, & diei cursu, quodue recipere posset dubitationem, id ex ijs, quæ infra ab eodem tex. 61. dicuntur, facilè tolli fortasse potest: scribere enim videtur eo loco Theophrastus, falsum esse in Aegypto, id est in ora illius maritima, vt nos interpretamur, Austrum illustrem non spirare: itidem falsum, non abesse maritimam hanc oram, magis quàm diei, ac noctis cursu ab Austri origine. voluit enim dicere, vt reor, Theophrastus, etsi in cauo ora illa posita sit, ex quo, & Austrum plerunq; non sentit; non tamen tolli, quin interdum eo vehementissimo perfletur; quemadmodum concauis, & campestribus locis contingere sæpe videmus. Verum quia apud Aristotelem verba leguntur, & ad problematis finem repetuntur, vbi philosophus eminentiora loca, scilicet Memphidos, longiora

giora esse statuit; idcircò videtur valde dubium, quo modo ea sint explicanda; memini tamen me legisse apud Aristotelem cap. vltimo primi Meteoron; antiquitus Thebas Aegyptum fuisse vocatas, quod etiam apud Homerum constat 4. Odysseæ, & apud Herodotum in Euterpe: vnde suspicatus ex his sum, per maritimam oram, eam Aegypti partem, quam sinus Arabicus alluit, significari forsitan hoc loco posse; cum enim Thebæ sub lat. sint partium 25.50. ac subinde Memphi australiores, poterint fortasse hoc pacto defendi, quæ de horum locorum dicuntur interuallo. Faxit igitur Deus ne vanus atq; ineptus ariolus fuerim. illud etiam quod inquit Aristoteles, Memphidis loca diei, ac noctis cursu ab origine Austri distare, plurimam habet difficultatem, cum Memphis à Syene, ac æstiuo circulo ferè miliaria 400. distet, quod spatium, diei ac noctis cursu confici non posse, certum est.

ὁμοίως δὲ καὶ ἐὰν ἀπέχει) Dici nō potest, quàm mihi molesta fuerint hæc verba, quæ forsitan valde corrupta, atq; non posita suo loco, nullam cum præcedentibus, vel sequentibus videntur habere connexionem, ac totam Theophrasti orationem reddunt obscuram. Sic illorum tamen sententiam concipiendam puto; vt per parenthesim verba legantur, quibus nonnullorum adducat Theophrastus opinionē, qui, etsi tantum, nec longius distare faterentur loca circa Memphim ab Austro, negabant tamen ventum hunc ibi spirare illustrem; quin potius exiguum eum locis illis flare as-
» seuerabant. nam, & huc tendit, quod Plinius lib. 2. cap.
» 47. scribit his verbis. & Austros in Aegyptum penetrare
» negat Fabianus. vnde prò πνεῖ emendaui πνεῖν. neq; potui cum Turnebo consentire, qui prò ἴσως restituendum credidit ἴσος. Interpretationi huic nostræ fauere videtur Theophrastus tex.61. infra, dum scribit falsum esse in Aegypto Austrum illustrem non spirare.

τὸ δ' αἴτιον.) Causam hæc continent, cur maritima ora Aegypti non sentiat Austrum ingentem: & sanè, vt verum fatear, quæ hic de inferiori, & superiori Aegypto dicuntur, allatam superius dubitationem augent; cum inferior

Aegypti pars, Plinio, Ptolemæo, ac alijs sit maritima ora, quam Pelagus Aegyptiacum terminat.

ἐπεὶ τό γε σύνεγγυς.) Hæc omnia, quæ sequuntur, addita sunt ad ostendendum, iure Austrum in Aegypto flare magnum oportere, tanq; loco suæ origini propinquo. vnde concludit rursus Theophrastus, omnia hæc à locis ipsis, vt dixerat superius, ortum ducere.

Super Tex. 12.

ἐπιπνεῖν νότῳ.) Melius τῷ νότῳ. Sententia clara est; queitioq; eadem prob. 47. ab Aristotele tractata.

ἣν μεγί' οὖσαν) Turnebus recte τὴν μεγίζουσαν.

του δ' ἦρος πρὸς μεσημβρίαν.) Turnebus τοῖς δὲ πρὸς μεσημβρίαν optime: ἦρος enim nil potest hoc loco significare.

Super Tex. 13.

πλείστων δὲ ὄντων.) Non satis fuit Theophrasto dixisse tex. 4. & magnos, & continuos, & crebros Austros spirare, & Aquilones: hic enim ordinem esse docet in hac pluralitate; cum omnia naturę opera ordinem habeant: & quis nam sit hic ordo, aperit, paratq; se in hoc contextu, ad quęstionem de Etesijs pertractandam.

ἑκατέρος οἷον τάξις) Turnebus in correctionibus ἑκατέρων. Ego ἑκατέροις lego: mihi enim probatur, quod respondeat vox hæc, τοῖς δὲ νοτίοις. atq; subaudiendum in oratione συμβαίνει, vel tale quid.

ἐν οἷς χρόνοις.) Ordinem patefacit; certa nanq; tempora habent, in quibus spirent, & deficiant.

τοῖς δὲ νοτίοις.) Ordinem aperit Australium, atq; inquit talem ordinem eos esse nactos, vt per hyemem spirent, ineunte vere, ac desinente autumno. & quanquam videtur deesse membrum in periodo alterum, quo Aquilonarium ordo explicetur, nempe τοῖς δὲ βορίοις κατὰ τὸ θέρος, &c. vel tale quid: tamen quia, vt arbitror, totum negocium hic suscipitur à Theophrasto, vt doceat Austros quoq; Etesias fieri; idcirco existimo id, ab eo prætermissum fuisse: tum quia manifestus erat Aquilonarium ordo, vnde satis

fuit

fuit verbis illis πλέιους γὰρ ὡς ἐπίασαν, eum indicasse.

τε καὶ ἀρχομένου.) Restituo ex Præceptore prob. 15. vbi eadem quæstio tractatur, τε καὶ ἔαρος ἀρχομένου. ita enim ipse scribit citato loco, » διὰ τί οἱ νότοι πνέουσι μὲν χειμῶνος » καὶ ἔαρος ἀρχομένου, καὶ μετοπώρου λήγοντος; id est Cur Austri hyeme spirant, ac ineunte vere, autumnoq; desinente? » Quod factum fuisse à Turnebo in correctionibus video, siue ex ingenio, siue quod ipse quoq; locum animaduerterit.

καὶ μετοπώρου λήγοντος.) Non iniuria quis dubitabit, vtrum tria tempora spirationi Australium tribuantur, an duo tantum: videtur enim Theophrastus ad finē contextus duo » confundere verbis illis, quasi vnum significent, καὶ λήγον- » τος μετοπώρου, καὶ περὶ πλειάδος δύσιν ἀνάλογον, id est atq; » cessante autumno, & circa Pleiadum occasum proportio ser » uatur eadem. enimuerò cum autumni finis sit initium hyemis; inciperet verè apud veteres hyems ab occasu Pleiadū, videntur duo hæc tempora in vnum redire. Verum quoniam Aristoteles prob. 15. ea manifestè distinguit, & aliam causam, quare per hyemem spirent Austri, adducere videtur, aliam quare ineunte vere, aliam demum quare autumno cessante, excitentur: quin etiam Theophrastus paulò supra ἀντιδιαστέλλοσιν hyeme factam, ab ea, quam fieri vere, & desinente autumno scribit, videtur seiunxisse; his de causis non incongruè affirmari poterit, tria esse tempora in quibus flare potissimum Austros crediderit antiquitas, scilicet vere ineunte; per hyemem; & autumno deficiente. Quod verò ad verba pertinet, dicendum est, aliud omnino tempus, prioribus illis, & autumno desinente significari, aliud alteris illis, & circa Pleiadum occasum, vt paulo post demonstrabimus. Non est tamen prætereundum, si interpretationem hanc admittamus, tunc, κατὰ χειμενά, dicere tantum posse eam hyemis partem, quæ circa solstitium est hybernū; quam veteres per excellentiam, χειμενά, consueuisse appellare, satis superq; ostendimus in Apologia nostra, in qua pro Theophrasti dignitate, aduersus nonnullos recentiores certatum est. vt enim constat ex problemate 32. & ex opusculo de ventorum signis, decimamquintam diem à brumali

versione Austrinam esse veteres prædicabant; quamobrem meritò, cur hyeme flare soleat Auster, quærit hic Theophrastus, prob. 15. Aristoteles. Item autumno excitari Austros ijdem credidere, de qua re nos plura 2. lib. de Hippocratica Anni ratione; quo loco, quibus temporibus putaret Hippocrates, ac omnis antiquitas flare Austros, & qua de causa, abundè disputauimus. Quod verò ineunte vere Austri spirent, Australes nimirum Etesiæ, quos Leucotos appellant, atq; etiam Ornithias, vt docet 2. Meteoron cap. 5. Aristoteles, omnibus est perspicuum. nam, & hoc est quod citato loco idem monet, die post brumalem versionẽ septuagesima, Ornithias, & Austrinos Etesias excitari: tot enim præteritis à bruma diebus, iam intepescere annum, ac ver incipere, neminem latere arbitror. Spirant autem Ornithiæ, ac Australes Etesiæ in nostro tractù, vt non nullis placet, inter quos Vitruuius est p. lib. cap. 6. à brumali ferè exortù, nempè à loco opposito parti illæ, ex qua Aquilonares Etesiæ excitantur; siquidem ita scripsit citato loco Vitruuius, circa Solanũ Carbas, & certo tempore Or-
" nithiæ; Aquilonares enim Etesias locis nostris, ab occasu
" ferè æstiuali flare, communis sententia est, nam, & Diodorus Siculus rerum antiquarum p. lib. cap. 4. differens de
" Nili inundatione sic testatur. Prætereo (inquit) quod pa-
" lam est, non magis ab Arcto flare Etesias, quàm ab Hespero.
" Non enim Boreas, aut septentrionales venti, sed qui ab
" æstiuo occidente flant, Etesiæ vocantur, quam sententiam
" Vitruuius citato capite sic confirmauit, circa Fauonium
" (inquit) Argestes, & certo tempore Etesiæ: quanquam nõ me præterit, Plinium cap. 34. lib. 18. statuere, Aquilonem à solstitiali exortu exoriri, atq; hunc eundem flatum æstate
" fieri Etesias. cuius hæc est oratio. Nec tamen eum toto
" anno (de Aquilone loquitur) in prædictis timet Agricola.
" Mollit sidera æstate media mutatq; nomen, & Etesias voca-
" tur. quod vtrum verum sit in nostro tractu, & quo modo sit intelligendum, alio loco disputabitur. illud tantum addiderim pro locorum positu ad cœlum, & aspectù, hos flatus ex alia, & alia cœli parte oriri; quod significauit his

verbis

verbis cap. 6. 2. Meteoron, licet obscurissime, Aristoteles.
,, Porrò Etesiæ his, qui occasum incolunt, ex septentrioni-
,, bus in Thrascias, Argestes, & Fauonios (siquidem Septen-
,, trio Fauonius est) transeunt, ab vrsa quidem incipientes,
,, ac in eos desinentes, qui longè absunt, his autem qui or-
,, tum, ad Subsolanum vsq; permutantur. quem locum Plini-
,, us cap. 42. 2. libri sic attingit, Etesiæ noctu desinunt ferè,
,, & à tertia diei hora oriuntur. In Hispania, & Asia ab ori-
,, ente flatus est eorum. in Ponto ab Aquilone, reliquis in
,, partibus à meridie. quam profectò sententiam, licet non-
nulli mirentur recentiores, & refellant; eam tamen, arbi-
tror ego, vt liberè dicam quod sentio, plurimum cum ve-
ritate consentire, atq; cum dogmatibus peripateticis; nam
quod Etesiæ noctu desinant, id non multo post declarat in
hoc libello Theophrastus, & quam ob causam. quod ter-
tia diei hora oriantur, id quoq; congruit cum ratione;
cũ enim liquescente niue hi flatus excitentur, à tertia diei
hora oriri incipiunt, quia sole iam inualescente, tum ni-
ues colliquescãt: nam, & ob id somniculosi à nautis, & de-
licati vocantur, vt Seneca lib. 5. Naturalium quæstionum
cap. 11. narrat, quia, vt ait Gallio, mane nesciunt surgere.
Quod verò in Asia ab oriente spirent, id omnino est ad men
tem Præceptoris; siquidem ipse citatis verbis, orientali-
bus locis Etesias ex Septentrionibus se vertere in Subsola-
nos inquit; Asiam verò ad solem orientem esse collocatam,
neminem latet. idemq; in Hispania contingere, Strabo gra-
uissimus autor testis est locupletissimus, qui 3. Geogra-
phiæ scribit de Posidonij mente, ex Hispania in Italiam re-
deuntibus, Euros Etesias euadere in eo mari, vsq; ad sinum
Sardonicum. quod in Ponto veniant ab Aquilone, ipsimet
fatentur; de alijs verò partibus, in quibus à meridie Etesi-
as scribit Plinius prouenire, longè maior esse quæstio vide-
tur: fortasse enim Plinius per reliquas partes, meridiona-
les, nostris oppositas intelligit, in quibus certum est à me-
ridie Etesias spirare; in nostro enim tractu, ab vrsa spirant
ad Fauonium: atque hoc est, quod autor libelli de Mundo,
,, cap. 3. eleganter ita expressit, καὶ οἱ μὲν χειμῶνος ὥσπερ οἱ

νότοι

,, νότοι δυναστεύοντες. οἱ δὲ, θέρους. ὡς οἱ ἐτησίαι λεγόμενοι, μίξιν
,, ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων, καὶ ζεφύρων. Quæ verba, dum Gulielmus Budeus vir clarissimus ita transfert,
,, Rursus quidam hyeme pollent, vt Austri; quidam æstate,
,, vt ἐτεσίαι qui dicuntur, id est anniuersarij; cinnum quen-
,, dam conficientes septentrionum, atq; Subsolanorum: omnino præter græci codicis fidē, vocē ζεφύρων, Subsolanorū, interpretatur; cum alioqui de Fauonijs ventis, Subsolano, & naturæ, & loci ratione contrarijs, loquatur autor: nisi potius librariorum incuria tantus error irrepserit, cum nō sit credibile literatissimum hominem, atq; in græcis literis ad miraculum vsq; suspiciendum, tam fœdum, ac puerile erratum cōmisisse; sed & quandoq; bonus dormitat Homerus. Quod verò idem autor de Ornithijs subdit, nempè ventos esse quosdam ex Aquilonio genere, verno tempore inualescentes, non pugnat quidem cum Aristotele, si rem diligenter perpendamus, licet maximè pugnare videatur: dicere enim aliquis posset si Ornithiæ Austrini flatus sunt, ac vere spirant, vt superius dicebamus, haud quaquam rectè eos in Aquiloniorum numerum recenseri. respondemus enim nos per Ornithias, autorem illum non Austrinos Etesias, sed Fauonios intelligere, quos vere maximè surgere Aristoteles problem. 31. Theophrastus tex. 39. testantur; quos vè Plinius lib. 2. cap, 47. Ornithias à nonnullis vocitari memoria prodidit his verbis. Fauonium quidam ad vij.
,, Cal. Martij Chelidoniam vocant, ab hirundinis visu: non-
,, nulli verò Ornithiam, vno, & LXX. die post brumam, ab
,, aduentu auium, flantem per dies IX. atq; hoc est quod Co-
,, lumella lib. XI. cap. 2. voluit, dum ita scripsit: X. Cal. Mar-
,, tij leo desinit occidere, venti septentrionales, qui vocan-
,, tur Ornithiæ per dies triginta esse solent, tum, & hirundo
,, aduenit. intelligit enim ipse quoq; septentrionalium nomine Fauonios; siquidem eos ad flatus septentrionales pertinere, quia sunt frigidi natura, docuit 2. Meteoron cap. 6.
,, Aristoteles ita scribens, προστίθεται δὲ τὰ μὲν ζεφυρικὰ τῷ
,, βορέᾳ. id est Fauonij quidem ad Aquilonem adijciuntur. Atq; in hanc sententiam scripsit, vt reor, Ptolemæus libello de

lo de inerrantium stellarum significationibus. x. Cal. Martij Aquilones Chelidonios appellatos incipere, & hirundinem apparere; neq; enim de Aquilone simpliciter, sed de Fauonio hæc omnia sunt intelligenda; quem fortasse vocarunt aliquando Ornithiam, quia ineunte vere spirans, tempus fœturæ auium oportunissimum afferre videtur: vnde Aristoteles cap. 2. lib. 6. de historia animalium, & cap. p. lib. 3. de Animalium ortu oua subuentanea, ab hoc flatu Zèphiria, vocari notat. Non possunt tamen Fauonij, vernales vocari Etesiæ, licet Ornithiæ vocentur; id enim proprium est Australium flatuum, qui per id quoq; tempus spirant; vnde Plinius citato loco scribit Etesias, cum di-
„ cuntur Ornithiæ, à bruma flare; verba hæc sunt. Spirant
„ autem, & à bruma, cum vocantur Ornithiæ, sed leniores, &
„ paucis diebus. ac rectè quidem à bruma hos flatus spirare dicit, nam, & post brumam, id est consumpta bruma, & à brumali ortu, ac de parte meridiana excitantur. At enim si autor libelli de Mundo, Columellà, & alij, quos Ornithias vocarunt, eosdem vernales esse Etesias credidere, longissimè à veritate ipsa recesserunt, atq; à mente Aristotelis; eos ex genere esse Aquilonio statuentes, cum verè sint Austrini, atq; ad flatus Austrinos pertineant; etsi ab ortu veniāt brumali: vt enim citato loco docet Aristoteles, orientales flatus Australes sunt, propterea quod sint calidiores, vt potè ab ortu spirantes: de quorum sanè Ornithiarum natura, ita Olympiodorus 2. Meteorō luculenter disserit actione 22.
„ It autem post dies LXX. solstitij hyberni spirare incipiunt
„ sole in piscibus domicilium habente, quos quidem Alexan-
„ drini Rhodonas vocant, propterea quod florescentibus ro-
„ sis spirare incipiant. Aristoteles verò Leuconotos, Orni-
„ thias q; eos appellat: Leuconotos quidē propter auræ pla-
„ ciditatem, & tranquillitatem: Ornithias autem, quia ap-
„ tissimi, oportuniq; videntur esse ad prolem, & fœturam
„ auium. Hoc enim præsertim tempore ijs Ornithijs spiran-
„ tibus oua pariunt aues, etiam sine connubio maris. Id au-
„ tem verum esse, ex ouorum fœtura, quæ hypenemia oua vo-
„ camus, sciri facile potest. Ita aptissimus est ad fœcundita-

tem

» tem ventus.

οὔτε γὰρ ἅι τε τοῦ ἡλίου.) Dissentio à Turnebo, qui loco οὔτε, ἀντεὶ legendum ducit: neq; enim negatiua particula, nisi cum totius sententiæ ruina, è contextu deleri potest. Siquidem continent hæc, vt arbitror, rationem, quare diuersis temporibus, tùm Austri spirent, tùm Aquilones; quæ quidem est, quoniam solis lationes, ac motus, non vno, ac eodem tempore, vtrisq; flatibus auxiliantur, propterea nō eodem tempore, sed diuersis, flatus hos spirare; vnde negatio omnino est necessaria: iamdiù enim docuit 2. Meteoron capitis 5. initio Præceptor, solem autorem esse spirituum, ac parentem, atq; eos comprimere, & excitare; vt » ob id prob. 34. dictum sit illustrissima sententia ὁ γὰρ ἥλιος » ἀρχὴ τῶν κινήσεων ἐστίν. id est sol enim principium est motio- » num: quam enim mundi partem sol adierit, inde flatum excitabit: quod eleganter prob. 25. his verbis dictum est. An » quo loco orbis sol fuerit, inde solent spiritus excitari, ita » quod pro solis discursu vicissitudo spirituum agatur. Et prob. 15. causam adducens Philosophus, cur hyeme Austri » moueantur, ita scripsit, An propterea quod sole propinquo » spiritum moueri necesse est? sol autem per hyemem Au- » strum versus perfertur. Atq; hinc Nigidiani illius carminis vera elucet interpretatio, quam alijs Gellius Noctium Atticarum 2. cap. 22. reliquit inuestigandam, ita scribens: » Publij Nigidij in 11. librorum, quos de Vento composuit, » verba hæc sunt.

» Et Austri anniuersarij secundo sole flant. Con- » siderandum igitur est, quid sit secundo sole: Arbitror enim ego idem valere, Austros anniuersarios secundo sole flare, quod eis τὴν τοῦ ἡλίου φορὰν συνέργειν, id est solem suo motu ad eorum ortum cooperari; tunc nanq; flatus excitantur, cum sol loca illa petit, vnde initia ducunt, & congruentem retinet in distantia proportionem: enimuero, principium ventorum ita mouetur quemadmodum, & sol, vt præclarè notarum reliquit 6. cap. 2. Meteoron Præceptor: quamobrem triplici ratione dici poterint Austri anniuersarij secundo sole flare. Primò quia, cum meridiani flatus sint,

ſint, ſol tunc tenet loca meridiana; ſecundo quia cum ab æſtiua conuerſione exoriantur, & non ab Auſtro ſolum, (vt cũ Olympiodoro loquamur,) ad vniuerſum orbem ſpectãte, ſed ab Auſtro quoq; cœlo noſtro finitimo, & propinquo, Sol tunc, ſcilicet vere ineunte, & die 70. à brumali conuerſione ad loca illa ſuo motu appropinquat; Tertio demum, & poſtremo, quia ad nos redit.

καὶ ἡ ἀνταπόδοσις.) Legendum cum Turnebo ἀνταπόδοσις, atq; mea ſententia ſubintelligendum τῶν νοτίων: rectèq; cum dixiſſet ἀνταπόδοσις, addit, vt vocem explicaret, καθάπερ παλιῤῥοῦντος τοῦ ἀέρος: eſt enim ἀνταπόδοσις, παλιῤῥοια quædam, atq; ambo vocabula eruditionem ſapiunt ariſtotelicam, ipſe enim prob. 4. flatus Tropęi ſpirationem ἀνταπόδοσιν aeris vocat, & ſequenti problemate παλιῤῥοίαν. Inquit autem Theophraſtus, vere reciprocante reditum fieri Auſtralium ſpirituum, quia in hoc libello eam videtur amplexari opinionem, quæ vult ventum eſſe ąeris motũ. quod qvo modo veniat intelligendum, ne videatur in errorem incidere Hippocratis à Præceptore 2. Meteoron reiectum, ſuo loco à nobis explicatum eſt.

ὁ γὰρ ἀποσοθῇ.) Lego ὅταν ἀποσοθῇ, ac ſubaudiendũ ὁ ἥλιος; cum enim ſol à nobis receſſerit, ac loca petierit meridiana, tum ex Ariſtotelis ſententia, vt ſupra vidimus, Auſtros excitat.

ὡς ἐπίπαν βορείοις.) Legendum βορέαι; pertinentq; hæc ad ordinem Borealium.

καὶ περὶ πλειάδος δύσιν.) Intelligit Vergiliarum occaſum matutinum, qui ſole mediũ Scorpij percurrente Theophraſti ætate efficiebatur circiter x. vel xi. Nouembris; quemadmodum abunde in Apologia noſtra, & p. lib. de Hippocratica anni ratione demonſtratum eſt. Diximus autem ſupra, aliud omnino tempus, Pleiadum occaſu deſignari à Theophraſto. eſt enim ſententia circa Pleiadum occaſum reddi proportionem, quoniam tunc Aquilones excitanrur, cũ alioqui antea autumno, ac præſertim in poſtrema illius parte Auſtri dominati eſſent; arbitrabantur enim veteres, occaſu Vergiliarum Aquilones excitari, quod Plinius lib. 2.

" cap. 47. his verbis indicauit. Post id æquinoctium diebus
" ferè quatuor & XL. Vergiliarum occasus hyemem inchoat:
" quod tempus in III. Idus Nouembris incidere consueuit;
" hoc est Aquilonis hyberni, multumq; æstiuo illi dissimilis
" cuius ex aduerso est Africus. Et Columella lib. XI. cap. 2.
" Quinto Calend. Nouembris Vergiliæ occidunt hyemat cũ
" frigore, & gelicidijs: Quibus Ptolemęus libello de inerrantium stellarum significationibus suffragatur scribens.
" VII. Idus Nouembris Vergiliæ, & Orion occultantur,
" Aquilo flat. quod etiam elicitur ex Aristotele lib. 5. de Animalium Historia cap. 8. quo loco notat brumam esse Austrinam, vbi Vergiliæ præcesserint Aquloniæ: ponit enim nobis ante oculos naturalem & consuetam anni constitutionem, vnde & surgere vt plurimum Aquilones occasu Vergiliarum satis ostendit: Atque hoc est quod nos superius monebamus, verbis illis, κατὰ χείμωνα, brumam tantum esse intelligendam; siquidem pars illa hyemis, quæ antecedit, scilicet ab occasu Vergiliarum ad brumam vsque; Aquilonijs flatibus perflari consueuit: vnde cum Aristoteles supponit hyeme Austros spirare, intelligit necessario eam hyemis partem, quæ solstitio notatur. nec tamen vlla est contradictio, licet scribat Aristoteles 6. cap. 2. Meteoron circa brumalem versionem Euros flare: enimuerò flatus orientales, vt 5. capite monemur ad Austrinos reducuntur, vnde quanquam Euri tum oriuntur, nihilominus dici verè poterit statum aeris Austrinum esse. Hoc igitur est, quod inquit hoc loco Theophrastus, cum autumno Austri flauerint, circa Pleiadum occasum proportionem seruari: voluit enim dicere, per id temporis fieri in contrarios flatus mutationem, atq; ita proportionis rationem retineri: æstate enim Aquilonij flatus spirant, vt ipse testatur, autumno Austrini; igitur Vergilijs occidentibus, quo tempore mutatio in aere fieri solet, omnis verò mutatio fit in contrarium, iusta de causa Aquilones redeunt, ac renonantur.

Cæterum sicuti occasu Vergiliarum Aquilones de Veterum sententia surgunt, ita earundem exortu Austros excitari ijdem veteres arbitrabantur. quod Plinius sic testatur ci-

» tato loco. Datus eſt autem huic exortus Vergiliarum in
» totidem partibus Tauri ſex diebus ante Maias Idus, quod
» tempus Auſtrinum eſt. nec deeſt ſuffragator Columella his
» verbis x. Calend. Maias Vergiliæ cum ſole oriuntur, Afri-
» cus, vel Auſter, dies humidus. Atq; hinc pulcherrima Horatij carmina intelligentur 4. lib. Od. 14. vbi ita ipſe cæcinit.

Indomitas propè qualis vndas
Exercet Auſter Pleiadum choro
Scindente nubeis:

Ideo enim Poeta doctiſsimus cum Pleiadibus Auſtros iungit, quod ab erudito Lambino non ſatis video animaduerſum, quia loquitur de ortu earum matutino, quo tempore, Auſtri ſurgere ſolent; nam & idcircò dicit Pleiadum choro nubes ſcindente Auſtros indomitas vndas exercere; atque eleganter cum oriuntur Pleiades, ſcindere eas nubes inquit; enimuerò ſtellæ cum oriuntur nubes ſcindunt, id eſt aerem ſuo lumine, ac radijs diſcutiunt, & atterunt, vt ſententia eſt Præceptoris 2. Cœli tex 42. & p. Meteoron cap. 3. Item nubes ſcindunt, id eſt cœlum, & aerem quaſi in duas partes ſecant, orizontem conſcendentes, finientis ratione; demum ſcindunt nubes, & aerem, quia, aerem quaſi penetrantes, & ſcindentes ad noſtros oculos ſpeciem mittunt, ac ſeſe prebent conſpiciendas: Verum de re hac tota abunde alibi tractatum eſt, & diligenter; cur vè occaſu Vergiliarum Aquilones, ortu Auſtri, alijs temporum mutationibus alij flatus ætate illa orirentur; atq; reliquarum eiuſmodi omnium varietatum cauſæ explicatæ ſunt.

Super Tex. 14.

Μεν καὶ τὸ.) De Auſtrinis ſermo eſt. ac ſententia perſpicua eſt; eandemq; quæſtionem prob. 2. tractat Ariſtoteles licet aliter diſſoluere eam videatur. Notandum tamen interea, cum negat hic Theophraſtus Auſtros Eteſias fieri, non eo ſenſu negare, vt nullo modo velit Eteſias eſſe, & dici; ſed tantum eſſe Eteſias continuatos, veluti Eteſias Aquilonios. De hac eadem re ſubtiliſsimam, & pulcherrimam Ariſtote-

les cap. 8. 2. Meteoron disputationem instituit, atque cur Austrini Etesiæ tardiores, imbecilli, ac per interualla spirent, eleganter docet, quod superius etiam à nobis indicatum est.

οἱ γὰρ ἠρινοὶ νότοι) Si vere spirant hi Austri, quo modo ἀντικειμένην ὥραν, id est contrario anni tempore flare illos dixit 2. Meteoron Aristoteles? Contrarium nanque æstati tempus hyems est. An Aristoteles tempus, quod est à brumali ad æstiuam conuersionem, oppositum appellauit, ei quod est ab æstiua ad brumalem? ita quidem est, vnde Ale-
» xander eo loco explicat ἀντικειμένην ὥραν τουτέστι μετὰ τὰς χει-
» μερινὰς τροπὰς ἦρος ἀρχομένου, id est post hyemales conuer-
» siones vere ineunte. Nec tamen putes idem esse tempus, quod κατὰ χειμῶνα hic vocat Theophrastus, & quod per ἦρος ἀρχομένου designatur. vt superius monuimus.

λευκονότους, αἴθριοι γάρ.) Austrini Etesiæ vocantur Leuconoti, hoc idemq; testatur Aristoteles secundo Meteoron. causamq; hic reddit Theophrastus, ab effectu videlicet. Cœlum enim album, purum, ac serenum reddunt, secus quàm Austri soleant, qui omnes sunt pluuij: De qua re videre est Galenum 3. Epidimion com. 3. Aph. 3. docentem, non semper Austros esse humidos, id est pluuios, sed interdum etiam siccos, id est serenos, vt nos 2. lib. de Hippocratica anni ratione, locum hunc totum Galeni aduersus nonnullos melioris notæ medicos diligenter expendentes, interpretati sumus; spirant enim inquit ipse Leuconoti, qui vel Homero teste sereni sunt, Austrum, non alia de causa ἀργεστὴν appellante; purum enim Austrũ vt Galenus exponit, & pluuiarum expertem sic Poeta vocauit. Locus tamen Homeri, qui passim circunfertur, vbi Austrum eo adiuncto de cõmuni sententia dignatur diuinus Poeta, est Iliados λ. quo loco ita canit.

ὡς ὁπότε ζέφυρος νέφεα στυφελίξῃ
ἀργεστᾶο νότοιο βαθείῃ λαίλαπι τύπτων. id est
Veluti cum Zephyrus nubes agitarit
ἀργεστᾶ Noti profundo flamine verberans.

Verum ego adduci non possum, vt credam Galenum virum admi-

admirabile, hinc ad suam sententiam comprobandam sumpsisse testimonia, nam, & alio modo sonat Homeri versus apud ipsum. Carmina enim, quæ adducta sunt, nullatenus probant, Austrum album, & serenum ab Homero appellari, quin potius contrario modo; si enim Fauonius, vt ipse vult, nubes Austri agitat, & discutit; igitur nubes ab Austro genitæ sunt, quamobrem nullo modo albus, & serenus; sed potius obscurus, & nubilus; quibus ego rationibus permotus, puto vocem ἀργεστάο in homerico contextu procellosum, vt nonnullis placet, aut velocem significare, quo postremo sensu ab Aristotele sub finem capitis 5. 2. Meteoron Auster fortasse, μείζων, & πλείων maior, & crebrior ventus magisq; huc, quã Aquilo illuc penetrans dictus est. Non me tamẽ præterit, Strabonem p. Geographiæ Homeri carmina hæc adducere, atq; de Posidonij sententia ἀργέστην νότον exponere Leuconotnm; cuius hæc est oratio, vt ego
„ interpretor. Poetam autem (scilicet inquit Posidonius)
„ Fauonium δυσαῆ, id est molestum appellare flatum illum,
„ quem nos Argestem dicimus; Africum autem flantem, Fa-
„ uonium, quin etiã & eum, qui à nobis Fauonius vocitatur;
„ ἀργέστην verò Austrum, Leuconotum; hic enim flatus nubes
„ paucas producit. reliquos demum omnes Austrinos ven-
„ tos, quasi Euros: & mox citatis Homeri superioribus car-
„ minibus. Etenim δυσαῆ Fauonium nunc intelligit, qui
„ solet nubes à Leuconoto collectas, quæ imbecillæ sunt, &
„ paucæ, dissipare; atque adiuncti loco impræsentia vtitur
„ voce ἀργέσαο. Verum ego, vt in decretis maneam, eam quã superius adduxi interpretationem, homericis carminibus magis quadrare dico: siquidem ex Aristotelis, & Galeni sententia Leuconoti sereni omnino sunt, nec vllas afferunt nubes; at qui sequitur Strabonis opinionem, nubilum esse Leuconotũ fateatur necesse est, sed eo redeat, vnde digressa est, oratio. Vocãtur igitur Austrini Etesiæ Leuconoti: quia sereni sunt, quod libello de Ventorum denominatione inuenio his verbis confirmatum, quæ ego ita arbitror esse le-
„ genda. λευκόνοτος. τὸ δὲ ὄνομα ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος. λευ-
„ καίνεται γὰρ ὁ ἀὴρ ὑπ᾽ αὐτοῦ, id est Leuconotus. Nomen du-

cit ab

„ cit ab eo quod euenit; Aer enim ab ipso albus redditur. Vnde Alexander 2. Meteoron dixit hos flatus διὰ τὸ αἰθρίας ποιεῖν, id est quia serenitatem faciunt, Olympiodorus διὰ τὸ ἀτάραχον καὶ γαλήνιον τῆς πνοῆς, id est propter auræ placiditatem, & tranquillitatem Leuconotos appellari. Qua autem de causa sereni sint, cum alioqui Austri nostris locis nubili semper spirent ac pluuij, ex prob. 19. & 38. elici potest: videtur enim esse causa potissima eorum imbecillitas: nec tamen vlla est inter Hippocratem, & Aristotelem contrarietas, licet 3. Epidimion lenis Auster ac imbecillus sit vehementer pluuius: quemadmodum nos pluribus suo loco ostendimus. Atq; hinc perspicuum est quo consilio Horatius lib. 3. Carminum Ode. 7. Fauonios vernos candidos appellauerit carminibus illis.

Quid fles Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Fauonij.

Neq; enim Lambino assentior, qui candidos, id est iucundos Poetam dixisse Fauonios scribit, quia veris sint nuncij, vel quia virum desideranti vxori erant restituturi: vt Catullus candidos soles dixit, id est iucundos.

Fulsere quondam candidi tibi soles.

Verum sicuti Fauonios vernos veteres Ornithias appellauere ab effectu, vt superius vidimus, quod nomen proprium est Australium Etesiarum, ita & candidos dixere eadem ratione; Fauonij enim verni sereni sunt, vnde quia cœlum, & aerem candidum purum & serenum reddunt, ideo candidi appellantur, vt Leuconoti; At primo quidem vere candidi dici possunt, quia sereni sunt, sed non tamen iucundi, quod non animaduertit Lambinus: docet enim Theophrastus tex. 40. huius libelli Fauonium post hyemem, ac ineunte vere flantem, molestum esse, quoniam χειμέριος, id est frigidus spirat; Itaq; Fauonij tantum illi, qui adulto vere flant εὐάνεμοι proprie dici poterint: de quibus prob. 31. & 55. differit Aristoteles, siquidem tales sunt temperati, sereni, ac lenes: atq; eiusmodi Fauonios Homerus 4. Odysseæ in Elysijs campis, Aristoteles prob. 31. de eiusdem sententia flare scribunt, & λιγυπνείοντες Poeta vocat; id est vt Dydimus

mus vetustissimus autor interpretatur ἡδεῖαν ἔχοντας πνοήν, id est suauem habentes spirationem, Carmina hæc sunt.

οὐ νιφετὸς οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος
ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας, &c. id est
Non nix neq; hyems multa, neq; vnquam imber.
Sed semper Zephiri suauiter spirantis auras. &c.

Licet aliter citato problemate, legantur, ac fortasse deprauata. Ex quibus perspicuum est, Homerum ideo suauem Fauonij appellare spirationem, quia neque nimis frigida est sed temperata, neq; vehemens sed lenis, neq; nubes aut pluuias affert, sed serenitatem; quo postremo sensu Horatium Fauonios candidos dixisse dubitari non potest, qui tamen, si quis a me quęrat, quàm verè asserrere potuerit, Fauonios vxori, virum Notis actum ad Oricum, esse restituturos; cum Oricus portus sit in Epiro, vt rectè notat Lambinus, atq; Romæ comparatus ad orientem magis vergat & meridiem, idcircoq; videantur Fauonij Orico Romam nauigantibus esse aduersissimi venti, quæ difficultas ab alijs quoque notata fuit: respondebo breuiter, primò Notos non esse positos pro quibuslibet ventis, vt Porphyrioni placet, sed verè Australes flatus significare, nō tamen omnes, sed Africum potissimum, qui ab occasu brumali spirans secundus est flatus Roma Oricum nauigantibus. deinde non ita Poetam Gygen Notis actum asserere ad Oricum, quasi coorta tempestate delatum illuc velit innuitum, vt omnes Horatij interpretes velle videntur, sed quod sedata tempestate, mox flante secundo vento Africo nauem conscenderit: enimuerò cum inquit Horatius, post insana Capræ sidera, &c. perinde est, ac si dixisset, post pręteritam tempestatem: scribit enim Columella cap. 2. lib. 11. x. Calendas Ianuarias Capram occidere mane, ac tempestatem significare. Nono Calendas Ianuarias brumale esse solstitium iuxta Chaldæorum obseruationem: igitur si post insana Capræ sidera, videlicet post occasum Capræ matutinum nauem conscendit, necessario & post peractam tempestatem, quæ sideris illius occasu fieri consueuit, ac subinde circa solstitium, quod continuo sequebatur, vel paulo post,

lo post, cœpit nauigare: at solstitio brumali Austri excitantur, merito igitur Austris actum ad Oricum Gygen scribit doctissimus poeta. Quod verò inquiunt Fauoniū pro quouis vento esse positum, hoc valde abhorret à ratione, vnde magis placet, quod alij addunt, ideò eius factam esse mentionem, non quia secundus sit nauiganti, sed quia eius clementi flatu mare aperiatur, quo sensu cecinisse videmus Horatium Ode 4. lib. primi.

Soluitur acris hyems grata vice veris, & Fauonij
Trahuntq; siccas machinæ carinas.

Quanquam (cum ad tempus nauigationi idoneum indicandum satis illa esse videantur, Primo vere & c. vt Fauonios præterea nominatim exprimens Horatius, nisi frustra additos eos dicere velimus; aliquid etiam hos flatus, quatenus tales, ad Gygis redditum operari, ipse voluerit,) dici fortasse posset, ideo Fauonios virum vxori esse restituturos eū asseruisse, quia & tanquam veris nuncij Ornithias flaturos esse domoustrabant, qui venti sunt ex Orico Romam redeuntibus commodissimi, & tanquam Ornithiis contrarij, horum excitandorum habent potestatē; solent enim flatus coutrarij contrarios excitare, & in contrarios maxime cōmutari, vt prob. 32. docet Aristoteles. Possunt autem Fauonij Ornithijs contrarij appellari, quoniam à Poetis non solum venti illi, qui ab occasu æquinoctiali spirant Fauonij dicuntur, sed etiam illi, qui ab æstiuali veniunt; quemadmodū de Homeri sententia notauit Posidonius; quam profectò interpretationem eo libentius amplector, quò minus illud quadrare hoc loco mihi videtur, quod nōnulli inquiūt Horatium semper, cum veris facit mentionem, Fauonios quoq; simul commemorare, vt ex carminibus paulo supra allatis est manifestum, ac etiam Ode 7. 4. libri vbi sic ipse cecinit.

Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit æstas
Interitura simul, & c.

Nam Fauonij addunt supra verni aeris statum, & ver reddunt temperatum magis, vnde frustra nō adijciuntur: atqui ad tempus nauigationi commodum demonstrandum, ad indicandum

dicandum quod mare aperiatur satis esse videbatur, si aut Fauonij tantum, aut veris mentio fieret.

καὶ τὸ μακρὰν ἀπηρτῆσθαι.) Legendum τῷ μακρὰν ἡμῶν, vt habet Aldinus codex, & recte.

λαμβάνουσι.) Legendum λανθάνουσι, perperam enim habent tùm Basiliensis codex, tùm Aldinus λαμβάνουσι. Significat autẽ hoc loco λανθάνειν exponente 2. Meteoron cap. 5. Aristotele οὐ γίνεσθαι συνεχεῖς, id est non spirare continuos.
» Siquidem ita scribit eo loco philosophus γίνονται μὲν γὰρ οἱ
» καλούμενοι λευκόνοτοι τὴν ἀντικειμένην ὥραν. οὐχ οὕτως δὲ γίγνον-
» ται συνεχεῖς. διὸ λανθάνοντες ποιοῦσιν ἐπιζητεῖν. id est tem-
» pore enim contrario hi, qui Leuconoti appellantur, oriun-
» tur quidem, non ita tamen continenter. Ideo cùm lateant,
» inquirendi occasionem præbent. Igitur latent quia nõ spirant continenter: causam tamen huius rei aliam afferre hic videtur Theophrastus, aliam 2. Meteoron Aristoteles: vult enim Theophrastus illos non spirare continenter, quia longe distat Auster à nobis, quod diuinus vir 2. problemate
» dixit etiam sic eleganter, Austri principium longe à nobis
» distat. Itaq; Theophrasto Etesiæ Austrini, quia non spirant continenter, latent: non spirãt verò continenter, quia longe Austri principium distat à nobis; verũ Aristoteli 2. Meteoron, non ita continuati ijdem flatus spirant, quoniam locis illis, vnde ortum ducunt, quæ in summa telluris tantum parte extant imbecillæ; sunt, tùm secernuntur; cum ea, quæ gelu magis sunt stricta secerni non valeant; vtpote quæ ampliorem calorem requirant, cuius frigida ipsa tẽpestas, qualis hyems est, ac veris initium, adhuc est expers. Nec tamen credas causam à Theophrasto hic allatam ab acroamatica & grauiori Aristotelis doctrina esse alienam; ipse enim 2. Meteoron cap. 6. ait plures ventos ab vrsa exoriri quàm à meridie, quia nos sub vrsa habitamus, quo fit, vt etiam explicat Alexander, vt omnes venti, qui inde exoriuntur, manifesti fiant, nec lateant; hinc x. problemate dic-
» tum est de Aquilone quod ἅμα πνεῖ, καὶ πάρεστιν. id est simul-
» atq; spirare incipit nobis adest. Verum pulchra oritur dubitatio, si enim Leuconoti, & Australes Etesiæ à locis cir-

culo æstiuo subiectis oriuntur; & idcirco die 70. post brumam, sole nimirum ad ea redeunte; non antea, quia longius antea distat ab eis sol, nec valet ob id suo calore materiam parare: cur, cum proximior fuerit, & æstiuam iam occupat versionem, ac super loca illa fertur non spirant? tunc enim non solum eos flare, sed & continuatos, & vehementes flare rationi esset consentaneum. quoniam τὰ πεπηγότα μᾶλλον, quę 70. die à brumali versione sol liquare nequit, ratio est vt colliquescant: ita enim scribebat 2. Meteoron
» citato loco diuinus vir interprete Vicomercato. Non ita
» verò continuati spirant, quoniam ea quæ in summa telluris
» parte extant, imbecillaq; sunt tum secernuntur: quæ verò
» gelu magis sunt astricta, ampliorem calorem requirunt:
» Quocirca per interualla hi spirant donec rursus in conuer-
» sionibus æstiuis Etesiæ perslent, quandoquidem ab eo tem-
» pore semper ventus, quàmaxime constanter spirat. hæc ille: at quæ magis erant conglaciata, sole æstiuam conuersionẽ occupante & circiter, liquari debent, etenim habent tunc calorem ampliorem; qua ergo de causa Austrini Etesiæ per id temporis non spirant? Respondeo duplici de causa, cum sol valde propinquus est locis subiectis æstiuæ conuersioni Austrinos Etesias non flare: prima est, quoniam sol, vt idem citato loco docet, cum propè adest, ante exiccat, quàm exhalatio oriatur: vnde Alexander com. 27. cau-
» sam hanc recenset dubitationem mouens. non tamen, in-
» quit, flant Austri cum sub æstiuis conuersionibus existit
» sol (quamuis illinc flare habeant versus nos,) quoniam vt
» dixit prius consumit sol exhalationes locorum super quæ
» fertur, priusquam sursum ferri possint: Verum quoniam dici posset, saltem cum sol recesserit paululũ ab æstiua conuersione, tunc rursus flare illos debuisse, ideo secundã ego ex verbis eiusdem Aristotelis paulo superius adductis elicio, in quorum interpretatione cogor inuitus ab Alexandro ac alijs multis dissentire; dicit nanq; Aristoteles eo loco Austrinos Etesias per interualla spirare, donec rursus sub conuersionibus æstiuis Etesiæ perslent, Etesiæ inquam, Aquilonares, qui verè Etesiæ sunt, & nuncupantur, quoniam spi-

ani spirant continuati, de quibus supra disputauit. atq; illud ἐπὶ τρόπαις πάλιν ταῖς θερίναις significat μετὰ τροπάς, vt idem superius indicauit, quod nunc dicit ἐπὶ τρόπαις, quia non multo post præteritas ipsas conuersiones spirant Etesiæ, vt quasi sub ipsis flare videantur. quæ cum dixisset
,, subdit ἐπεὶ ἐθέλει γ᾽ ὅτι μάλιστα συνεχῶς ἐντεῦθεν ἀεὶ πνεῖν ἄνεμος:
,, quorum verborum sententia est, ex locis illis vnde spirant Aquilonij Etesię, natura esse comparatum, vt ijdem hi flatus per id temporis paulo post scilicet æstiuas conuersiones quàmaxime continuatè spirent; vt Austrini ob id Etesiæ spirare nequeant; nam & hoc est quod dicebat superius Austrinos flare, donec alij Etesiæ excitarentur: Aquilonij enim flatus in alios maxime incidentes illos sedant, vt 2. Meteoron cap. 6. docemur. vnde recte Arist. prob. 11. Theophrastus tex. 45. infra aliud tamen agentes annotarunt, canis exortu, atq; quod idem est non multo post æstiuas conuersiones Austros esse perflaturos, nisi ab Etesijs Aquilonaribus prohiberentur. Sic ergo cum sol tenet æstiuas versiones non spirabunt Austrini Etesiæ, quia nimio calore materia absumitur, cum paulum recesserit, quia tunc Etesiæ excitantur Aquilonares, qui eos spirare non permittunt. ex quo, & ad dubitationem motam respondeti etiam potest, Austros postquam sol paululum recesserit ab æstiua conuersione excitari quidem, quoniam sol congruentem ad eos commouendos situm obtinet; nam canis exortu Austros surgere veteres annotarunt; sed non spirare continuatos, quia ab Etesijs Aquilonaribus prohibentur, qui per id quoq; temporis oriuntur. Alexander tamen ad Australes flatus Aristotelis refert orationem, atq;
,, ita scribit com. 26. ἐπεὶ ὅσον γε ἐπὶ τοῖς μερέσι τοῖς κατὰ τὴν
,, μεσημβρίαν, ἀεὶ ἀπ᾽ αὐτῶν ἄνεμος πνεῖ. θερμότεροι γὰρ ὄντες οἱ
,, τόποι οὗτοι, πλείω τῆς ὑγρᾶς τὴν ξηρὰν ἔχουσιν ἀναθυμίασιν,
,, ἥτις ἐστὶν ἄνεμος. id est vt ego interpretor quoniam, quate-
,, nus spectat ad loca meridiana, semper ab ipsis ventus spirat,
,, cum enim calidiora sint, ampliorem copiam siccæ exhala-
,, tionis habent, quæ ventus est, quàm humidæ. Quem locum, patet, latinum interpretem parum fideliter transtulisse, cum

dixit loca illa calidiora cum sint, plurimum habere ex humida & calida exhalatione, quæ ventorum est materia, etenim Alexander inquit, vt nos interpretati sumus, loca illa cum sint calidiora, plus habere siccæ exhalationis, quæ ventus est, quàm humidæ.

Super Tex. 15.

ἡ δὲ τῶν ἐτησίων.) Cum disseruisset de Austrinis Etesijs, transit ad Aquilonios, quos simpliciter Etesiarum nomine dignatur, quoniã hi propriè Etesiæ sunt, idest stato anni tẽpore continenter flantes. Annotarunt veteres post Canis ortũ Etesias exoriri: paulò ante, videlicet circiter dies octo Prodromos. Canis verò Theophrasti tempore, matutino emergebat, sole initium Leonis ingrediente VI. Cal. Augusti, vt diximus vberius in nostra Apologia. atq; Canis emersus veteribus Oporam inchoabat. Hinc puto quinto Odysseæ ab Homero Aquilonem Oporinum fuisse vocatum carmine illo.

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ὀπωρινὸς βορέης φορέησιν ἀκάνθας. &c. id est.

Quẽadmodũ quoties Oporinus Aquilo fert spinas, &c. Aquilonares enim Etesiæ tempore illo spirant, quod veteribus Opora erat, nimirum in secunda æstatis parte, vnde Didymus locum Homeri explicans ita scribit ὀπωρινός. ὁ ἐν τῷ καιρῷ τῆς ὀπώρας. ὅ ἐστιν ἐν τῷ θέρει, πνέων. id est. Oporinus. Oporæ tempore, quod est in æstate, spirans. Aristoteles prob. 51. eandem quæstionem ijsdem pene verbis tractat; item quæ cap. 5. 2. Meteoron de Etesijs disseruntur, non exiguam huic loco lucem accendunt: alibi enim de horum ventorum natura abunde à nobis disputatum est.

καὶ πῶς οὕτως πνέουσι.) Sic Basilienses & Aldini, ac omnino malè. Nos ex problemate allato 51. vbi sic scribitur διὰ τί οἱ ἐτησίαι ταύτην διὰ τὴν ὥραν ἀεί, καὶ τοσοῦτοι πνέουσιν. id est cur Etesiæ eodem tempore semper, & per decreta dierum spatia spirant? restituendum arbitramur, vel τοσούτως, vel τοσοῦτοι. Nec miretur aliquis, nos, vocẽ hanc, τοσοῦτοι, multo aliter esse in Aristotele interpretatos, quàm Theodorum, qui Aristotelicam orationem ita conuertit. Cur

flatus

„ flatus anniuerfarij eodem tempore, atq; modo afflare so-
„ lent? quandoquidem τοσοῦτοι, hic non dicit vim aut qualitatem vllam nostra sententia in Etesijs, sed quantitatem; idest non quales spirent, significat, sed quanti, nimirum quanto tempore, & quot diebus: vnde hoc vnum, de eorum numero potius est, quæ ventos consequuntur, de qua re in annotatione primi contextus nonnulla diximus, at modus ad ventorum vires, & qualitates videtur pertinere.

καὶ νύκτωρ πνέουσι.) Sic omnia habent exemplaria corruptè. deest enim particula negatiua, οὐ, cuius rei testis est
» Aristoteles sic scribens problemate dicto, καὶ τῆς νυκτὸς οὐ
» πνέουσιν, id est nocte non spirant, & Theophrastus non mul-
» tò post καὶ νύκτωρ μὴ πνεῖν, id est, & noctu non spirare.

οὐ μὲν ἀλλ' ἐνίοτε.) Lego οὐ μὴν ἀλλ' ἐνίοτε.

αἴτιον τοῦ * λωπτέον.) Stellatum hunc locum ita restituit in correctionibus Turnebus αἴτιον τοῦτο ὑπολωπτέον, ὅτι μὲν γὰρ, & c. & rectissime mea sententia.

κατὰ δὲ τὴν ὕλην.) Materiam vocat exhalationem, atq; præclarè admodum concludit, pro materiæ ratione venti esse motum.

Super Tex. 16.

εἰ δ' οὖν ἀληθές.) Diximus superius Theophrastum totum ferè esse, vt ostendat Austrinos quoq; dari Etesias, licet non ita continuatos, Aquilonaribus Etesijs proportione respõdentes. Quod igitur supra rationibus ostendit, impresentia vel sensus fide ex historia ipsa cõprobare nititur; si enim in Creta Insula, quam Athenæ & Græcia à meridionali latere habent, niues sunt, Etesiæ verò liquatis niuibus oriuntur, iam profectò erit rationi consentaneum ab Austro quoq; Etesias excitari.

ἄνοι.) Sic habent Aldini codices, Basilienses ἄλλοι, & melius.

ὡς ἄρα νῦν.) Verba hæc lego tanquam per parenthesim dicta vsq; ad illa, εἰ δ' ἐστὶν ἀληθῆ ταῦτα, vt ipsamet series orationis indicat. Inquit autem Theophrastus his verbis, sua ętate in Cretæ Insulæ montibus plurimas niues cadere solitas fuisse, cum tamen antea id locis illis esset insolens, ac

propte-

propterea montes ipsi incolerentur, Insulaq; tota esset habitatoribus plena. verum huic sententiæ videtur vetustissimus Poeta Homerus aduersari lib. τ. Odysseæ, Cretæ Insulæ montes νιφόεντα, id est niuales appellans.

καὶ τὸν σίδηρον.) Herodotus Halicarnasseus in Homeri vita testatur, carminibus ipsius Homeri in medium adductis, ferrum in Ida monte olim effodi solitum.

καὶ τὸν δενδρίτην.) Inusitata vox, & fortasse deprauata; verba tamen quæ sequuntur ostendunt, illam à Theophrasto esse positam, vt copiam arborum fructiferarum significet, hominum opera in locis illis consitã, vnde non incongrue legi fortasse posset τὴν δενδρώδη.

πολλῶν χρόνων.) χιόνων. Legendum non χρόνων, vt mendose habent exemplaria omnia.

καὶ Ἀρισταῖος.) Fabula Aristei nota est ab Higinio ac alijs multis recitata, causam tamen philosophico more aperit Theophrastus: tum enim Etesiæ desinebant Austrini, non quod Aristeus eos in Cæo Insula posita iuxta Atticã in Eubœa, & sic ad Septentriones, è meridie euocaret, vt fabula erat, sed quod niues non aderant ad Cretæ montes, ex quibus Etesiæ crearentur.

ταῦτα δεῖ τινὰ ἔχειν διαλλαγήν.) Oportunè admodum hæc subdit Theophrastus; potuisset enim aliquis querere, cur niues per id temporis deessent in Creta. indicat igitur ipse causam, sed tamen sub dubio eam relinquit, quatenus pertinet ad eius ordinem, quoniam non sit de hac re locus hic differendi. Igitur si hæc habent differentiam quandam, vt scilicet non semper niues sint, & hyberna ac frigida tempora, vt habere sensuum fide experimur, nam non sunt semper niuosi anni, aut pluuij, vt quotidie animaduertimus, sed etiam sereni, ac niuium omnino expertes, iam necesse erit, vt spiritus quoq;, ac flatus cessent, & horum ratione mutationem suam accipiant, cum enim materia adest ex qua oriantur flare poterint, cum deest, deesse quoq; eos necesse erit. Legendum δ' εἰ non δεῖ; & ἔχει non ἔχειν.

εἴτε τεταγμένην.) Hoc est quod relinquit indeterminatum Theophrastus, tanquam peregrinum huic loco; habent

„ tamen hec quoq; ordinem, attamen ὥσεὶ ἐνδέχεται μετέχειν τῆς „ ἐνταῦθα τάξεως. idest quatenus inferiora hæc ordinem va- „ lent participare, vt 2. Meteoron admonet Præceptor, de qua re elegans extat Alexandri com: 14: disputatio, qui ad materiæ huius inferioris inordinationem, quod tempora sint interdum pluuia, aut niuosa, interdū his careant, referre videtur: qua in re, cum Aristotele 2. de ortu, & interitu; & ad finem 4. de Animalium ortu consentit, vt alibi notauimus.

κατὰ τὸ ἦθος.) Perperam; Lego κατὰ τὸ ἔτος. Argumentum est sumptum à naturæ prouidentia, quæ nunquam deest in necessarijs: si enim calidior locus meridianus est, Etesiæ verò ad calorem remittendum ac temperandum dati sunt, vt etiam fabulantur; igitur loco illo magis erunt necessarij.

δῆλον οὖν τουτὸ πλὴν εἰς * μιση τὸν καρπὸν.) Diù me torsit locus iste, cum in græco exemplari mirum in modum vitiatus reperiatur ac stellatus; hunc tamen vtcunq; sensū erui, vt hæc adducat Theophrastus ad probandam meridianorum locorum caliditatem, quasi dicat, manifestum esse meridiana loca multo esse nostris calidiora vel ex eo, quod alia fructus accelerent ob calorem summum, alia non producant ob nimium caloris excessum. vnde verba illa deprauata, sic potius legenda arbitror δῆλον οὖν τουτὸ ὅτι τῶν μὲν καρπῶν, quàm cum Turnebo πλὴν εἰ μὴ ὥσπερ ὅι μὲν υςεροῦσι τῶν καρπῶν. quis enim sensus erui possit ex Turnebi emendatione, qui congruat, non video. Quod autem loca meridiana ocyus fructus afferant ob maiorem caliditatem, elici potest ex cap. 3. lib. 8. de historia Plantarū; quod verò nimius calor causa sit sterilitatis ex cap. vlt. primi de Plantarum causis.

Super Tex. 17.

περὶ μὲν τούτων.) Turnebus legit περὶ μὲν οὖν τούτων, quod non improbo: est autem locus hic obscurissimus ob concisam, & breuem orationem, vt difficillimum sit intelligere quid senserit Theophrastus: scopum tamen & nexū talem esse puto. Quoniam in superioribus, de differentijs,

&

& accidentibus ventorum diſputatum eſt, quæ locorum ratione ventos comitantur ; iamq; locus erat, vt de accidentibus alijs nonnullis, quæ à ſole magis, quàm à locis pendent, ſermo haberetur ; nempè de ſpiratione, ceſſatione, ac maiori, vel minori flatus in diuerſis diei horis vehementia, & de huiuſmodi alijs, quæ probare videntur ventorum motum à ſole omnino dependere ; ipſe verò Theophraſtus, vt conſtat ex Olimpiodori, & Alexandri commentarijs in p. & 2. Meteoron, atq; ex eiuſdem verbis infrà tex. 24. arbitratus eſt, ventos ab intrinſeca exhalationis natura principium motionis accipere, nequaquam à ſole; propterea, antequàm tex. 18. quo modo, & qua ratione flatus à ſole cieantur doceat, in textu hoc 17. ſuam tangit opinionem; ac præfatur, ſolem concauſam eſſe ventorum non ſimpliciter cauſam, eo quod venti ab ipſamet natura exhalationis nanciſcantur motionem : idq; totum, ne quis credat, cum mox docet in ſequentibus, ſolem mouere flatus, & ſedare, ipsũ velle, ſolem ſimpliciter eſſe ventorum cauſam. Inquit igitur εἰ δὲ πάντων τῶν πνευμάτων, & c. id eſt, ſi omnium ventorum eadem eſt generatio & ab ijſdem, ſcilicet ab exhalationis ipſius natura ; εἴη τάχα δ' οὐκ ἀληθὲς, & c. non erit fortaſſe verum dicere, (ſiquidem verba hæc, vt clara reddatur oratio, prius mente concipienda ſunt) τῷ τι παραλαβεῖν, & c. id eſt eo quod ſol aliquid excipiat ſurſum ducens, ventum fieri : eſt enim ſubaudiendum πνεῦμα γίνεσθαι, vel tale quid. ἀλλ' ὡς ἡ ἀναθυμίασις, & c. id eſt ſed dicendum eſt exhalationem ipſam ſua natura ventum gignere, ita vt exhalatio cauſa ſit, ſol verò concauſa, quod verbis illis exprimit ;
»» οὗτος δ' ὡς συνεργῶν. Lego enim οὗτος, non οὕτως, & ad ſolem refero ; atq; hoc pacto difficillima, & obſcuriſſima huius loci ſententia erit, vt expreſsimus in verſione. vtrum autem diſſentiat in cauſa ventorum motus explicanda à ſuo Doctore Theophraſtus, in tractatu de cauſis motus ventorum diſputabitur.

ἡ αὐτὴ, καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἡ γένεσις.) Eadem eſt generatio ventorum, & ab ijſdem, quia eadem eſt cauſa generationis eorum, nimirum mixta natura exhalationis.

ἄνω ποιεῖν.) Non assentior Turnebo, qui ἄνω σπᾶν in correctionibus legit: sententia enim est, solem, quod è terra exceperit, sursum ducere: subaudiendumq; hic τὰ πνεύματα γίνεσθαι, vel tale quid.

καθόλου.) Hoc positum est, quoniam sol potest interdũ, vt tex. sequenti 18. dicetur, exhalationem, venti corpus, commouere; vnde non est verum, vniuersaliter solem ventum gignere, scilicet motum ei impartire, cum exhalatio ab intrinseca natura habeat ex Theophrasti sententia, vt obliquè moueatur, ex quo, & sine vllo solis auxilio moueri plerunq; poterit.

ἀλλ' ὡς ἡ ἀναθυμίασις.) Vide quanta in breuissimis verbis contineantur, sensus enim est; sed dicendum, quod exhalatio ex contrariis composita naturis, causa sit proxima ac immediata venti, quia sit causa proxima motus ipsius; vnde illud, ὡς ἡ ἀναθυμίασις, significabit propriè, exhalationem, quatenus talis est, causam esse ventorum.

Super Tex. 18.

ἀλλ' ὁ ἥλιος.) Quasi diceret Theophrastus, etsi dictum sit solem esse concausam ventorum, non causam simpliciter, attamen concedendum est, causam interdum eorum, ipsum esse posse & euadere, quia exoriens vel illis motum impartit, vel eos sedat; quod idem facit occumbens. & nota quatuor illa κινεῖν, καὶ καταπαύειν, ἐπαυξάνεται, καὶ πίπτει. Arbitror enim ego, quatuor his diuersis vocibus significare voluisse Theophrastum ac sibi proponere inuestiganda quatuor illa, scilicet cur sol moueat, id est gignat flatus; cur sedet, item cur vehementiorem interdum reddat eorum motum, vel remissiorem.

καὶ ἐμπίπτει.) Lego cum Turnebo πίπτει, quam lectionem comprobat problemate 34. Aristoteles, quo loco eandem mouens quęstioné ita scribit διὰ τί αἰρουμένου τοῦ ἡλίου καὶ αὐξάνεται καὶ πίπτει τὰ πνεύματα.

οὐ καθόλου δέ) Repetit sententiam contextus superioris, neq; enim semper sol flatus ciet, vel sedat, quoniam moueri possunt ex sua natura, sicuti etiam & sedari.

ὅταν μὲν γὰρ ἔλαττον.) Non turbet nos vox illa ὑγρὸν, neque enim per eam intelligit vaporem, sed partem exhalationis humidam; quando sursum ductus humor nil esse aliud possit, quàm ipsa exhalatio ex qua ventus gignitur, nam perbelle docuit Præceptor initio 4. cap. 2. Meteoron non esse τὸ ὑγρὸν ἄνευ τοῦ ξηροῦ, neq; τὸ ξηρὸν ἄνευ τοῦ ὑγροῦ, sed omnia hæc dici κατὰ ὑπεροχήν Signate autem exprimit humidam partem exhalationis, quemadmodum & Aristoteles
35 prob. 34. verbis illis ἡ τοῦ ἀναχθέντος ὑγροῦ κίνησις; tota enim ratio cessationis ventorum, vel motionis, aut maioris, vel minoris flatus, quatenus ad solem pertinet, pendet ab hac humida parte: vnde Theophrastus, qui his verbis causam aperit, cur sol flatus sedet, nullam aliam affert, nisi hanc, quod humorem hunc sursum ductũ, partem videlicet exhalationis humificam, absumat; siquidem & hæc est μάρανσις illa Præceptoris, & διάκρισις initio 4. capitis 2. Meteoron explicata, quæ ventos sternit, quo loco eadem ferè quæstio ventillatur; tunc enim fit μάρανσις, vt 3. cap. de Respiratione docet diuinus vir, cum alimentum, quod in minori est, amplior calor proripit ac absumens occupat, priusquam aliud succedat, à quo nutriri minor ille calor possit: sed nil aliud est alimentum in exhalationibus quàm humor, & pars exhalationis humifica, quamobrem rectissime Theophrastus ait hoc loco, solem spiritus sedare, quia humorem absumat: vult enim dicere, solem ampliori suo calore, minorem exhalationum calorem tabefacere, humorem absumendo. vt hinc cognoscamus, si quis accurate dogmata ponderet, miram esse in omnibus tùm Aristotelis, tùm Theophrasti scriptis consensionem, licet interdum dissensio magna in verbis esse videatur. vnde neq; ob id dissentit à semetipso prob. 34. allato Aristoteles, vt rem hanc obiter hic tangamus, cum eandem solutionem adducens, addit tamen ventum esse aeris motum, ad quod & illud pertinet, quod præcedente problemate inquit, solem, quoties aerem humidum tepefaciendo percoquit, & discernit, illum in ventũ extenuare; quod etiam 2. problemate affirmat, nec Theophrastus semel in hoc libello; quæ tamen positio 2. Meteo-

Meteoron plurimis rationibus reiecta inuenitur. Enimuerò aeris nomine intelligunt exhalationem ipsam, quæ aerem mouet, ac vna motum aerem ab ea; quo sensu, neq; etiã in Meteoris negat Arist. dici posse, aeris motũ ventum esse; est nanq; fortasse aer medium necessarium ad ventum efficiendum, quemadmodum & ad sonum; vnde non posset fieri ventus exhalatio, nisi per aerem moueretur, & vna cum ipsa aer: quod namq; Aristoteles 4. cap, 2. Meteoron negat illud est, aerem casu motum, nec principium habentem, nec fontem motionis, ventum esse; quod si ἀρχὴν, & πηγὴν habeat, secus omnino dicendum erit, quod Alexander com. 19.
» contuens ita scripsit δύναται γὰρ πολὺς ἀὴρ ὑπό τινος ἀποσε-
» σεισμένος κινηθῆναι. ὃν οὐκ ἄν τις ἄνεμον λέγοι, οὐκ ἔχοντα ἀρχὴν οὐδὲ πη-
» γὴν, ἀφ' ἧς ἡ ῥύσις, ἄνεμος. quem locum interpres ita transtu-
» lit. Potest enim quandoq; fortè moueri ab aliquo casu
» plurimum quidem aeris, quem tamen nullus ventum appel-
» labit, cum non habeat principium quoddam & quasi fontem
» à quo fluxus venti nascatur: Verum ijs qui linguam græcam callent, non potest esse incompertum Alexandrum ver-
» bis illis ἀφ' ἧς ἡ ῥύσις ἄνεμος. dicere, à quo fonte, & principio fluxus, scilicet aeris, ventus est, vt sensus sit, fluxum aeris à fonte & principio quodam prouenientem, ventum es-
» se; non autem vt credidit interpres, à quo fluxus venti na-
» scatur, quo modo sententia esset, venti fluxum ab illo fonte nasci; siquidem habet græcum exemplar, ἄνεμος, vt vidimus, non ἀνέμου. vnde non potest illam admittere interpretationem, atq; hoc est quod dixit Aristoteles 2. Meteo-
» ron cap. 8. verbis illis ἀνιεμένου οὖν ᾧ κατείχετο ὁ ἀὴρ καὶ ἠρέ-
» μει, πάλιν κινεῖται, καὶ γίγνεται πνεῦμα; quorum sententia
» est, vt ego longè dissentiens à Vicomercato interpretor,
» remisso igitur calore quo aer detinebatur, & quiescebat,
» rursus ipse aer mouetur, & ventus euadit: luce enim meridiana clarius est Aristotelem hoc loco aeris nomine exhalationem, quæ aerem mouebat intellexisse, ex quo & Alexander in com. 44. pro eo quod est aer, exhalationem interpretatur, atq; exhalationem ipsam non aerem, à calore detentam esse scribit.

ὅταν δὲ πλέον, συμπαραθερμήσει.) Vide quo modo omnia hæc pendeant à parte humida exhalationis. Supra dixit si ἔλαττον sol inuenerit τὸ ὑγρὸν, ventum sedare; hic docet si inuenerit πλέον, vehementiorem reddere illius motionem: nam & ob id vsus est verbo illo συμπαραθερμήσει; cooperatur nanq; sol, non operatur simpliciter, cum vento, qui iam mouetur, motionem adijcit velociorem. Sed quæsò quo modo, & qua de causa impetum vehementiorem vento impartit sol? causam enim nos quærebamus, & causæ modum in agendo; vnde nil docere videbitur his verbis Theophrastus. Sanè docet omnia, sed quam breuissimè; ex ijs enim quæ superius dixit, dum causam cessationis afferret, satis elucet, quæ sit causa impetus vehementioris; propterea philosophus breuitatis amantissimus id tacuit. Exhalatio ex qua fit ventus, duplici ex natura constat, vt superius ex Aristotele monuimus, humida, scilicet & calida; & si humida pars amplior sit, quàm venti natura requirat, vel non mouebitur flatus, vel lentè: quod quidem inter cæteros egregiè Olympiodorus 2. Meteoron explicauit actione vltima scribens, quanquam plurima genera ventorum sub Aquilone sint, non tamen intentionem vehementiamq; spirandi habere, quippe quorum spiritus per nimium humorem traijciens præpediatur, & quasi oblanguescat; ex quo & mox infra Aquilonem ὑγρότερον, & idcircò βραδύτερον appellat; vnde dissentio à Theodoro, qui verba illa Aristotelis in prob. 34. ἢ τοῦ ἀναχυθέντος ὑγροῦ κίνησις, conuertit, vel redundantis humoris commotio: ita enim humoris redundantia causa esset motus in vento, quæ tamen potius eius motum prohibet de Aristotelis sententia: dicit igitur Philosophus verbis illis, sursum effusi, non redundantis humoris motionem ventum esse, quod nullam habet controuersiam. Iam verò sol sicuti sedat ventum, cum exiguam hanc humidam partem inuenit, quia eam absumit, ita maiorem impetum affert, ampliorem eam inueniẽs, quia, quod excedit in ea humoris, ac impedit motum, absumit, vel partem calidam auget: atq; hoc est, quod inquit Aristoteles citato problemate, motionem, si magna fuerit, solis exortù

ortū reddi ampliorem, quia sol motionum sit principium: quo loco videre est, quod Theophrastus hic, ὑγρὸν, dicit, appellare eo loco Aristotelem κίνησιν, & omia τῇ κινήσει tribuere, quæ τῷ ὑγρῷ tribuit Theophrastus; vt scilicet si minor sit, absumatur à sole, si maior, moueatur magis. Atq; hinc habemus, quæ sit illorum flatuum natura, qui sole exoriente vel mouentur magis, vel cessant; mouentur enim hi magis, qui humidā exhalationis partē copiosiorem habent, cessant, qui habent eandem pauciorem.

ἐνίοτε δὲ καὶ ἅμα τῷ δύσει) Dicit nunc quid agat sol occumbens in ventos; & mirari quis posset, cum quatuor proposita essent inquirenda, scilicet cur sedet, & cieat ventos sol, cur augeat eos, vel reddat mitiores; duorum tantum causam allatam esse, nempè cessationis, & vehementiæ. verum dicendum est, quia contrariæ contrariorum causæ sunt, & quia contrariorum eadem est disciplina, duorum illorum explicatione, reliqua etiam duo fuisse enarrata. notandum præterea est solem occumbentem quatuor illorum in ventis esse causam, licet vnum tantum hic attingat Theophrastus, alterum sequenti contextū; atq; his duobus contentus, contrarias causas de more subticeat. Quod verò sol labens ventos comprimat, Maro tanquam philosophiæ scientissimus, eleganter 3. Aeneidos versiculo illo significauit.

Interea fessos ventos cum sole reliquit.

τεύτην δὲ ἄλλον.) Nulla res fit in natura nisi intercedente Symmetria, vnde merito aperit hic Theophrastus exhalationis, quæ à sole moueri debet, cum ipso sole Symmetriam. Inquit igitur talem esse exhalationem hanc oportere, vt non statim absumi posit; enimuero absumitur, cum exiguum humorem nacta fuerit: rursus vt non posit ex se moueri; mouetur autē ex se, cū humorē proportione calori respondentem habuerit: nam sic primo modo non mouebit sol flatum, sed sedabit; secundo modo non erit necessarius: ex quo interea notare possumus de Theophrasti sententia, exhalationem ex se, & sua natura sine auxilio solis posse moueri. Non est etiam prætereundum vocem τεύτην non solum ad ἀνεκινήσειν de qua fecit supra tex. 17. mentionem,

sed

ſed etiam ad τὴν κίνησιν poſſe referri, quoniam & motionem
quoq; abſumi à ſole dicat Ariſtoteles, ita enim prob. 34. lo-
» cutus eſt αὕτη δὲ, ſcilicet ἡ κίνησις ὅταν μὲν ἐλάττων ᾖ, τα-
» χὺ καταναλίσκεται ὑπὸ τοῦ ἡλίου. id eſt ipſa motio, cum mi-
» nor fuerit, ſtatim à ſole abſumitur. quomodo κίνησις, prò
exhalatione vſurpatur, & parte eius humida.

Super Tex. 19.

ἔνια δὲ καὶ δύνοντος του ἡλίου ἰσπνεῖν.) Reſtituendum πνεῖν
cum Turnebo. dixerat autem ſupra, ſole occumbente, fla-
tus ceſſare nonnullos; nunc qui magis tum ſpirent docet,
& qua de cauſa.

οἷον ὅσα κατέχεται τῇ θερμότητι) Franciſcus Vicomerca-
tus philoſophus inſignis verba hæc Theophraſti attingens
com. 41. 2. Meteoron, ad loca, non ad flatus, illa refert,
ita vt dicat Theophraſtus, quecunq; loca calidiora ſunt, &
veluti aduſta, eiuſmodi talia flatus, etiam occumbente ſo-
» le, habere. Vicomercati oratio ita ſe habet poſt multa. per-
» ſeuerare enim tum ventum, idq; maxime in locis calidiori-
» bus, & veluti aduſtis euenire, ob eamq; cauſam meridie eti-
» àm ventos exiſtere. quin etiam & lunam hæc eadem face-
re. Verum ego multo aliter ſentio, ſiquidem inquit Theo-
phraſtus initio contextus, ἔνια δὲ πνεῖν μᾶλλον, &c. mox
qui ſint aperit οἷον ὅσα κατέχεται, &c. itaq; de ventis ſer-
mo eſt non de locis; atq; eſt ſententia ventos illos, ſole ad
occaſum labente, flare, qui calore detinentur, & quaſi exic-
cantur, & deuruntur: detineri autem calore exhalationem
ventum & aerem; cap. 8. 2. Meteoron eleganter ac ſubtili-
ter docet Ariſtoteles, vbi cauſam inueſtigat, quare ante
eclypſes flatus moueantur; quo loco cum deſinit calor &
lumen, exhalationem à calore detentam dimitti, & ventum
» fieri notat in com. Alexander, cuius hæc eſt oratio, Ex hoc
» enim quod emarceſcit, ac minor fit caliditas in aere, quæ à
» luna eſt, cum proxima iam futura eſt eclypſis, dimiſſa exha-
» latio, quæ prius propter plurimam caliditatem quieſcebat,
» ventos facit. Quo autem modo detineatur à calore exhala-
» tio, ſubtiliter hic docet Theophraſtus verbis illis ὅσα
ἐξα-

ἐξαναξηραίνεται, καὶ ἐγκαίεται. id est quasi resficcatur, & deu-
" ritur; minor enim flamma à maiori comburitur cap. 3. de
" respiratione, vt aliud quoduis idoneum vri; quamobrem mirum non est si calor solis interdiù detinet exhalationem aliquam sua natura calidiorem, quæ eo occumbente non abs rè mouebitur, & ventum faciet.

μάλιστα πνεύματα.) Vicomercatus, vt ex verbis, quæ supra attulimus patet, arbitratus est dicere hoc loco Theophrastum in locis calidioribus meridie ventos existere: verū hallucinatur homo alioqui eruditissimus; est enim corruptus locus, atq; ita restituendus, vt pro eo quod est πνεύματα, ἄπνευματα legamus non ἀναπνεύματα, vt Turnebus; nam Theophrastus infra tex 32. τὰ προσηνεμα ἄπνεύματα esse inquit. Potuerat autem Vicomercatus, ex ijs quæ sequuntur, doceri de suæ sententiæ falsitate, tum etiam ex ijs quę contex. 20. sequenti disputantur, siquidem subdit Theophrastus, sole declinante, dies magis ventis exagitari, nempè quia dixerat in meridie eos quiescere, & ratio manifesta ex superioribus deducitur; calor enim est qui detinet interdiū exhalationes, at calor in meridie magnus est, itaq; tum maximè detinet; quamobrem & per id temporis ventorum silentium; contextū verò 20. aperte statuit Theophrastus in meridie potissimum ventos cessare.

οἷον γὰρ ἀσθενὴς ἥλιος.) Theophrastus de luna libello de
,, signis aquarum, luna enim noctu est tanquam sol. & Ari-
,, stoteles cap. vltimo 4. de ortu Animalium, fit enim veluti
,, alter sol minor. dixerat autem supra, lunam similem habere & flatus ciēdi & sedādi facultatē, etsi pares cū sole vires non habeat; vnde duo dixit, & posse lunam, & minus posse; quamobrem hic vt illorum duorum causam afferat, lunam veluti solem appellat imbecillum, quia enim veluti sol est, potest; verum quia est veluti sol imbecillus, multo minus potest: porrò autem similia hæc efficiendi habere lunam
potestatem, testatur rursus Theophrastus libello de vento- "
,, rum signis ita scribens. Flatus tum ad solis, tùm ad lunæ "
,, exortum spirare incipiunt; & quos sol exoriens sedat, lu- "
,, na emergens excitat, & intendit: item posse lunam suo ca- "
lore

lore detinere exhalationes autor est Aristoteles citato capite 8. 2. Meteoron, confirmatq; com. 44. Alexander.

διὸ καὶ νύκτωρ δεινότεραι ✶ καὶ αἱ σύνοδοι.) Locus hic stellatus est, & corruptus in omnibus legitur exemplaribus. Turnebus eum restituit sic, δεινότεραι αἱ ἐκλείψεις. quod tamen penitus improbo; vt enim alijs in locis eum bene sensisse concedamus, at certè nulla excusatione tueri possumus, quin philosophiæ, in hoc vno, aduersari vniuersæ videatur, si δεινότεραι, vt sententiæ ratio exigit, calidiores, interpretemur: Eclipses enim lunæ ob luminis & caloris defectum, vt capite 8. 2. Meteoron docet Aristoteles, frigiditatem in aere inducunt non caliditatem: preterea eadem esset sententia cum priori, in qua asserit autor, mensium coitus esse frigidiores, ac subinde ociosa; atqui Theophrastus vt probet, lunam esse veluti solem; probare aggreditur calefacere eam & frigefacere, sicuti sol accessu calorem, recessu frigus parit. Emendo igitur ego his de causis, prò δεινότεραι primum ευδιεινότεραι, nam hæc vox est, quæ opponitur τῷ χειμερινώτερῳ, vt ex tex. 3. patet; deinde stellatum locum supplendum esse censeo hac voce, αἱ πανσέληνοι; etenim in plenilunijs noctes sunt calidiores, & idcirco menses, circa mediam illorum partem calidi magis; sicuti & nouilunio menses sunt frigidiores. Aristoteles cap. 5.
,, 4. de Partibus Animalium; & plenilunijs magis, non quia
,, per id tempus copiosius pascuntur, vt quidam putant, sed
,, quod noctes calidiores sint, propter lunæ lumen. Nec fortasse aberraret, qui legeret διὸ καὶ νύκτες ευδιεινότεραι ἐν ταῖς πανσελήνοις. quod verò luna suo calore ventos mouere possit, nil est mirum, docet enim Auerroes 2. Meteoron cap. 2. non quemlibet calorem ventum gignere, sed tantum calorem exhalationi & flatus naturæ congruentem.

καὶ αἱ σύνοδοι.) eandem sententiam ijsdem penè verbis
,, expressam habemus libello de Pluuiarum signis διὸ καὶ αἱ
,, σύνοδοι τῶν μηνῶν χειμέριοί εἰσιν. ὅτι ἀπολείπει τὸ φῶς τῆς
,, σελήνης. id est atq; ea de causa mensium initia sunt frigidio-
,, ra, quia lunæ lumen deficit. de qua re nonnulla Aristoteles
,, 2. cap. 4. de Animalium ortu. & tex. 25. 2. Poster.

συμ-

συμβάντι δ' οὖν.) Epilogus est eorum quæ dicta sunt : ac profecto de philosophica republica optimè Theophrastus hoc loco meritus est; docens enim duplicem esse exhalationem, & spirituum naturam, aliam, quæ à sole, aliam, quæ à luna moueatur; item his luminibus emergentibus & occumbentibus, vel exoriri flatus, vel sedari; vel motum vehementiorem habere, vel remissiorem; maximum in naturali philosophia arcanum aperit, ac simul viam sternit ad multa problemata dissoluenda, præsertimq; ad causam æstus maris inueniendam, vt suo loco à nobis fuit demonstratum.

εἴδε ποτὲ καὶ κατὰ σύμπτωμα.) Locus hic maxima animaduersione dignus est; monet enim primum Theophrastus in eo, considerandum esse, an flatus, sole, vel luna oriente, & occumbente, moueantur, aut cessent, casu & per accidens; ita vt non sint lumina semper motus venti causæ, sed ipsamet exhalatio sua natura: tunc enim sic mouebitur exoriente sole flatus, sicuti ambulante Cæsare coruscat. Præterea perdifficilem illam tangit quæstionem, quam prob. 32. mouet Aristoteles; scilicet flatus ad exortus astrorum, & occasus excitari: qua in re potissimum notandū venit, quod Theophrastus concludere videtur, scilicet per accidens ventos ad huiusmodi astrorum ortus, & occasus, vel oriri, vel cessare: ita enim sequitur ex illius sententia, astra illa non esse causas sed signa tantum ortus ventorum, & aeris mutationis; quasi solem, & lunam vel solas causas, vel saltem manifestas harum mutationum agnoscat vna cum suo doctore Theophrastus, non alia sidera; quod alio loco à nobis disputatum est. Astra autem hæc, quæ sint, dicit Theophrastus initio libelli de signis aquarum: Aristoteles prob. 3. primæ sectionis, ac nos demum de horum & magni Hippocratis sententia in Apologia: mutari vero aerem ad eorum ortus, & occasus, tum ibi docet, tum ad finem libelli de signis tranquillitatis, & citato problemate confirmat Aristoteles.

Super Tex. 20.

ἐπὶ τῆς πῶς αἰτίας.) Dixerat supra, cur sole exoriente, & occidente flatus vel gignerentur, vel cessarent. nunc cur

nocte media & meridie vt plurimum silentium sit ventorum & tranquillitas, tanquam euentus, qui identidem à sole pendeat, tractare aggreditur: & rectè addit περὶ, neq; enim simpliciter eadem causa tangitur, quoniam supra de sole, & calore ab eo genito, hic non de calore tantum, sed etiam de frigiditate mentio est, tanquam de causa tranquillitatis.

ἐπὶ τῶν * μέσων μὲν νυκτῶν.) Lego cum Turnebo ἐπὶ αὐτῶν μέσων, & c. nec deest aliquid, ni hallucinor, in contextu, proinde frustra locus stellatus inuenitur.

μεσημβρίας κρατῶν δὲ καὶ κρατούμενος.) Nisi haberemus problema 4. sectionis 25. in quo eadem quæstio ijsdem verbis pertractatur, cuius ex fide, quæ deerant reposuimus, actum erat de huius loci intellectione: cum enim exempla-
» ria omnia habeant πορρωτάτω γὰρ ὁ ἥλιος τότε μεσημβρίας,
» κρατῶν δὲ καὶ κρατούμενος, patet vmbram tantum alterius membri orationis, quod totum deest, in voce illa, μεσημβρίας, seruatum esse: siquidem cum dixisset Theophrastus ἐπὶ τῶν μέσων μὲν νυκτῶν κρατεῖν, & rationem adiunxisset, quia sit πορρωτάτω ὁ ἥλιος τοτὲ; propterea; declarasset quo tempore superet aer, & ob quam causam; reliquũ erat, ne manca, atq; conturbata esset oratio, vt alterum poneret disputationis membrum, nempè quo tempore superetur aer, & qua de causa: ita enim Magister ante illũ citato pro-
» blemate locutus erat, κρατεῖ μὲν οὖν μάλιστα μέσων νυκτῶν.
» κρατεῖται δὲ μεσημβρίας. τοτὲ μὲν γὰρ ὁ ἥλιος πορρωτάτω.
» τοτὲ δὲ ἐγγυτάτω γίνεται. id est superat quidem igitur ma-
» ximè nocte media. Superatur autem meridie: enimuero
» tunc sol quidem est remotissimus; meridie verò propinquis-
» simus efficitur. Itaq; luce meridiana clarius est, vel maxima cum orationis iactura delendum esse illud, μεσημβρίας, vel supplenda illa δὲ κρατεῖσθαι, ἐγγυτάτω γὰρ γίνεται τοτέ. quod nos fecimus. Legimus etiam hanc senteotiam cap. 8. 2. Meteoron, quo loco tranquillissimam esse meridianam diei partem simili de causa docet Aristoteles. Intelligas autem hic aeris nomine exhalationem quoq; ipsam, quę aerem mouet, vt superius monuimus. ita autem oratione Theophrasti restituta, ac explicata, perspicuum est frustra in Ba-

filienfi codice, illa ὑπὸ τῶν *· μέσων, &c. afterifco notari.

ἄρχεται γὰρ ἡ θερμὴ περὶ ἄνσμὰς.) Verba mirificè funt deprauata; atq; ex problemate illo 4. fectionis 25. in hunc modum reftituenda. ἄρχεται γὰρ ἢ περὶ ἕω, ἢ περὶ ἄνσμὰς.
» fic enim Ariftoteles ibi, ἔτι ἄρχεται τὰ πνεύματα ἢ περὶ ἕω,
» ἢ περὶ ἄνσμὰς. id eft incipiunt enim flatus vel ortu, vel oc-
» cafu.

λήγει δὲ τὰ μὲν ἕωθεν.) Reftituo ex eodem prob. τὸ μὲν ἃ ficuti & mox in verbis καὶ ἀπὸ ἄνσμων, ὅταν παύσηται, lego pro καὶ, τὸ δὲ ἀπὸ ἄνσμων.

Super Tex. 21.

εἰ δὲ τινες.) Nobilem illam tangit quęftionem, cur flatus, quorum alioqui exhalatio, ex qua conftant, à calore gignitur, & calida eft & ficca, frigidi nihilominus plerunq; fentiuntur; de qua re Ariftoteles abunde prob. 48. & cap. 8. 2. Meteoron.

ἀπὸ τῆς του ἡλίου κινήσεος.) Rectiſsime à folis motu fumit ad calorē probandū argumentum: fiquidem fol, aftra, & cęlum apud Ariftotelē non lumine calorē producunt, vt in latinorū interpretum animis iam diù infedit opinio, fed motu calorem, & quod magis eft, lumen quoq;, vt tex. 42. 2. de Cœlo clarifsime habetur, & cap. 4. primi Meteoron; vnde Auerroes libello de Subftantia Orbis, quòd lumen in fchola peripatetica calorē gignat, id fuiffe Interpretū inuentū no-
» tat, ac additamentū; poftquā enim dixit. Et Ariftoteles di-
» cit quòd corpora cœleftia non calefaciunt fecundum quod
» funt calida, fed fecundum velocitatem motus: fcribit fic. Et
» expofitores dant fecundā caufam, fcilicet illuminationem.
» dicunt .n. quòd lux, in eo quòd lux, videtur calefacere, quā-
» do reflectitur. de qua re tanquam difficillima, & obfcurifsima, ac paucis in Ariftotelis doctrina nota, & in qua iniuria & reprehenditur à recentioribus, & deferitur Præceptor, fatis in D putatione noftra de calore ab Aftris genito dictum eft. Habet tamen Ariftoteles in cōtextu problematis 48. pro eo quòd dixit Theophraftus, ἀπὸ τῆς τοῦ ἡλίου κινήσεως. ἀπὸ τῆς τοῦ θέρμου σύγκινήσεως, quo loco per τὸ θέρμον.

solem intelligit. nec turbet nos si calidum solem appellat, quod secũdo de Cęlo, & primo Meteoron constanter negat. In problematibus enim loquitur ad sententiam aliorum:
„ vnde prob. 17. sect. 25. scribit sic, τά δὲ ἄςρα καὶ οὐρανὸς θέρ-
„ μα. vel dicas solem, cœlum, & astra, calida appellari ab eo, vt cum scholasticis loquamur, effectiuè non formaliter.

οὔτε γὰρ ἀπλῶς.) Habes hîc rursus solem non esse causam simpliciter ventorum, sed concausam.

ἀλλ' ἐὰν τρέπωσι τινὰ γίνεται.) Restituendum prò γίνεται, γένηται. Aristoteles enim sic allato probleamate, ἐὰν μὴ τρόπον τινὰ γένηται. Tota autem ratio, cur flatus frigidi spirent, vel calidi, hîc explicatur; pendet enim res hæc à modo spirationis.

ἀθρόως μὲν γὰρ ἐκπίπτουσα.) Declarat modum à quo habet ventorum motio, vt frigida sit, vel calida; eumq; duplicem facit, sicuti & motio duplex est, scilicet vel calida, vel frigida: atq; hic modum primum aperit ad calorem pertinentem, eiusq; explicat conditiones. Prima est; cum spiratio ἀθρόως, & τῇ πρώτῃ, efficitur; quemadmodum infra exemplo spiritus ex ore emissi planum facit: vnde falsò habent codices, ἐκπίπτουσα, siquidem vt infra clarum erit, ἐκπίπτουσα, pertinet ad modum spirationis, qui frigiditatem inducit. restituendum igitur ἐμπίπτουσα: nam & Aristoteles sic
„ locutus est, ἀλλ' ἐὰν μὲν ἀθρόως ἐμπίπτῃ.

καὶ ἡ συνεχὴς αὐτῷ τῷ ἀφιέντι. Prò καὶ ἡ, lego καὶ ᾖ, Aristoteles enim sic allato problemate, καὶ ᾖ αὐτὸ τὸ ἀφιέν, &c. Deinde prò συνεχὴς lego σύνεγγυς, nisi velimus συνεχὴς, significare hîc vicinitatem, vt tex. 23. infrà; quo pacto vox delenda non erit; vt sit sententia, & si motio proxima fuerit ei, qui emittit, &c. duas enim requirit conditiones motio, vt calida sit: quarum prior supra explicata est, vt scilicet vniuersa illabatur; posterior hic aperitur, nempè vt sit proxima τῷ ἀφιέντι: neq; enim potest intelligi, quid ad calorem operetur συνεχεια, id est continuitas, nisi dicat vicinitatem, quam in modo etiam, qui ad frigiditatem pertinet, calorem præstare Aristoteles autor est. nam &
„ prob. 48. dicit ἀλλὰ τὸ μὲν ἐξιὸν θερμὸν ἀεὶ, σημεῖον δὲ τὸ ἐγγὺς

» ἐγγὺς προσάγαγόντι, τοιοῦτον φαίνεσθαι. id est sed quod exit
» calidum est semper, cuius indicium, quod calet, propius
» admouenti, percipitur: & problemate 7. sect. 34. σημεῖον
» δέ ὅτι θερμαίνει, ἐὰν πλησίον προσάγῃ τις τὴν χεῖρα τοῦ στόματος.
» id est indicium quòd calefacit, si quis manum ori admoue-
» at. & demum cap. 8. 2. Meteoron: καὶ γὰρ τοῦτο ἐγγύθεν
» μέν ἐστι θερμόν, ὥσπερ καὶ ὅταν ἀάζωμεν, id est etenim hic
» (scilicet spiritus angusto ore emissus) propinquus quidem
» calidus est, veluti & cum exhalamus: vt hæc omnia testimo-
nia propinquitatem calidam reddere motionem osten-
dant, ac latissime probent; subindeq; conuincant, συνεγγὺς
vt monuimus, esse legendum. Cæterum si iacenti Discipu-
lo Præceptor manus admouet, rationi consentaneum est,
ipsum quoq; Discipulum Præceptori opitulari; perspicuum
nanq; fit ex his, quomodo locus hic Aristotelis obscurissi-
mus veniat intelligendus: cum enim ita scribat citato pro-
» blemate Philosophus, ἀλλ' ἐὰν μὲν ἀθρόως ἐμπέσῃ, καὶ εἰ
» αὐτὸ τὸ ἀφιέν, θερμή. quibus explicat conditiones duas iam
enarratas modi spirationis illius; quæ calida est; scilicet &
vniuersam simul, & proximam, loco vnde emittitur, motio-
nem esse oportere: patet verba illa, καὶ εἰ αὐτὸ τὸ ἀφιὲν à
Theodoro fuisse cum totius sententiæ ruina prætermissa;
quæ tamen in exemplaribus omnibus habentur, tùm im-
pressis, tùm calamo exaratis; & apud veterem leguntur in-
terpretem, licet ipse quoque, vel ob sermonis breuitatem,
vel quia locus fortasse corruptus sit, scopum non attingat.
» Theodorus enim ita interpretatus est. Nam si vniuersa in-
» terrumpit, calida est, vnde & illa omnia, καὶ εἰ αὐτὸ τὸ ἀφιέν,
» reliquit. Vetus verò interpres sic, sed si coadunatè cadit,
» vrit ipsum dimissum caliditate. at ipsum quod dimitti-
tur calidum esse, his verbis probare vult Aristoteles, motio-
nem verò, si coadunatè cadat, ipsum dimissum vrere intel-
ligit interpres: quanquam, si quis acutè introspiciat, pos-
sunt hoc etiam sensu verba interpretari. Item longe rece-
dit à græca fide, prætermittit enim particulam, εἰ, nec vl-
lam facit de propinquitate mentionem. Dicendum igitur
est, aut verba esse deprauata, & sic restituenda, legendaq;

καὶ

καὶ εἰ αὐτῷ τῷ ἀφιέντι σύνεγγυς, aut saltem aduerbium, σύνεγγυς, esse subaudiendum; vt in hunc modum tota conuertatur oratio. Sed si vniuersa illabatur, & si ei, qui dimittit, proxima fuerit, vel & si is, qui dimittit, proximus fuerit, calida erit. nam & hoc pacto mutila sententia non erit, sed hasce duas continebit explicabitq; conditiones, quę calidam reddunt motionem; nempe & vniuersam illabi oportere, & loco esse proximam, vnde oritur. vt meritò ob id calidam esse concludat Aristoteles.

κατὰ μικρὸν δὲ καὶ διὰ στενοῦ.) Apetit conditiones alterius modi spirationis, à quo habent flatus vt frigidi sint, quas quidem duas identidem esse docet, etsi vnam tantum explicare videatur; duo enim hæc, κατὰ μικρόν, & διὰ στενοῦ, opponuntur τῷ ἀθρόως; nam quæ motio paulatim, & per angustum fit, non potest ἀθρόως; id est simul tota, ac vniuersa effici: altera conditio est, vt sit à loco remotior, vnde exoritur, & opponitur τῷ σύνεγγυς: contrariæ enim contrariorum sunt causæ vt toties diximus.

ὁ δ' ὑπὸ ταύτης κινούμενος αὐτὸ ὅμοιος.) Aristoteles prob. 48. sic. ὁ δ' ὑπὸ ταύτου κινούμενος ἀὴρ, ὅμοιος ὤν, &c. Ex quorum locorum mutua collatione claret apud Theophrastum prò κινούμενος αὐτὸ legendum esse κινούμενος ἀὴρ, irrepsit enim librariorum incuria pro ἀὴρ, pronomen αὐτὸ: vnde Turnebi non probo emendationem, qui αὐτὸ in contextu relinquit. Apud Aristotelem verò patet prò, ὑπὸ ταύτου, legendum esse ὑπὸ ταύτης, siquidem verba ad τὴν κίνησιν referri debent.

προϋπάρχειν.) Lego προϋπάρχον, ex allato Aristotelis problemate.

τοιαύτην δὲ τὴν κίνησιν.) Lego τοιαύτην καὶ τὴν κίνησιν. Aristoteles enim sic, τοιαύτην καὶ τὴν κίνησιν ἀπετέλεσεν.

Super Tex. 22.

παράδειγμα δ' ἱκανὸν τὸ ἐκ τῶν σωμάτων.) Hoc est, quod non solum attingit problemate allato 48. Aristoteles, & cap. 8. 2. Meteoron, sed tractat ex proposito prob. 7. sectionis 34. quærens cur ex ore tùm calidum, tùm frigidum spi-

ritum emittamus. Exemplo enim huius rei declarant, ac dissoluunt Aristoteles ac Theophrastus eandem hanc de vẽtis quæstionem. Cum verò Aristoteles prob. 48. ita ordiatur disputationem hanc, ὥσπερ καὶ ἔσω τοῦ σώματος, & c. arbitror ego legendum esse ἔσω τοῦ στόματος, nam & Theophrastus habet hic τῶν στομάτων, & Aristot problemate 7. sectionis 34. ἐκ τοῦ στόματος. 2. Meteoron διὰ τοῦ στόματος, & verba quæ sequuntur, quibus ita scribit Aristoteles φασὶ γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἡμᾶς πνεῖν .i. dicunt enim ex eodem calidũ & frigidum nos spirare, aperte ostendunt στόματος non σώματος esse legendum. enimuero ex ore tantum, quamuis Platone reclamante spiramus & respiramus non ex corpore; qui sententiam hanc in Timeo sectatus est, ex ipso quoq; corpore fieri respiratiooem contendens, qua in re meritò, si id tamen sentit, ab Aristotele libello de Resp. reijcitur.

διαφέρει δὲ τῇ προέσει καὶ ἐκπτώσει.) Hinc coniecturam capio verba illa problematis 48. quæ sic leguntur διαφέρει δὲ καὶ ἡ ἔκπτωσις αὐτοῦ mutila esse, vt pote quibus desit hoc alterum membrum καὶ ἡ πρόεσις: nam & verba, quæ sequuntur declarant πρόεσιν ipsam, & quo modo fiat; est enim πρόεσις cum hiante ore vniuersum exhalamus, atq; hunc spirationis modum appellat Aristoteles prob. 7. sect. 34. ἀσμὸν, pertinetq; ad caliditatem. ἔκπτωσις verò est, cum strictè ac paulatim, & per angustum efflamus; quod φυσασμὸν dicit citato loco Aristoteles: & spectat id ad flatus frigiditatem, dummodo tamen spiratio longior progressa fuerit à loco vnde oritur, quemadmodum superius de Aristotelis sententia monebamus: nam & flatus ex ore emissus, etiam si paulatim, & διὰ στενοῦ fiat, è propinquo calidus est: quod idem in ventis euenit. exhalatio enim si ex aliquo loco, nõ vniuersa, sed pauca, & per augustũ emittatur, aeremq; frigidum reperiat, vt frequenter solet, ob frigidum vaporem quo impletur, vt docet 8. cap. 2. Meteoron Philosophus, longius progressa, frigida sentitur: calor enim ipsius, quia paucus fit, propterea quòd & ipsa exhalatio pauca exeat, ob suam exiguitatem delitescit, nec in

ipso

ipſo aere ſentitur; ob idq; aer frigidus remanens, ab ea motus, frigidam reddit ſpirationem; adde quòd exhalatio διὰ τοῦ στενοῦ tranſiens, multum externi aeris excitat & mouet, vehementiorem enim motum habet illa de cauſa. Nec tamen pugnant hæc cum ijs, quæ ſupra tex. 5. vidimus, ſcilicet ventum locis propinquis eſſe frigidum, quia tranſeat per anguſtum. dicere enim quis poſſet, ſi motio etiam διὰ τοῦ στενοῦ tranſiens proximè calida eſt, ventum locis propinquis calidum ob id ſpirare oportere; nam propinquitas de qua loquitur Ariſtoteles hoc loco ad fontem & principium motionis venti eſt referenda, quod ſanè principium è ſuperiori loco, aere videlicet apogeo ventus accipit, vt verè ac ſubtiliter 4. capite 2. Meteoron idem docet, inquit enim
» eo loco Philoſophus ἡ μὲν γὰρ κίνησις ἄνωθεν. id eſt motus
» enim de ſupero loco. Et paulo poſt ὡς ἄνωθεν αὐτῶν ἐχόν-
» των τὴν ἀρχήν. id eſt tanq; ipſi habeant d. ſuper principi-
» um. Itaq; ſi principio & loco illo proximi eſſemus, venti ſpirationem & motionem calidam omnino perciperemus, quia exhalatio ſua natura calida ſit: atq; hoc eſt quod in-
» quit hoc loco Theophraſtus αὐτὸ μὲν τὸ πρῶτον οὐ ψυχρόν.
» id eſt quod primum exit non quidem frigidum eſt. verum quoniam magna eſt diſtantia à loco illo ad aerem qui nos ambit, propterea frigidam ſentimus motionem, cum ad nos peruenit. Textu verò 5. alia ratione propinquitas, vt perſpicuum eſt conſideratur, quo ſenſu Auſtros & Aquilones locis eorum origini propinquis frigidos eſſe dicimus, quemadmodum ſupra in diſputatione de Auſtri origine demonſtrauimus.

ἐὰν δὲ διὰ στενοῦ σφοδρότερον φερόμενον.) Ariſtoteles ſic allato problemate 48. ἐὰν διὰ στενοῦ θερμότερον γινόμενον, & c. perſpicuum autem eſt ex his Theophraſti verbis, loco eius quod habent exemplaria Ariſtotelis omnia impreſſa, θερμότερον, reponendum eſſe σφοδρότερον: vt in hunc modum reſtituta oratione, candidè & verè loquatur Præceptor ἐὰν δὲ διὰ στενοῦ σφοδρότερον γινόμενον. & c. vnde quàm rectè ſic
» tráſtulerit Theodorus locum hunc, ſed ſi per anguſtũ extru-
» damus, calidius profectò extrictum aerem, & c. alij viderint;

rint;quod enim, τὸ θερμότερον, loco; τοῦ σφοδρότερον, librariorum incuria omnino perperam irrepserit, ij facile norunt, qui animaduertere voluerint, Aristotelem περὶ τῆς ἐκπτώσεως sermonem habere; hoc est de modo & causa, ex qua venti habent, vt frigidi sentiantur: vt nulla potuerit dicere ratione τὸ πνεῦμα θερμότερον διὰ στενοῦ γινόμενον frigidum effici: debuisset enim, hoc posito, potius necessario concludere spiritum calidiorem fore, si calidior per angustum transiens factus fuerit; non autem colligere, quod κίνησις αὐτοῦ, quia per āgustū trāsiēs calidior sit facta, ob id ψυχρὰ reddatur. præterea, τὸ σφοδρότερον, ad ventorum frigiditatē pertinere; ita enim sequenti problemate loqui-
»» tur diuinus vir, εἰ γὰρ ὥσπερ εἴπομεν διὰ στενοῦ γίνεται τὰ πνεύ-
»» ματα τοῖς ἐγγυτέρω, ψυχρότερα ἔσται διὰ τὴν σφοδρότητα τῆς
»» κινήσεως. id est si enim vt dicimus per angustū proximis lo-
»» cis venti oriuntur, frigidiores illis occurrēt, ob motus ve-
»» hementiam. Et Theophrastus in principio libri tex.5. cau-
»» sam, cur aliqui venti frigidi sint, adducens sic ait, τὸ δὲ
»» διὰ στενοῦ, καὶ σφοδροτέρως φερόμενον, ψυχρότερον. id est qui
»» verò per angustum fertur, & motu vehementiori, frigidior
»» est: igitur si ventus frigidus est, quia σφοδρότερος fertur; σφοδρότερος autem fertur, quia διὰ τοῦ στενοῦ pertransit, necessario Philosophus causam frigiditatis ventorum adducens, cum διὰ στενοῦ dixisset, debuit σφοδρότερον, non θερμότερον adijcere; quod eò magis asseuerare audeo, quòd factum est, vt forte in veterem translationem inciderem, quam magna cum mea voluptate σφοδρότερον. vt ego ex Theophrasto restitui, legisse inueni, & non θερμότερον, vt Theodorus Gaza legendum censuit; siquidem ita transtulit lo-
»» cum vetus Interpres, si autem per angustum vehementius
»» factum impellit propinquum aerem: Accedit demum fides emendatissimi græci codicis manuscripti, qui fuit Demetrij Chalcondylis viri doctissimi, & integerrimi, quiq; ad nostras manus postea, magna quadam sorte peruenit; in quo σφοδρότερον scribitur, non θερμότερον.

τὸν ἐχόμενον ψυχρῶν.) Lego ψυχρὸν ὄντα; atq; sententia est si ἐκπτώσει & φύσησμῷ fiat ex ore flatus emissio, nem-

pe angusto ore; flatum ipsum frigidum percipi, quia per angustum transiens, & sic vehementior, maiorem vim habeat amplioris copiæ aeris commouendę, qui frigidus est: item quia, cum paulatim exeat & paucus, ob exiguitatem, calor ipsius in tanta aeris copia delitescit. Totum id Aristoteles prob. 7. sect. 34. his verbis declarauit eleganter, quærens cur ex ore flatum, & frigidum, & calidum emittamus.
» mus. ἢ ἀμφοτέρως, inquit, ὁ ἀὴρ κινούμενος ψυχρός. ὁ δὲ φυ-
» σῶν κινεῖ τὸν ἀέρα οὐκ ἀθρόως, ἀλλὰ διὰ στενοῦ τοῦ στόματος. ὀ-
» λίγον οὖν ἐκπνέων πολὺ κινεῖ τὸν θύραθεν, ἐν ᾧ τὸ θερμὸν ὂν τὸ
» ἐκ τοῦ στόματος, οὐ φαίνεται διὰ ὀλιγότητα. ὁ δὲ χάσκων ἀθρόον
» ἐκπνεῖ. διὸ θερμόν. id est an vtroq; modo motus aer frigidus
» est; verum efflans non confertim, sed per oris angustiā aë-
» rem mouet. expirans igitur exiguum spiritum; plurimum
» mouet externi aeris; in quo spiritus ex ore emissi calor ob
» suam exiguitatem non sentitur. exhalans verò, vniuersum
» expirat, ob idq; calidum. Quo loco non possum non vehementer Theodorum demirari, virum alioqui eruditissimū, qui præter græci codicis fidem, præter sententię veritatem, pro eo quod est, ψυχρός, legens, θερμός, verba in princi-
» pio orationis posita, ita conuertit. An vtroq; modo aer
» commotus calidus est? cum tamen dicat hic contrariū Aristoteles, scilicet, An vtroq; modo aer motus frigidus est? ac verè vtroq; modo frigidum esse aerem debeat affirmare: vn-
» de vetus Interpres ita locum interpretatur. vtrobiq; mo-
» tus aer frigidus: ac sententia est externum aerem, vtroq; modo, scilicet quoquomodo fiat spiratio, vel angusto ore, vel hiante, esse frigidū; ob idq; spiritū angusto ore emissum, frigidum percipi: cum enim paulatim sic emittatur, calorem, qui cum spiritu exit, paucum existentem non apparere: spiritum verò hiante ore emissum calidum esse, tametsi externus aer frigidus sit, quia sic vniuersus, & simul totus emittatur, atq; vna cum eo magna caloris copia, quæ externum aerem calidū reddit. nam & hoc est quod inquit ver-
» bis illis citato problemate Aristoteles ὁ δὲ χάσκων, ἀθρόον
» ἐκπνεῖ διὸ θερμόν. id est exhalans verò, vniuersum expirat
» ob idq; calidum. Quod si cum Theodoro calidum externū aerem

aerem esse affirmaret Aristoteles, nulla ratione probare posset, flatum angusto ore emissum frigidum sentiri: enimuerò hoc pacto oporteret ipsum quoq; calidum esse. Verum de his hactenus. Exposita flatus, qui ex ore expiratur, differentia, idem concludit in ventis quoq; locum habere Theophrastus; si enim motio venti paulatim fiat ac per angustum, frigida erit, dummodo externus aer frigidus sit, ac venti motio paululum fuerit progressa: si vniuersa simul, calida: potest enim exhalatio ipsa aerem calefacere, vt 2. Meteoron cap. 8. docet Aristoteles, scribens, aeris tranquillitatem & frigus vehemens interdum terremotus antecedere, propterea quod exhalatio ipsa, quæ aerem mouebat, & calefaciebat, intra terram refluat ac reuertatur.

ὡς ἂν ἔχον τυγχάνῃ.) Lego ἔχειν τυγχάνῃ.

χειμῶνος δὲ ψυχρὰ πνεύματα.) Lego ψυχρὰ τὰ πνεύματα nam & sic probiemate 48. Aristoteles.

Super Tex. 23.

φανερὸν δ' ὅπου διὰ τὴν * ἐκπεπυρωμένον.) Locus hic mirifice lacerus est mutilus ac inuersus; totus ferè nanq; stellatus est: ita tamen puto, & cum superioribus connectendam esse orationem, & restituendam: audacter fortasse nimis, verum dabunt alij meliora, in magnis enim voluisse sat est. Lego igitur διὰ τὴν θερμότητα ὁ τόπος ἐκπεπυρωμένον ἀέρα τετύχηκεν: aduerbium enim ὅπου aperte ostendit de loco sermonem haberi: arbitrorq; scopum esse Theophrasti, quod superius dictum est de calida ventorum spiratione, hoc loco sensu comprobare.

ἐὰν γὰρ ὅπου * πνεῦμα καὶ ὁ πόθος * θερμὸν εἴτε ψυχρὸν ὅμως * διαφορὰ.) Eadem audacia, omnia hæc diuinans, ac vtcunque sensum eruens, ita restituo. ἐὰν γὰρ ὅπου ῥεῖ τὸ πνεῦμα, καὶ ὁ τόπος ἐνταῦθα ἔμπυρος ᾖ εἴτε θερμὸν εἴτε ψυχρὸν, ὅμως καὶ πρὸς τῇ διαφορᾷ τοῦ ἀέρος ἀεὶ τοιοῦτον, &c.

καὶ ἐν αὐτοῖς μὲν τοῖς τόποις * τοῖς συνεχέσιν.) Lego τοῖς τόποις καὶ τοῖς συνεχέσιν. estq; sententia, in locis, è quibus oritur flatus hic calidus, suam ipsum retinere caliditatem, atq; etiã in locis proximis; vnde vox συνεχέσιν supra tex. 21.

propinquitatem dicet.

πόῤῥωτέρω δὲ πορρώτερον, οὐχ ὁμοίως.) Si ventus longius progressus non similiter, id est, non adeo calidus est, vt ego interpretor, quo modo tex. 5. supra dicere potuit Theophrastus, flatū per angustū, atq; ob id vehementius spirantem, frigidum esse, longius verò progressum calidum euadere? quod etiam prob. 49. videtur innuere Aristoteles? siquidem hoc pacto flatum initio calidum, calidiorem esse lōgiùs progressū oporteret. Respōdeo hic propriè ea quadrare, quæ superius de loco, vnde ventus oritur, disputata sūt in annot. 2. sup. t. 22. locus .n. hic, de quo loquitur Theophrastus, quia calidissimus sit, instar fontis & principij est, vnde meritò flatus, quo fuerit eo proximior, calidior erit.

Διὸ καὶ οἱ ὀλοθρευτικοὶ.) Pulchrā rem narrat Theophrastus; si enim ex locis maximè vrentibus, atq; aerem crassum habentibus spiret flatus, potest caloris vehementia homines suffocare: crassitudo nanq; aeris, vt nos alibi ostendimus, ad caliditatem augendam, vel frigiditatem plurimum valet: vnde legimus apud eundem autorem libello de igne, quoniam corpulentiora omnia & concretiora impensius incādescunt calefacta, idcircò vbicunq; crassus est, & caliginosus aer, ibi maiores concitari æstus: proinde tractus nonnullos frigidissimos, eosdem æstuosissimos esse; aerē enim semel incensum, cum in se ob crassitudinem calorem ipse contineat, locum torrere: esseq; ferè tractus eiusmodi ab omni silentes aura: sin flatus fortè inceßat calidum aerem obiectando torreri. quod idem prob. 6. sect. 25. dictum videmus ab Aristotele, qui nulla alia de causa in Ponto æstus & frigora intentius fieri scribit, nisi quia aer regionis illius nec hyeme tepescere, nec æstate refrigerari sua crassitudine patiatur. non me tamen præterit pulcherrimam inueniri disputationem cap. 20. 5. de Plantarum causis apud Theophrastum, an frigiditas & gelatio tenuitate magis aeris accidat, vel crassitudine, de qua rè alibi erit occasio differendi. Hoc igitur est quod inquit hic autor, messores & viatores ab eiusmodi flatibus interimi; cui rei fortasse adstipulatur, quod in sacris literis legimus de Manasse

nasse viro Iudit, in eo libro cap. 8. quem mortuum fuisse narrat scriptura in diebus messis hordeaceæ, quia, cum instaret super alligantes manipulos in campo, venit æstus super caput eius; æstus nanq; fortasse nomine, non tam fulmen, quàm vrens eiusmodi flatus venit intelligendus. Sed de hoc flatuum genere maxime dignum est animaduersione, quod legitur apud Marcum Polum primo lib. Nauigationum cap. 15. scribit enim ipse in planitie Ormus, quæ ciuitas est sita ad Oceani littora Indica, aerem adeo candere, vt habitatores per æstatem incolere nequeant ciuitatem: circa horam verò diei tertiam, ad meridiem vsq; quotidie ex planitie & arena ventum excitari adeo vrentem, vt respirationem impediat & suffocet; idcircò quos homines locis illis inuenit, eos statim interimere: propterea; accolas, cum statim ventum percipiunt flaturum, in amnium aquis se totos mergere, tamdiuq; ibi manere, quamdiù flatus ille noxius spiret.

ἐν τοῖς πεδίοις, καὶ ἐν τοῖς πνιγηροῖς.) Lego πνιγηροῖς; & rectè cum dixisset πεδίοις, addit πνιγηροῖς: neq; enim potest esse locus suffocans & æstuosus nisi sit campestris, id est in cauo positus: vnde Olympiodorus 2. Meteoron cauum locum, æstuosum vocat, atq; Hippocrates libello de aere aquis, & c. terram in cauo positam, opponit terræ montanæ & frigidæ.

τὰ μὲν συνεχῆ χ(ομένου.) Lego τὸ μὲν, vt respondeat alteri illi. τὸ δὲ.

καὶ τὴν προώστωσιν.) Placuit vocem hanc Ciceronis auctoritate vehementem impulsionem interpretari. atq; hæc demũ sunt, quæ in tam desperata perplexitate studiosorum bono consulentes, propterea; audaciores facti, potuimus non leui existimationis periculo ex corruptissimo codice diuinando expiscari.

Super Tex. 24.

ὥσπου δ' ὑπ' αὐτου.) Turnebus in correctionibus emendat sic, ὅτι αὐτ' ὑφ' αὐτου, & rectè; nam Aristoteles prob 48. quo loco eadem ferè scripta inueniuntur, ita notatum reliquit, ἐπεὶ ὅτιγε οὔτε αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ κινούμενος ὁ ἀὴρ, & c

Expli-

Explicat autem in hoc contextu Theophrastus, quæ obscurius dixerat supra tex. 17. atq; ventos obliquè moueri docet, quia neutra natura superet in exhalatione; quod etiam prob. 13. sect. 25. dictum est: de qua re tota abunde in disputatione nostra de causa ventorum motus: quo loco veram Aristotelis & Theophrasti mentem de hac obscurissima quæstione enarrauimus, atq; aduersus communem sententiam ac potissimum Philosophos Alexandrinos, ostendimus nullam esse inter eos dissensionem.

ὁ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ κρατούμενος.) Restituo Aristotelis autoritate οὔτε ὑπὸ τοῦ θερμοῦ κρατούμενος) nam & eodem modo locutus est philosophus, & negatio ad sententiæ integritatem omnino est necessaria.

φαίζεται.) Legit Turnebus φέρεται.

εἰ μὲν γὰρ διὰ τὸ ψυχὸς φύσει.) Mendosissime ita habent omnia exemplaria: arbitror igitur ego sic locum esse restituendum εἰ μὲν γὰρ ὑφ' αὑτοῦ, nam & ita exigit sententiæ ratio; vult enim dicere, quod si aer à seipso moueretur, quia frigidus sit & vaporibus plenus, deorsum natura moueretur non obliquè. ex quo etiam perspicuũ fit pro ψῦχος legendum esse ψυχρός. Nec nos turbet, Theophrastum hoc loco aerem natura frigidum affirmare, contra quàm ipse alibi edoctus à Præceptore literis mandauerit; enimuerò si vocem illam φύσει ad aerem referamus, dicendum tunc erit, ipsum non de aere per se ac simpliciter sumpto & in propria natura id asseruisse, sed de aere, qui nos ambit ac terræ est proximior, de quo verum est asserere, quia purus non est, nec impermixtus sed vaporibus plenus, quos è terræ humore plurimos excipit, ad frigiditatem declinare; nullũ enim ferè elementum purum est, vt aliquando docuit Aristoteles: vnde sententia erit aerem hunc, prout dicit aggregatum quoddam ex vaporibus, natura esse frigidum: quod vt doceret Theophrastus, quasi causam frigiditatis explicaret, addidit καὶ ἀτμιδώδης: sensumq; hunc secuti sumus nos in versione. Verum quoniam Aristoteli ac Theophrasto non est insolens vocum transpositio; propterea non incongruè fortasse vocem illam, φύσει, ad alteras illas, κατὰ ἀναφέρεται

referre

referre quis posset: quo pacto sensus esset, aerem frigidum & vaporosum, deorsum natura ferri; quam sanè explicationem comprobat Aristoteles allato prob. 48. dum ita scribit; τὸ δὲ ψυχρὸν κάτω πέφυκε φερέσθαι quæ verba nil aliud sonant, quàm quòd aer frigidus suapte natura deorsum fertur, quemadmodum hic dixisse videtur Theophrastus. Illud fortasse magis nos mouere debet; quod Philosophus cap. 4. primi Meteoron, ambientis nostram hanc terram aeris naturam explorans, calidum esse illum & humidum statuit, nec alia sanè de causa, nisi quia vaporum sit particeps, quorum natura calida est ac humida; siquidem inquit. Vaporis enim natura humida est & calida: vt aerem frigidum dicere, quia sit vaporibus permixtus, quemadmodum superius ponebamus, omnino ab eius mente videatur alienũ. Cui sane dubitationi ea censemus occurrendum ratione, quod vapor, licet actũ ac dũ conscendit calidus sit & humidus; potentia tamen & materialiter humidus sit & frigidus, vt qui mox in aquę naturam sit transiturus: vnde citato loco subdit Aristoteles. vaporq; potestate est vt aqua. ex quo & cap. 4. 2. eiusdem operis vaporem frigidum & humidum esse pronunciat, ita sermonem habens. Aer quidem, vt in anterioribus diximus, ex his oritur. Vapor enim humidus est & frigidus. Nam, veluti humidum, facile terminatur: quod verò aqueus sit, suapte natura frigidus est, veluti aqua non excalefacta. qua in re non tamen à seipso dissentit, quoniam vt lib. primo docuerat, potentia talem esse, vaporem sit intelligendum. Cum igitur vapores quos aer excipit, mox aqueam naturam induãt calorem amittentes, verè frigidum aerem reddere possunt, atq; illorum respectu frigidus natura aer dicitur hoc loco à Theophrasto.

εἶθ ὑπό.) Legendum εἶθ' ὑπό. nam & sic etiã Turnebus.

τὸ γὰρ πῦρ ὡς.) Restituo τοῦ γὰρ πυρος. atq; postrema verba problematis 48. cum his conferre oportet. Obiter autem hic tangit quæstionem hanc Theophrastus, vt doceat, vnde motum obliquum habeant venti, de quibus ac de eorum motu, tam multa differit; item vt clarius explicet, quæ tetigit tex. 17.

Super

Super Tex. 25.

ὅτι ὥσπερ ἂν ὁ ἀὴρ ᾖ ἡ ἀναθυμίασις.) Locus maxime notandus. quod enim inquit, quemadmodum se habet aer, ita se habere & flatum; verum quidem est; nam dictum est superius si aer frigidus est, ipsum quoq; flatum esse frigidum, & è contra. quod verò addit ἡ ἀναθυμίασις, non exiguam habet difficultatem: exhalatio enim semper calida est, vnde se habet semper vno modo. An Theophrastus addit ἡ ἀναθυμίασις, ne quis crederet ipsum facere, motum aerem, ventum simpliciter; atq; exhalationis nomine intelligit totum aggregatum, aerem scilicet motum vna cum exhalatione.

πάντα ψυχρὰ διὰ την ὑγρότητα.) Legerem libentius, διὰ τὴν ψυχρότητα. licet enim vapor, qui humidus est natura, sit qui aerem infrigidet, attamen quatenus frigidus est infrigidat ipsum; atq; hinc nexus huius contextus cum superioribus elucet; quod enim de calore ventorũ tex 23. probauerat, hic probat de frigiditate.

καὶ ἔτι δὲ ἡ σύνεγγυς.) Prò ἡ legendum putamus ἢ. hęc enim verba, quæ non paruum nobis negocium facessebant, quoad licuit ita concinnauimus: nam si legamus ἡ, vt omnia habent exemplaria, non video quem sensum exprimere possint, & ad quæ sint referenda: retulimus nos ea ad solem vtcunq; sensum eruentes, quasi dicat Theophrastus, sole ad occasum labente, eiusmodi vapores infrigidari, atq; si sol etiam proximus fiat, & ad nos accedat, (vt cum iam dies instat,) infrigidatos permanere.

τὴν γὰρ εὔραν ταύτην.) Turnebus rectè restituit prò, εὔραν, ὥραν, vult enim dicere quod hora diei matutina Apogei flatus & Auræ spirant.

κατ' ὀλίγον ἐστὶ.) Lego κατὰ λόγον; nam reddit rationem Theophrastus, cur mane spirent Auræ ex fluuijs& Paludibus, atq; ob id inquit esse κατὰ λόγον, quod tunc temporis exoriantur: de qua re consulere Aristotelem prob. 16. sect. 23. & prob. 30. sect. 26. operæprecium est; ingentem enim lucem disputationi huic loca illa accendunt. Interea tamen noto, cum dicit Theophrastus paulo supra refrigerato vapore ob caloris inopiam Auram fieri & Apogeum flatum,

flatum, nos per vaporem exhalationem, sed tamen humidiorem intelligere debere, ob idq; à Theophrasto vaporem appellari: cæteroqui si esset vapor proprie & simpliciter, qui refrigeraretur, aquam exoriri non ventũ necesse esset; docet nanq; primo Meteoron Aristoteles vaporem, abeunte calore, refrigeratum cogi, & ex aere aquam fieri: Itaq; exhalatio sursum ducta, cum refrigeratur, quia sic reducitur ad eam moderationem, quam requirit, vt obliquè moueri posit, fertur ad latera, & auram creat. nam & hoc est
„ quod dicebat Theophrastus verbis illis, quod enim sursum
„ ductum est à sole, cum nec manere sua natura sit aptum nec
„ posit; fertur, ac locis illis spirationem efficit.

καὶ διὰ τὴν εὐδίαν.) Non est facile videre quid dicat εὐδία hoc loco; ratio nanq; Theophrasti esse videtur, quod mane tum ob alias causas, tum ob εὐδίαν auræ excitentur: atqui eo tempore εὐδία non potest dicere calorem, neq; temperiem: matutina enim hora frigidissima est, igitur dicet fortasse silentium ventorum & serenitatem: enimuerò docet Aristoteles cap. 11. primi Meteoron, nisi serenus fuerit aer, vaporem non conscendere, si ventus spiret non posse consistere: itaq; cum dictum sit superius nocte media maximè esse ventorum silentium; fortasse silentium id ad matutinam vsq; horã proferri debet, vt auræ excitentur; si enim tempus id tranquillum fuerit, poterit in eo διὰ τὴν εὐδίαν congregari vapor, ac refrigeratus in auram abire.

καὶ ὅταν ψεκάδες καὶ ὕετοι μέτριοι.) Pluuia triplicem sortitur differentiam, vt ex Aristotele cap 11. & 12. primi Meteoron elicio: si enim aqua κατὰ μικρὸν φέρηται, ψεκάς; si κατὰ μείζω μόρια, ὑετὸς id est si exiguis partibus fertur, gutta; si plenioribus, imber vocatur. denum & ὕδατα λαβρότερα esse possunt, de quibus sic cap. 12. Aristoteles.
„ λαβρότερα μὲν γὰρ λέγεται, ὅταν ἀθροώτερα. ἀθροώτερα δὲ διὰ
„ τὸ τάχος τῆς πυκνώσεως. id est magis autem largæ & impe-
„ tuosæ fiunt, cum magis coaceruatæ: magis verò coaceruatæ
„ ob densationis celeritatem. Theophrastus igitur hoc loco primo & secundo modo pluuias accipit, tertium genus omnino respuit; additq; μέτριοι, quoniam in primo quo-

X que,

que,& in secundo genere possunt pluuiæ fieri immoderatæ, id est multæ: enimuerò vt coment. primo primi Epidimiô contex. primo ad finé, docet de Hippocratis sententia Galenus, multæ & immoderatæ aquæ tripliciter fiunt; vel cum ὑετὸς ἀθρόος est, nempe tertio modo: vel temporis longinquitate, licet ψεκάδες sint, quia scilicet plurimis diebus durent, vel demum vtroq; modo.

προσγίνεται γὰρ ὅλως τότε.) Fortasse prò ὅλως, ὕλη legendum est; fit enim noua materiæ accesſio & incrementum ex pluuijs illis ad auras commouendas, & Apogęos flatus.

Super Tex. 26.

ἀπὸ μόνου δὲ τοῦ Νείλου.) Herodotus primo lib. Historiarum idem testatur his verbis. De aura, quæ nulla à Nilo afflat, hoc mea fert opinio, consentaneum esse è locis valde feruidis nil respirare auræ, quæ ab aliquo frigido loco flare gaudet. Diodorus Siculus rerum antiquarum libro primo cap. 4. inquit sic. At solus omnium Nilus neq; nebulas neq; auram frigidam gignit: estq; de re hac apud Scaligerum de subtilitate ad Cardanum exercitatio 48, non iniucunda, quò loco de Anauro fluuio mentio est.

οὐδ' ἀφ' ἑνὸς αὔρας οἴδαμος.) Turnebus in correctionibus legit οἴδαμεν, quod non improbo; & delet ex superioribus διὸ καὶ οὐδ' ἀπὸ τῶν ἐν λιβύῃ, particulam οὐδὲ, vt omnia respondeant.

εὐπύρων εὐθύ.) Lego ἐμπύρων.

Super Tex. 27.

καθάπερ πάλιν περὶ τῶν τροπαίων καλουμένων.) Turnebus vir alioqui doctisſimus putat omnia illa, περὶ τῶν τροπαίων καλουμένων, è contextu delenda esse tanquam ociosa: ego potius castiganda arbitror Aristotelis autoritate; si enim expungantur, conturbatam reddi & mancam, immo & falsam Theophrasti orationem necesse est. Itaq; prò τροπαίων legendum est κόλπων, & omnia clara erunt: Aristoteles enim sic prob. 40. vbi eandem tractat quæstionem, διὰ τί οὗ μὲν κόλποι εἰσὶ, τροπαῖαι γίνονται; id est cur vbi sinus sunt, Tropęi flatus exoriuntur? de qua rè problemate etiam 4. & 5.

& 5. fermo eſt: ſpirant enim Tropei flatus è finibus maritimis, & quemadmodum his verbis definit Theophraſtus, ſunt ex finibus πάλιν ποῦ abterraneorũ flatuũ: ſunt enim vt docet Ariſtoteles ad finem prob. 40. Apogeorum reflexiones. Iam verò cum rectè intellexerimus quid ſit τροπή, ac vnde ſpiret, & quæ ſit eius natura, pulcherrimi loci eiuſdem autoris ſententiam aſſequemur, in quò fortaſſe & conuertendo, & enarrando maximi viri ſcopũ non attigerunt. Theophraſtus cap. 4. 2. de Plantarũ cauſis quęrens qui venti ſint commodiores, ſex genera eorũ enumerat. τὰ βόρεια, τὰ νοτία, τὰ πόντια, τὰ ἀπογέια, τὰ ἀπὸ δύσεως, & τὰ ἀφ᾽ ἕω. id eſt Aquilonios, Auſtrinos, Pelagicos, Abterraneos, Orientales & Occiduos: mox dicit Aquilonios, Pelagicos, & Occiduos commodos eſſe magis, tanquàm frigidiores,
,, quæ cum diſſeruiſſet ita ſubdit. βελτίω δὲ καὶ τὰ ζεφύρια,
,, καὶ αἱ τροπαί, καὶ ὅλως αἱ αὖραι τῶν σκληρῶν καὶ διατόνων. τὸ
,, μὲν γὰρ τρέφει, τὸ ἕτερον δὲ πιλοῖ, καὶ κωλύει τὰς αὐξήσεις.
,, quæ verba ſic interpretatur Theodorus. Præſtant item Fa-
,, uonij & ſolſtitiales, & in totum auræ duris flatibus atq; in-
,, tentis. alteri enim alunt, alteri ſtipant, & incrementa im-
,, pediunt. Scaliger in Commentarijs cap. 5. ſic locum ex-
,, pendit. καὶ αἱ τροπαί. Aliam apponit non à loco ſed à tem-
,, pore conditionem. Solſtitiales hic ventos deſignat figura-
,, tè quidem, αἱ τροπαὶ ἀντὶ τὰ τροπαῖα, ſiue τροπαϊκὰ πνεύ-
,, ματα. ſicut ἵππος ἀντὶ τοῦ ἱππεῖς, Africa terra pro Afri, &
,, apud Hippocratem, τὸ πῦρ ἀντὶ τοῦ πυρετοῦ. ſic Ver ſanũ
,, dicimus, id eſt Veris qualitates ſanitatem facere. Verum
ego libenter à Scaligero audirem atq; à Theodoro, quid per ſolſtitiales ventos ipſi intelligant; nam & Scaliger, qui tam multa de ventis eo loco congerit, quid ſolſtitialium ventorum nomine audiendum veniat, nullum facit verbum. Ego quidem quanquam diligentiſsime hos ſolſtitiales ventos apud Ariſtotelem perquiſierim, nullam tamen in eius ſcriptis inueni de illis mentionem, neq; apud Theophraſtum: cæterum quoniam cap. 6. 2. Meteoron ſcriptum eſt à Præceptore, cum ſol tenet brumalem verſionem flare Euros & Subſolanos, cum æſtiuam occupat, Fauonios excita-

ri; si quis dicat solstitiales ventos hos esse, quia solstitiorum tempore spirent, is sciat interpretationem hanc huic loco quadrare non posse: etenim Theophrastus nominatim orientales & occidentales exprimit, & inter occidentales Fauonium: quos verò Tropas appellat, eos ab his omnibus ac Fauonijs præsertim seiungit; vt prætercam orientales tanquam calidos reiectos esse; vt τῶν τροπαῶν nomine intelligi non queant. Quod si vrgeat aliquis adhuc solstitiales ventos esse posse eos, qui ab ortu & occasu brumali & æstiuali spirant, tanquam à locis, in quibus solstitium peragitur, prodeuntes; id etiam nihilo magis congruit; primum enim, qui ab ortu & occasu brumali veniunt inter Austrinos recensentur; at hi duplici de causa refelluntur à Theophrasto, tum quia calidi sunt, tum ob flatus vehementiam: præterea Tropæ ab his omnibus distinguuntur. similis ratio in æstiualibus locum habet, hos enim siuè ad occiduos siuè ad Aquilonios dicamus pertinere, minus esse cōmodos quàm Tropas ex Theophrasto elicimus, quia spirent vehementiores; vnde τροπαῖ ab illis separantur. quod verò alium ventum fingi posfit solstialem flatum significare, equidem non arbitror: reliquum est igitur, vt Tropeorum nomine flatus illos intelligamus, quorum naturam in textu hoc 27. docet Theophrastus; siquidem hi inter maritimos debēnt numerari; è Sinibus enim spirant, & lenem flatum habent, suntq; tanquam auræ: cum enim Abterraneorum flatū imbecilla sit natura, vt inquit Theophrastus, Tropæi, qui sunt reflexiones eorum, non possunt esse vehementes; atq; hoc est quod citato 2. de Plantarum causis loco inquit Theophrastus: cum enim Pelagicos ventos, & Occiduos enumerasset, addidit inter Pelagicos, Tropeos flatus, inter Occiduos, Fauonios præstare; nimirum quia non solum frigidi sint, vt superius dixerat, sed quia placidam habeant fluxionem: nam & Fauonios suauissimè habere flatum infra dicit autor, & Tropeos eadem flare lenitate hic habemus. Verum hęc, vt studiosorum bono pro virili, & pro nostri ingenij tenuitate consulamus dicta sint, non alicuius calumniādi gratia, à qua rè lōgè noster abhor-

ret

ret animus.

ὡς συναθροισθήσεται.) Turnebus rectißimè ὁ ἀὴρ συναθροισθήσεται.

συμβαίνει δὲ καὶ ἡ ἀνταπόδοσις ἀνάλογον.) Tametsi Apogæorum flatuum, vt plurimum imbecilla sit natura, vt impetū propterea longius efficere nequeant: nihilominus possunt iidem hi flatus Apogei ingentes aliquando spirare; vnde & Tropæi magni quoq; erunt; reciprocatio enim ipsa magnitudini Apogæorum proportione respondet, vt hic docet Theophrastus. quin etiam ratione loci ex quo retro commeant; sinus videlicet, possunt magnitudinem adipisci. Hinc Thucydidis locum obscurißimum ad finem 6. libri intelligimus, atq; eius fide, & Theophrasti narrationem, & Apogæorum flatuum hanc reciprocationem mirificè comprobamus: scribit grauißimus hic autor citato loco, Gylippum è Tarento in Thurian primum pro legato profectū, renouata prius memoria patris in administranda republica. vt ad defectionem adduceret, cum nil proficeret abijsse: & cum præterueheretur in Italiam, arreptum à vento, in sinu Terinæo, qui magnus ibi flante Aquilone spirat, rursus in pelagus & sinum reiectum, accerrimaq; iactatum tempe-
„ state, Tarentum redijsse; verbaq; Thucydidis hæc sunt καὶ
„ ἀναρπασθεὶς ὑπ' ἀνέμου κατὰ τὸν Τεριναῖον κόλπον. ὃς ἐκπνεῖ ταύτῃ
„ μέγας κατὰ βορέαν ἑστηκώς, ἀποφέρεται ἐς τὸ πέλαγος: καὶ πάλιν
„ χειμασθεὶς ἐς τὰ μάλιστα, τῷ Τάραντι προσμίσγει. Quem
„ locum ita Laurentius Valla vir doctißimus interpretatus
„ est. Arreptusq; vento, in sinu Terinæo qui obnoxius Aqui-
„ loni vehementer spirat, aufertur in pelagus, rursusq; tem-
„ pestate acerrima iactatus Tarentum subijt. Verum arbitror ego longe clarius posse verba interpretari; loquitur enim mea sententia Thucydides de Tropæis flatibus, qui ex finibus reciprocatione facta spirare solent. Terinæus sinus vt ex Ptolæmeo patet, ab Aquilone rectâ ferè meridiem versus extenditur, vnde venti Aquilonij sunt Tarento ac locis illis Apogæi, ex quo cum spirant, reciprocatio eorum è Terinæo sinu efficitur; quod vt Thucydides significaret dixit ventum hunc ἐκπνεῖν, id est extra flare, è sinu, scilicet

terram

terram versus & continentem: κατὰ βορέαν, nimirum cum Aquilo viget, & flante Aquilone cuius est reciprocatio, sicuti, & κατὰ τὴν νόσον eidem autori, morbi tempore significat & dum grassatur morbus, quod alijs etiam est vsitatum, quod totum cum Scholiastes animaduerteret, exposuit verba illa, κατὰ βορέαν; non solum κατὰ τὸ πρόσωπον τοῦ βορέου, vt aduersus Aquilonem flatum illum spirare demonstraret, quod necessarium est, cum sit illius reciprocatio, sed & κατ' αὐτὸν βορέαν; scilicet tempore quo Aquilo flat, vt ostenderet, illius esse reciprocationem; cum .n. locis illis spirat Aquilo ventus Apogæus, fit è sinu reciprocatio ipsius, & Tropæus flatus exoritur: quem magnum spirare in sinu illo scribit Thucydides ob sinus ipsius naturam; cum enim angustus valde sit, coaceruatur magis ac facilius in eo fluens aer & ipse Aquilo; vnde magnus necessario, reciprocatione facta, reuertit: Cæterum hinc satis esse manifestũ reor Theophrastum ab ipso euentu edoctum de Apogæorum ventorum reciprocatione hoc loco disputasse; huiusq; rei causam, vt philosophum decebat, tradidisse.

Super Tex. 28.

γίνεται δὲ καὶ ἀνάκλασις.) Quia dixerat Tropeos flatus esse quasi reflexiones Abterraneorum, ideo alia reflexionum genera attingit.

καθάπερ καὶ περὶ λιγνιάς.) Turnebus restituit καὶ περὶ λυγκεάς. Ego autem, postquam mihi non contigit inuenire Ptolemęum vel alios Cosmographos ponere λιγνιὰν, vel λυγκεὰν, legendum arbitror λυγκεστίδα: quanquam neque lectio hæc mihi omnino satisfacit, quia regio illa sita magis videatur inter angulum septentrionis & occidentis, quam exactè ad septentrionem.

διὰ τὴν περίκλασιν.) Non sine magna causa, vt reor, non vtitur superiore voce, ἀνάκλασις, hoc loco Theophrastus, sed altera περίκλασιν: nulli enim montes ad finem Euripi illius visuntur, à quibus rectà posʃit Etesiarum fieri reflexio, qui à Macedonia & à parte Aegei pelagi tanquam à septentrione veniunt, ac per Euripum illum transeunt: habent

bent enim regiones illæ, tum Bæotia in qua Oropus collocatur, tum Eubœa in qua Chalcis sita est, & ex consequenti Euripus, qui eas seiungit, eosdem à meridie limites, quos & Hellas tota cuius sunt partes: at meridiem versus nullus mons adest, à quo reflecti Etesiæ possint, sed potius Hadriaticum pelagus, hinc Isthmum, inde verò Creticum mare spatiatur; quamobrē forsitam respectu Citheronis montis, qui ad dexteram collocatus est, dixit περίκλασιν fieri Etesiarum; quasi circumflectantur, ac in gyri & circuli morem redeant. Ex hoc autem vno contextu discere possumus, quanta diligentia veteres philosophi accidentia rerum naturalium obseruauerint.

Super Tex. 29.

καθάπερ ἐὰν διὰ στενοῦ καὶ εὐχανοῦς πνέῃ.) Hæc sunt cum iis conferenda, quæ supra tex. 21. & 22. annotauimus; tangit duos illos modos spirationis Theophrastus, quorum alter flatum frigidum, alter calidum reddit: additq; hic spirationem διὰ στενοῦ factam reddere ventum vehementiorem, quæ vero efficitur διὰ εὐχανοῦς, reddere hebetiorem; opponuntur enim duo hæc simul, ac spiratio per apertam regionem facta, dicitur διὰ τοῦ εὐχανοῦς fieri.

ἡ δὲ τούτου κίνησις, ἄνεμος.) Dictum est à me in annot. 4. super tex. 18. supra quo sensu intelligendum sit, ventum aeris esse motum à Theophrasto dici, vt omnis tollatur contrarietas.

Super Tex. 30.

ἐγγὺς ὄντος γε ἢ ἐγγυτέρω ἕτερον ταῖς ἀρχαῖς.) Lego ὄντες pro ὄντος, & arbitror expungendam esse vocem ἕτερον; nō enim alio pacto sensus, qui congruat, mihi videtur erui posse. adiungit autem ἐγγυτέρω; quia locus vel potest esse principijs venti proximus simpliciter & absolutè, vel ratione alterius loci, qui magis distet, quo pacto erit eo altero proximior.

ὅλως ἀπόπνοος.) Turnebus rectè ὅλως ἄπνοος restituit.

οὐδ' ἐπίπροσθεν * ἡ φορά.) Lego οὐδ' ἐπίπροσθεν τι ἡ φορά, vt sensus sit, à nulla re impediri flatum Etesiarum, quin ad

illas

illas Insulas penetret. Ex hoc autem contextu satis patet, qua ratione supra dictum fuerit tex. 11. oram Aegypti maritimam Austrum non sentire.

Super Tex. 31.

καὶ τοὺς ἐτησίας ἐπαίρεσθαι πάλιν.) Restituo καὶ τοῖς ἐτησίαις, vt respondeat illis, πρὸς ταῖς ἀπογαίαις αὔραις.

πανταχοῦ γάρ.) Si vbiq; locorum in meridie venti cessant: rectè in annot. 3. super tex. 19. diximus, Vicomercatū præter Theophrasti mentem asseruisse, in locis calidioribus ventos existere.

Super Tex. 32.

διὰ τί τῶν ὑψηλῶν τόπων.) Dixerat eiusmodi accidentia suis locis esse assignanda, quod etiam ex parte quadam fecerat contextu superiori; quamobrem & adhuc manet in proposito Theophrastus, ac nonnulla alia accidentia recenset; & loca indicat in quibus contingunt: sed illud de quo hic sermonem habet; ita videtur rationi aduersari, vt non solum ἄτοπον, sed παράλογον appareat & meritò: nam quid quæso contingere potest, quod magis à ratione videatur alienum (quatenus ad hanc ventorum materiam pertinet) quàm loca maxime perturbari ab illis ventis, à quibus tecta sunt, ab illis verò, quibus sunt exposita, non dicam omnino silere, sed certè illis leniter perflari & moderatè? Cæterum cum dubitatio sit, quo pacto posſit Theophrastus eminentia loca (ὑψηλῶν enim dicit) in προσηνέμα, & ἐπισκεπῆ diuidere, (cum loca eminentia à ventis tecta, nec verè dici, nec esse queant, nam & quò magis loca altiora sunt, eo magis flatibus agitantur, quod etiam Olympiodorus primo Meteoron concludit aduersus Theophrastum disputans, vbi inquit in montibus, quia vergeant ad superiorem aeris plagam, vehementiorem edere ventos spiritum;) propterea nō longè fortasse aberrabit, qui credet, loco ὑψηλῶν, legendum esse κοίλων, quanquam nos in versione vulgatam secuti sumus lectionem: ita enim omnis tolletur difficultas: confirmatq; emendationem hanc Theophrastus loca commemorans, Plateas & Caristum, in cauo potius collocata,

atq;

atq; ad montium radices.

τὰ δὲ ἐπισκοπῆ.) Restituendum *ἐπισκεπῆ.*

ὁ μὲν βορέας εὔδιεινός.) Tria dicit vox hæc, *εὐδιεινὸς*, hoc loco in Aquilone; primum flatus lenitatem; secundo frigiditatis moderationem; tertio serenitatem: sed potissimum dicit priora duo; Aquilo enim qui sua natura frigidissimus flatus est, & spirat magnus, (mirabile profectò dictù,) minus frigidus spirat locis illis, quæ ad eum sunt exposita, ac non adeo magnus; vnde *εὐδιεινοῦ* nomen meretur; quasi diceres *εὐχειμέριον*: neq; enim frigiditatem amittit, vnde *χειμέριος*, sed remittit, vnde *εὐχειμέριος* dici debet: atq; hinc obscurissimum illum Aristotelis locum 7. Politicorum cap. 11. intelligimus, in quò de vrbium situ sermonem habens philosophus, eas ad Aquilonem positas esse oportere docet, quia ob id sint *εὐχειμέριοι*: quę sanè consequentia adeo Frãciscum Valeriolam torsit virum eruditissimum 2. lib. locorum communium cap. 5. vt nihil magis: voluit enim dicere Aristoteles mea sententia vrbem ad Aquilonem collocatam *εὐχειμέριον* esse, quia sic Aquilone ipso (*χειμερίῳ* alioqui vento) *εὐδιεινῷ*, id est *εὐχειμέριῳ*, perflari contingat; atq; hac de causa intensiuè saltem frigora habere placidiora: de qua re abunde 2. de Hippocratica Anni ratione à nobis disputatum est: quo etiam loco demonstrauimus eodẽ sensu diuinum senem 2. de Dięta asseruisse, quibus regionibus montes adiacent ad Austrum, talibus squalidos & morbosos Austros flare: quibus verò ad Aquilonem montes adiacent, huiusmodi tales, Aquilones perturbare & morbos facere: qui locus nullo pacto intelligi poterit, nisi antea, quę mirabiliter hic docet Theophrastus accuratè animaduertantur. Hoc igitur est, vt ad nostra redeamus, quod ipse inquit hoc loco, Plateas vrbem in illa Beotiæ parte positam, quæ ad Aquilonem vergit, & propterea Aquilonijs flatibus expositam, Aquilonem *εὐδιεινὸν* sentire.

ὁ δὲ νότος μέγας καὶ χειμερινός.) *χειμερινὸς* hic non solum est quasi additum glossema vocis illius *μέγας*, sed addit etiã in Austro supra magnitudinem frigiditatem, vel saltem caliditatem minorem, pluuias, & procellas; quemadmodum

ex ſequenti contextu 33. elici poteſt, vbi cauſa admirabilis huius accidentis enarratur: quamobrem addita eſt vox hæc alteri illæ, μέγας, non quia diuerſum aliquid ſignificet, ſed tanquam magis vniuerſalis. Habent autem Plateæ à meridie montem Citheronem, vnde ab Auſtro tectæ ſunt, & tamen ventum hunc χειμερινόν ſentiunt: ex quo & nos diſcere poſſumus mirum non eſſe, ſi in Patria noſtra vehementiſſimi ſentiuntur Auſtri; ita vt in ciuitate tectorum cæmenta, tegulas, caminos, & muros ipſos, extra verò domos ferè euertant ac demoliantur; quin etiam & ingentes arbores ſæpe frangant, vel radicitus euellant: Aquilones autem multo placidiores: habet enim Vrbinum à meridionali latere mõtes ingentes, nempe Neronem, Equorum montem, Cathriam ac alios multos: ferè enim pars illa tota montuoſa eſt: à latere verò aquilonari montes nullos, ſed apertam regionem, quæ paulatim ad mare deſcendit Hadriaticum; vnde ciuitas expoſita Aquiloni eſt, ab Auſtrinis verò flatibus omnino protecta; quamobrem cum ad generalem cauſam ob quam Auſter in noſtro orbe magnus ſpirat, quam eleganter ſub finem 5. capitis 2. Meteoron aperit Ariſtoteles, particularis accedat, quæ à ſitu pendet, merito Vrbinum Auſtris maximè ſæuientibus perflatur.

τρόπαιαι παρεθέουσιν.) Turnebus arbitratur legendum τρόπαι οὐ παρεθέουσιν, ego tamen vulgatam libenter, quod pertinet ad particulam οὐ, retineo lectionem: ſententia namq; eſt, Tropæos ventos attingere tantum, leui ſcilicet & exiguo flatu, Cariſtum. Vide Strabonen lib. 10.

ἔτι δὲ τῆς κουρίδος.) locus hic ſtellatus eſt & totus corruptus. nec fateri erubeſco, me poſt diuturnam cogitationem nil inuenire potuiſſe, quod animum meum impleret: diuinaui tamen in conuerſione, de Cretæ Inſulæ loco quodam Theophraſtum ſermonem habere, vtcunq; ſenſum exprimens.

Super Tex. 33.

διὰ τὸ ὕψος περὶ κα × οὐχ ὑπερέχειν.) Turnebus emendat in correctionibus περὶ ὅσσω οὐχ ὑπερέχειν, & rectè; Poteſt autem locus hic dupliciter exponi, nam vel generaliter docet

ceet Theophrastus causam, cur flatus ad locum aliquem non perueniat, tanquam id quod profuturum sit ad propositæ rei inuestigationem; vel docet cur flatus non perueniat εὐδιεινὸς; atq; hinc discere possumus sine aeris motu ventũ gigni non posse.

οὔτις ἂν κατακλείοι.) Lego ἤ τὶς ἂν, ita postulante sententia.

τὰ δὲ πρὸς βοῤῥᾶν.) Turnebus restituit πρὸς βοῤῥᾶν.

καὶ ὅλως κατήνυμα ἐπισκεπῆ.) Lego καὶ ὅλως κατήνεμα.

Διὸ συμβαίνει.) Turnebus διότι; optime quidem: continent enim hæc causam, cur loca à ventis tecta hybernos illos sentiant: nec fortasse in toto hoc libello res pulchrior ac scitu iucundior docetur. Memoria autem repetendum est, quod paulo supra præfatus fuit Theophrastus, nempe cum aer nec se subducit, nec fluit, ventum ad locum peruenire non posse, versus quem spirat: quòd verò non fluat aer, causam esse montem interiectum: sequitur enim ex his priorem exhalationis partem, quæ antecedit, dum montis altitudinem lentè conscendit, à monte ipso detineri, donec alia posterior adueniat; atq; hoc modo fieri semper nouam exhalationis accessionem, & coaceruationem ad montis verticem. Atqui ita coaceruatus ventus loca magno cũ impetu inuadit, & procellosus; vnde χειμέριος illis spirat: coaceruati enim venti simul toti incurrunt, & irruunt: enimuerò τὸ ἀθρόον vt inquit, ἰσχυρὸν est; quod Typhonum exemplo comprobatur, qui tantam vim habent, quoniam confestim excernuntur; excretio enim, cum simul tota fit, causa est celeritatis, vt Theophrastus infra, Præceptor prob. 13. sect. 26. indicant; celeritas verò violentiæ; secretionis nanq; celeritas vires adijcit, vt à diuino viro 3. Meteororum docemur. Mons ergo interiectus, spiranti vento sese opponens, causa est coaceruationis, coaceruatio celeritatis, celeritas violentiæ.

καὶ ἐμπίπτειν ἀθρόον.* subaudiendum est, ad loca illa, vel ad tecta loca; atq; ita supplendus est, mea sententia, locus stellatus.

ὁ γὰρ ἀνεμώδης.) Restituo cum Turnebo εὐβεινὸς.

καὶ αἱ. καταιγίδες.) Quid sit καταιγὶς, non inuenio ab Aristotele in Meteoris definitum: libello tamen de Mundo inter violentos spiritus adnumeratur & flatus ingruens supernè, repenteq; euerberans definitur, vt rectissimè dixerit hoc loco Theophrastus, ex coaceruatis ad montis summitatem exhalationibus hæc ventorum genera fieri. Ex his autem omnibus quid τὸ χειμερινὸν dicat in vento, satis est perspicuum.

Super Tex. 34.

ὁ γὰρ ἀὴρ ἀχλυούμενος.) Lego ἀλλοιούμενος, quam lectionem verba quę sequuntur mirificè probant: aer enim verè alteratur, cum densus aut rarus, calidus aut frigidus efficitur. Declaratq; hoc loco Theophrastus quæ circa aerem contingunt ob spirationem, quod tex. 2. sibi propofuerat differendum.

μὴ κατ' ἄλλην τινὰ τοιαύτην.) Emendo ἢ κατ' ἄλλην. enimuerò non negat Theophrastus aerem aliqua alia dispositione affici non posse, sed potius id ponit & fatetur; potest enim aer vel humidus reddi vel siccus &c. quare vt omnes comprehendat alterationum species addit, hæc verba.

καὶ προτηρεῖ τὸν ἄνεμον.) Lego cum Turnebo καὶ προτερεῖ τῶν ἀνέμων.

Super Tex. 35.

προσωθεῖται × δὲ συνεχῶς.) Aperit hic Theophrastus, quæ mari eueniunt ob spirationem, quod identidem initio operis proposuerat inquirendū. Sunt autem omnia hæc ita inquinata & mutila, vt pluribus propè scateant mendis quàm verbis; vnde huius loci omnino desperarem intelligentiam, nisi ex Aristotelis verbis Prob. 2. 11. 12. & 18. sect. 23. sed 11. presertim, & sensus & orationis emendationem quamperspicuam haberem. Emendo igitur ex prob. 11. & suppleo stellatum locum sic, ἢ διὰ τὸ ἀεὶ προσωθεῖσθαι γίνεται. προσωθεῖ δὲ οὐ συνεχὲς πῶς ὄν. nā & ita locutus est philosophus citato loco: subaudiendumq; προσωθεῖται, scilicet τὸ κῦμα, προσωθεῖ δὲ, scilicet τὸ πνεῦμα

τοῦτο δὲ προωθεῖ ἀλλ' ὃ προῶσε.) Lego τοῦτό δὲ προωθεῖ ἄλλο. ὃ καὶ προέωσε. vt sensus congruens eruatur. nam

τοῦτο

τουτο', ſcilicet τὸ κῦμα. id eſt fluctus alium propellit, qui iam fuit ab alio propulſus: nec fortaſſe aberraret, qui verbum, προωθεῖ, expungens, legeret τουτο' δὲ ἄλλο προέωσε. καὶ πάλιν * ἄλλης πνοῆς.) Reſtituo cum Turnebo καὶ πάλιν ὑπ' ἄλλης πνοῆς.

Super Tex. 36.

οἷον ἀστέρων τελις * σκε ἄλλων καὶ παρ' ἡλίῳ φάσις.) Explicat hoc loco Theophraſtus, quæ cœlo ob ſpirationem contingunt. Eſt autẽ locus mirè deprauatus, quem Turnebus ita cenſet reſtituendũ, οἷον ἀστέρωντε ὁλκὸς καὶ ἄλλων καὶ παρηλίων φάσις; nos vero loco τὲ ὁλκὸς ſic, διαθεόντων: tametſi enim in reliquis Turnebi emendationem recipiamus, illud certe admittere non poſſumus, quod prò, τελις, in ſtellato loco τὲ ὁλκὸς, reponatur; quando vox ὁλκὸς neq; ſit apud Ariſtotelem & Theophraſtum vſitata, neq; eam in libello de Mundo, vel apud græcos interpretes me legiſſe recorder. Sunt autem ὁλκοὶ, quos Aratus in Phęnomenis ῥίμους vocat, quos Theon definit in Com. ignis in longum extenſiones: atq; dicitur ὁλκὸς albedo illa, quam diſcurrens ſydus relinquit, quod perbelle indicauit Virgilius primo Georgicon carminibus illis

Sæpe etiam ſtellas vento impendente videbis
Præcipites cœlo labi, noctiſq; per vmbras
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus:

vnde cum ab aſtrorum traiectionibus pendeant ὁλκοὶ, non potuit Theophraſtus τῶν ὁλκῶν meminiſſe, niſi prius diſcurrentium aſtrorum feciſſet mentionem: hac igitur de cauſa vocem, διαθεόντων, in contextu repoſuimus. Porrò autem ad pleniorem horum intelligentiam Theophraſtum ipſum ad finem libelli de Ventorum ſignis, Ariſtotelem prob. 22. primo Meteoron cap. 5., & 3. eiuſdem Operis: cap. 3. legere oportet.

καὶ ἐπὶ τοιουθέτερον.) Lego cum Turnebo καὶ ἐι τὶ τοιοῦτο ἕτερόν.

ἄνω τὸ πέσχειν.) Lego τῷ πάσχειν. & notandum aduerbium ἄνω, nam deſuper venti eſt principium vt ſupra ex Ariſto-

Aristotele monuimus.

τὴν τῶν πνευμάτων φύσιν.) Recte inquit ex his, quæ aer patitur, naturam futuri flatus prenunciari; enimuerò, vt ex libello de Signis ventorum elicimus, ex his & similibus percipitur, an Auster vel Aquilo sit perflaturus.

ἐσὶ δὲ τὸ ἐπὶ τέλει μείζους.) Videntur hæc, tanquam transposita, & proprio è loco eiecta, nil ad superiora pertinere; arbitror tamen ego ita esse connectenda: dixerat superius aerem prius affectum, quàm ventum sentiamus nos, venti ipsius naturam demonstrare: id autem euenire, dicere forsasse quis posset, quia ventus in principio sui motus, tanquam exiguus, superiorem tãtum mouet aeris partem ei proximiorem, vt ad nos tunc non possit adhuc peruenire; vnde merito illum non sentimus, sed flaturum ex signis illis præsagimus. addit ergo hic in fine magnos euadere ventos istos, ita vt postea, cum scilicet magni sunt; tum à nobis percipiantur; quos venturos paulo ante ex illis signis augurabamur. Possumus etiam dicere, hęc nil cum superioribus habere commune, sed respondere problem. 24. quo modo textũ 37. inchoarent, & quęstionem alteram continerent à priori diuersam; scilicet quam ob causam nonnulli venti in fine magni spirent.

καὶ γὰρ τούτοις κενὸν πλεῖοσιν) Lego cum Turnebo τοῦτο κοινὸν, atq; hinc veritas sententiæ nostræ apparet, qui superius in annot. 5. super tex. 8. dicebamus, problema vigesimum quartum Aristotelis, quo loco asserit philosophus ventos in fine esse ingentes, non esse tanquam vniuersale accipiendum, cum id pluribus tantum ventis, non omnibus sit commune; quod hic apertè testatur Theophrastus.

ὅτεν γὰρ ἀθρόον ἐμπνεύσωσιν.) Restituo ex prob. 24. ἐκπνεύσωσιν, est enim ἐκπνεῦσαι proprie ἀθρόον vt ex prob 7. sect. 34. & ex ijs, quæ superius de re hac in annot. 5. super tex. 21. disputata sunt, clare constat: & notandum, hæc causam continere, quare nonnulli flatus sint in fine imbecilli; cum enim contrariorum contrariæ causæ sint, habetur ex his sufficienter, quam ob causam nonnulli alij in fine magni spirent; quo loco animaduertere oportet, cum in problemate

hiemate illo postrema verba sic legantur, ὀλίγον τὸ θερμὸν, fortasse prò θερμὸν, restituendum esse λοιπὸν, vel saltem subaudiendum: quod egregiè in versione expressit Theodorus; dicit enim sic Theophrastus μικρὸν γίγνεται τὸ λοιπὸν. id est quod relinquitur, redditur exiguum: quod mirum in modum quadrare videtur; enimuerò si confertim, atq; vt dicitur, ἀθρόως fiat in principio venti spiratio, necesse est plurimam exhalationis partem tunc absumi, vt exiguum sit, quod remanet illius; quæ res facit in fine flatus exiguitatem; ob exiguitatem enim exhalationis flatum exiguum reddi nemo est qui ignoret: quamobrem apud Aristotelem, per τὸ θερμὸν, vel exhalationem ipsam, vel calorem, qui exhalationem mouet intelligere oportet: quærens enim eo loco philosophus, cur venti in fine magni spirent, causam contrariæ rradit affectionis, cur scilicet in fine exigui flare soleant: illi enim venti imbecilli finiunt, qui vniuersi afflant; quod enim relinquitur exhalationis illorum & caloris paucum est, vnde postea, scilicet in fine exigui necessario sentiuntur: qui verò non vniuersi, sed paulatim, hi in fine ingentes afflant, quia tum materiam habeant copiosiorem. Ea propter egregiè hallucinatur mea sententia Aponensis in Com. dum verba hæc ad Austros primum, deinde ad eos ventos refert, qui in fine magni spirant; cum ad illos flatus pertineant, qui contrariam perpetiuntur affectionem: ex quo & alia multa comminisci coactus est de Austrinis & Aquilonijs ventis, ac de materiæ illorum attenuatione, longè à vera Aristotelici loci explicatione abhorrentia. Verum & prob. 13. Aristotelis & tex. 48. huius libelli ad pleniorem horum intelligentiam legere quis potest.

Super Tex. 37.

ἔστι δὲ κακξέκαστον.) Emendo καθέκαστον. notandumq; Theophrastum hic, expedita de communibus ventorum affectionibus disputatione, sermonem de particularibus quorundam flatuum affectionibus ordiri.

πρὸς οὓς ἂν πνοαί.) Lego cum Turnebo αἱ πνοαί.

τὰ δὲ τῆς ἀρχῆς ὑφ᾽ ὧν.) Lego cum eodem ἀφ᾽ ὧν. Elicimus

cimus autem hinc tria circa loca, & locorum positiones esse consideranda; à quibus; per quæ; ad quæ venti spirent; quamobrem videtur Scaliger in com. sup. librū 2. de Plantarum causis capite 5. à mente Theophrasti recessisse, scribens ventorum accidentia locorum naturæ deberi; locorū verò naturam esse duplicem, aut à quibus, aut per quæ: videtur enim tertium membrum prætérijsse πρὸς οὓς, id est, ad quæ; cuius ratione accidentia in ventis & differentiæ non parum variant; vt præteream, quod addit eo in loco vir doctissimus, ventorum differentias substantiales ab exhalationum substantia sumendas esse, qualitates proprias, à qualitatibus proprijs, accidentia à locorum natura, haud omnino tutum mihi videri: non enim auderem ego de Aristotelis, ac Theophrasti sententia affirmare, quod ad ventos pertinet, exhalationem ab exhalatione substantialiter differre, vel proprijs qualitatibus; vnde Theophrastus non semel hoc libello docuit, omnes differentias locorum ratione ventis innasci, vt essentiale id eis esse videatur, quemadmodum tex. 2. & 3. potissimum habetur.

τὰ περὶ τὸν ἀπαρκτίαν.) Restituendum καικίαν, recteq; ait ἰδιώτατα hæc esse, quæ de Fauonio & Cæcia narrantur; quandoquidem nullus alius ventus quarundam admirabilium proprietatum ratione insignior apparet.

ὁ μὲν γὰρ ἀπαρκτίας.) Lego rursus καικίας. Quod verò pertinet ad prouerbium à Cæcię natura ductum, extat apud Gellium lib. 2. Noct. Attic. cap. 22. Senarius prouerbialis in hunc modum.

Κακὰ ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων, ὡς ὁ καικίας νέφος. id est.

Mala ad se trahens vt Cæcias nubes

quem tamen apud Aristotelem, a quò Gellius profitetur accepisse, nec in problemat: nec in Meteoris, ita scriptum inuenio; sicuti neq; hic Theophrasti locus ita scribitur, vt nonnulli comminiscuntur, qui in hunc modum ex Theophrasto eum adducunt, ἕλκων ἐφ' ἑαυτὸν τὸν πλοῦτον ὥσπερ ὁ καικίας νέφη. id est trahens ad se diuitias, vt Cæcias nubes.

καὶ πυκνοῖ λειναῖς.) Lego prò λειναῖς, λείλης, nam & sic Aristoteles prob. 35. & Theophrastus infra tex. 40. neq; potest

hic

hic δεινὸς flatus Fauonij molestiam significare, quoniam hoc paulo inferius proponit autor differendum, vbi inquit eum χειμέριον spirare.

καὶ ψυχρὸς τῶν ἐνιαυσίων ἐν δυσὶν μόνον.) Ex hoc loco, problematis 52. verba illa, alioqui obscura, intelligimus, quæ sic
» scribuntur καὶ ψυχρότατος καὶ δύο ὥρας πνεῖ μάλιστα ἔαρτε καὶ
» μετόπωρον. ea enim sic conuertit vetus Interpres, & frigi-
» dus, & duobus temporibus flat, maxime autem vere & au-
» tumno. Theodorus verò sic, & frigidissimus est, duobusq;
» temporibus maxime spirat vere ac autumno. vtriq; autem, si Theophrasto fides vlla adhibenda est, longissime à vera Aristotelis mente: neq; enim, vt hic locus monet, ac series comprobat Aristotelicæ disputationis, proponit philosophus tanquam duo diuersa de Fauonio perquirenda, cur spiret frigidissimus, & cur duobus anni temporibus spiret; sed tanquam vnum tantum, nempe cur duobus anni temporibus, vere scilicet & autumno frigidus spiret; atq; hoc est, de quo reddit causam Aristoteles, non cur vere spiret & autumno; de qua re nullum facit verbum: vnde particula, καὶ, vel delenda est, vel dicendum abundare, quod frequens est in attica dialecto: nec nos turbet aduerbium, μάλιστα, cum superlatiuo ψυχρότατος adiunctum, nam & hoc etiam Græcis est vsitatum. Erunt ergo verba ita transfe-
» renda. & frigidus maximè spirat duobus anni temporibus
» vere & autumno.

ὅθεν καὶ ὁ ποιητὴς.) Homerus non semel Fauonium δυσαῆ appellauit, nam 5. Odysseæ tempestatem describens, qua Vlysses à Neptuno quatiebatur, ita cecinit

σὺν δ' εὖρός τε νότος τ' ἔπεσε, ζέφυρός τε δυσαὴς. id est
Simul Eurusq; Notusq; incidit Zephyrusq; molestus

» quo loco Didymus antiquissimus autor sic, δυσαὴς. Mole-
» stè & grauiter spirans, vel quia ab occasu veniat, vel quia
» varius spiret, etenim homines refrigerat. Est & alter locus Odysseæ 12. vbi Poeta Fauonium δυσαῆ appellat, quam vocem Didymus interpretatur, vehementer spirantem.

δύο καὶ φιλόξενος ἰδίαν.) Philoxenum fortasse Dythirambicum poetam intelligit, qui Dionysij senioris ætate floruit;

ruit; nam & ſupra Homerum nominauit. Cum autem vulgata editio habeat ἴλιαν, Aloyſius Lollinus vir doctiſsimus arbitratus eſt legendum eſſe ἤλειαν, cuius iudicium, ſicuti in alijs huius libelli locis reſtituendis non ſemel ſecutus ſum, ita & in hoc vno mirificè probo: nam vox hæc reſpondet τῷ μετρίῳ, & μαλακῶς, & cum moderatus ac lenis ſpirat Fauonius, ſuauis eriam ſpirat; vt ob id Philoxenus ſuauem ſpirationem ei fuerit impertitus: de qua re Ariſtoteles prob. 55.

τοῖς μὲν ἐντρέφει.) Lego καὶ τοῖς μὲν, alterum enim hoc eſt, quod de Fauonio fertur, & prædicatur.

καὶ διαφέρει τελείως.) Reſtituo διαφθείρει cum Turnebo.

Super Tex. 38.

καὶ οὐ περὶ τὴν γῆν ἐστι.) Mihi magis probatur, ſi legamus ἔσω τὴν γῆν, nam & ſic Ariſtoteles prob. 29. vbi tractat eandem quæſtionem. Cæcias, inquit, ſuæ lineæ cauum πρὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ οὐκ ἔσω τὴν γῆν. id eſt cœlum verſus erigit, non ad terram reſupinat. Cæterum, vt veram huius loci ſententiam aſſequamur, ſciendum eſt, Ariſtotelem ſect. 26. duobus problematibus quæſtionem hanc pertractare, primo videlicet, & vigeſimonono; non tamen vtroq; in loco, (quod non ſatis adhuc animaduerſum video,) eodem modo eam diſſoluere, neq; cauſam afferre vtrobiq; eandem huius affectionis, ſed contrariam. etenim primo problemate dicit philoſophus Cæciam nubes ad ſe trahere, quoniam è locis eminentioribus ſpirans, lineam ſua delatione τὰ κοῖλα id eſt cauum ad terram habentem facit; ex quo & ob lineæ figuram nubes cogens, ad ſe ſuo inde reflexu eas vocat: vnde & ἄνωθεν, id eſt ex ſupero in inferum locum flatum hunc ſpirare inquit & in contrarium; reliquos vel ex infero è contra in ſuperum, vel ex æquali efficere ſpirationis lineam, conuexum ad terram habentem: quo loco annotare oportet Theodorum autoritate fortaſſe problematis 29. permotum, cum non animaduerreret contrariam cauſam ibi explicari, vocem illam τὰ κοῖλα, conuexam, cum totius ſententiæ ruina fuiſſe interpretatum; cum alioqui, concauam,

debuerit eam interpretari: in problemate enim 29. contrariæ figuræ lineam describere Cæciam sua spiratione traditur ab Aristotele, vt quę concauum non ad terram, quemadmodum primo problemate asserebatur, sed ad cœlum dicatur habere: id autem Cæciam efficere, quoniam, vt acutè hic docet Theophrastus, κάτωθεν, id est de infero in superum locum spiret, quo pacto reflectitur ad locum vnde venit, atq; vna secum nubes trahit: nisi dicamus Theodorum conuexi nomine concauum intellexisse, quod tamen à communi loquendi vsu abhorret, qui docet passim conuexum concauo opponi. Itaq; cum duplex causa ab Aristotele afferatur; Theophastus prioris problematis relicta sententia, vt quæ fortasse ei malè tuta videbatur, hoc loco eam sequitur, quæ prob. 29. continetur; quam etiam Alexander Aphrodisiensis com.36. 2. Meteoron amplexus est: cuius verba, veluti quæ hunc Theophrasti locum & respicere videntur & declarare, huc transferre operæprecium duxi:
» ita igitur ipse de re hac scribit. Tunc de Cæcia subdens, qui
» quidem non longe etiam est ab Aparctia, inquit, quod
» serenus quidem non est. Cuius causam assignat, quoniam
» spiritus atq; efflatus, qui à Cæcia est, reflectitur rursus, vn-
» de prius emitti inceperit; non enim secundum rectam line-
» am fertur ad latus, sed magis secundum curuam, cuius gib-
» bositas ad terram annuens vergit: quapropter sursum re-
» diens spiritus & incidens in nubes, illas non quidem pro-
» pellit, sed magis retrorsum ad locum adducit vnde ventus
» hic flat. Hoc autem contingit circa ventum hunc, quoni-
» am cum spiret satis propè terram, in quasdam terræ emi-
» nentias occurrit, ac regurgitat retro, & sursum fertur.
Hæc Alexander, qui, vt è græco cõtextu fit perspicuũ, quod Theophrastus κάτωθεν πνεῖν dixit, eleganter προσγειότερον πνεῖν interpretatus est; ita enim in terræ eminentias incidens, vt idem ait, reflectitur ad principium: vnde & libello de Mundo Cęcias ab admirabili, & insigni hac proprietate inter eos vẽtos enumeratur, qui ἀνακαμψίπνοοι, .i. resupinati flatus ac reflexi appellantur; cum alioqui alij omnes εὐθύπνοοι, .i. recti dicãtur; vt qui rectis lineis semper grassari so-

 lent;

lent; Verum etsi hac de causa nubes Cæcias ad se trahat, id tamen semper facit, quoniam earum producendarum habet potestatem; vt meritò Philosophus 2. Meteoron cap. 6. ambas hasce causas simul iunxerit de hac re habens disputationem; siquidem ita scripsit interprete Vicomercato. » Nubibus autem cœlum densant, Cæcias quidem vehementer; » Africus verò rarioribus: ac ille quidem, quod ad se reflectat, quodq; Aquilonis & Vulturni communis sit. Eo igitur quod frigidus sit, eum qui exhalatus est, aerem caoglando nubes constituit: quòd verò ex loco in subsolanis habeatur, multam materiam vaporemq; obtinet, quam propellat. Sed de Cæciæ natura, & vtra verior ratio censenda sit, an quæ prob. primo, an quæ prob. 29. explicatur satis superq; in commentarijs nostris super sectionem 26. problematum disputatum est; quò etiam loco illud annotauimus, nostræ oræ, ventum illum, quem Cæciam Veteres appellabant, id nequaquam efficere, quod iidem ei tribuunt; neq; enim flatus qui nobis ab æstiuali exortu spirat, quem Cæciam esse dicebant, nostri Græcum solent appellare, cùm flat, nubes ad se trahit; hoc enim obseruatur facere potius locis nostris Euronotum, quem Silocum vocant: quod Vitruuio non fuisse incompertum magna perspexi cum voluptate; qui cap. 6. primi libri in descriptione ventorum, flatum circa Eurum dextera spirantem, quod multis videri » posset absurdum, Cæciam vocat ita scribens, Euri verò me» dias partes tenent in extremis Cæcias & Vulturnus: nimirum quia vir diligentissimus obseruasset, flatū ex illa cœli parte ad nos manantem Cæciæ induere proprietatem; Atq; hoc est quod Plinius verbis tamen obscurissimis lib. 18. cap. 34. voluit, vbi de vento, qui ab æstiuo oriente flat, A» quilone videlicet sermonem habens, ita scripsit. Nec sum » oblitus in hac parte ventum Græcis poni, quem Cæciam vo» cant. Sed idem Aristoteles vir immensæ subtilitatis, qui id » ipsum fecit, rationem conuexitatis mundi reddit, qua contrarius Aquilo Africo spirat: nominatim nanq; mea sententia Græcos expresit, inquiens Cæciam, id est ventum ad se nubes trahentem eos ibi collocasse, quoniam apud alias Natio-

Nationes alij fortaſſe venti, ex alia Cœli regione dimanantes id efficiendi habeant poteſtatem. Subdidit verò Ariſtotelem reddidiſſe rationem conuexitatis mundi; quoniam huius effectus cauſa huiuſmodi ab eo prob. primo eleganter tangitur. de qua tota quæſtione nos plura citato loco; ſatis enim hïc fuerit rem tantum indicaſſe.

πνέων δὲ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν κ οὗτος δὲ ἐφ' αὑτὸν.) Lego οὕτως, & particulam δὲ expungo cum Turnebo, atq; ita ſententia clara erit, nec vllo pacto manca.

Super Tex. 39.

τοῦ βοῤῥέου ἧττον ψυχρὸς.) Lego τοῦ δὲ βοῤῥέου cum Turnebo.

οὐ γὰρ ὥσπερ ἐν γῇ. ἀλλὰ πλανᾶται.) Locus hic mirè deprauatus eſt: & magis profectò mirum, quomodo mendoſiſſimus quoq; cum ſit locus alius problematis 52. huic reſpondens, alter tamen altero, ne dum vulnus obligat, ſed penitus etiam illud ſanat. factum nanq; eſt ſingulari fortunæ beneficio, vt quod apud Ariſtotelem corruptum eſt, integrum legatur apud Theophraſtum: quod mendis in Theophraſti oratione ſcatet, in Ariſtotelica habeatur inuiolatū: vnde vtriuſq; loci reſtituendi facultas nobis fuit. Cauſam hic adducit Theophraſtus, cur Fauonius non ſpiret continuus, ſed per interualla, atq; eam dicit eſſe, quoniam τὸ γινόμενον πνεῦμα, id eſt vt ego interpretor, materia quæ incaleſcens vertitur in exhalationem, & ſpiritus euadit, non ſuperatur; id eſt non adeo eam ſol ſuo calore vincit, vt continuas ex ea excernat exhalationes: nam & hanc cauſam eſſe, cur venti ſpirent per interualla, abunde 2. Meteoron cap. 5. docet Ariſtoteles, de Auſtrinis Eteſijs ſermonem habens; vbi ſic ſcribit; non ita vero continuati ſpirant, quoniam quæ in ſumma telluris parte extant, imbecillaq; ſunt, tunc ſecernuntur: quæ verò gelu magis ſunt ſtricta, ampliorem calorem requirunt. quo circa per interualla hi ſpirãt, & c. At hic quid aliud quæſo eſt, quę in ſuperficie telluris ſunt tantum excerni, quæ verò magis ſunt conglaciata, nequaquã, quia maiore egeant calore, quàm materiã nõ ſuperari

perari ab agente? igitur merito inquit Theophrastus Fa-
uonium non flare continuum, quia materia, ex qua ipse gi-
gnitur, non superatur: quæ cum dixisset iam causam causæ
addens, nempe quare materia non superetur, subdit οὐ γὰρ
ὥσπερ ἐν γῇ, quo ex loco desse omnia illa ὑπομένει τὴν ὕλην,
ex prob. 52. latissimè patet: etenim sententia tota, quæ
,, apud Aristotelem integra permanet, sic ibi legitur οὐ γὰρ
,, ὥσπερ ἐν γῇ ὑπομένει τὴν ὕλην. ἀλλὰ πλανᾶται· διὰ τὸ ἐφ' ὑγροῦ
,, βεβηκέναι. quorum verborum sententia est, materiam, ex qua
exhalationes Fauonium gignentes oriuntur, non superari,
quia eam non excipiat, neq; habeat Fauonius ex terra, sed
è mari & humido, (dictum nanq; est è mari Fauonium spi-
rare) quo fit vt errabundus, scilicet modò hùc modò illùc,
eam accipiens, non spiret continuus: sol enim eas partes,
quæ ad patiendum sunt magis idoneæ, minusq; calori resi-
stunt, è mari abducens, eas conuertit in exhalationes; quæ
cum non sint in eodem maris loco, exhalationum affluxum
reddunt non continuum. quamobrem perspicuum est ex
his, locum hunc totum ita restituendum esse & legendum;
,, οὐ γὰρ ὥσπερ ἐν γῇ ὑπομένει τὴν ὕλην, ἀλλὰ πλανᾶται, & c.
Verum & hinc orationis Aristotelicæ patet emendatio, ex
qua, nemini potest esse incompertum, qui loca inter se con-
,, tulerit, omnia hæc deesse, οὐ συνεχὴς δὲ; διὰ τὸ μὴ κρατεῖσθαι
,, τὸ γινόμενον πνεῦμα. deesse enim verba hæc è contextu ipse-
met disputationis ordo testatissimum facit; cum illa οὐ γὰρ
ὥσπερ ἐν γῇ, nil habeant cum superioribus commune; in
quibus causam reddit Theophrastus, quare vere, & autum-
no Fauonius frigidus spiret: quod cum animaduertisset
,, Gaza, de suo omnia illa addit, vicinus hic maximè terræ af-
,, flat, quod è directo nullaq; aduersante vi ex mari ad terram
,, transit, haud enim & c. quæ tamen verba, neq; in impres-
sis codicibus neq; in manuscriptis reperiuntur: nec vetus
interpres ea habet, cui, quod pertinet ad seriem oratio-
nis, fides maxima est adhibenda; etenim ipse post illa, quia
,, non adhuc vincit sol, quibus græca illa respondent ὅτι οὔ-
,, κέτι κρατεῖ ὁ ἥλιος, ita habet, omnino consentiens græco
,, exemplari; nō enim sicut in terra sustinet materiā sed errat.

Itaq;

Itaq; cū Theodorus mea ſententia (abſit verbo inuidia) rem non tetigerit acu; quando verba hęc οὐ γὰρ ὥσπερ ἐν γῇ ὑποφαίνει, & c. nil faciant ad diſſoluendam quæſtionem, cur Fauonius maxime terram attingat; præterea ipſa quæſtio ad ,, finem problematis ſoluatur ab Ariſtotele verbis illis ὥστε ,, ἐπὶ τῆς γῆς φέρεται, neq; poſsit aliter oratio connecti, ſequitur neceſſario, vt Theophraſti autoritate iacenti Præceptori manus admouentes, omnia illa in contextu reponamus, tanquam è proprio loco librariorum incuria eiecta.

καὶ ἐφ' ὁμαλῆς. διὰ τοῦτό ἐστι * περ δι' αὐγείων.) Perdifficile erat hanc lacunam explere, niſi ſententiam, quæ hic exprimitur, integram prob. 52. haberemus: neq; enim Turnebus vir alioqui doctiſsimus illam explere potuit, qui ſtellatum locum ἐστι * περ δι' αὐγείων, emendauit ὥσπερ δι' αὐλῶνος: ex qua emendatione vel nullus qui congruat, vel ſaltem non integer ſenſus elici poteſt: nec ſanè mirum, cum ita male hoc loco temporis iniuria acceptus ſit autor, & atrociter vulneratus, vt periodus integra deſideretur. Ego & ſententiam & verborum ſimilitudinem ſecutus, & Ariſtotelis prob. 52. autoritatem, ita emendo, καὶ ὁμαλὸς διὰ τοῦτό ἐστι. deinde hæc omnia ex problemate illo hic addo, οὐ γὰρ ἀπὸ ὀρέων πνεῖ. οὐδὲ βίᾳ τηκομένου. ἀλλὰ ῥαδίως: & mox illa, περ δι' αὐγείων, quæ tametſi corrupta, ſola ex tota periodo remanſerunt, lego ὥσπερ δι' αὐλῶνος ῥέων: ſententia nanq; tota apud Ariſtotelem integra ſic prob. 52. ,, ſcribitur καὶ ὁμαλὸς διὰ τὸ αὐτό. οὐ γὰρ ἀπὸ ὀρέων πνεῖ. ,, οὐδὲ βίᾳ τηκομένου. ἀλλὰ ῥαδίως ὥσπερ δι' αὐλῶνος ῥέων. traditur autem his verbis lenitatis Fauonij & æquabilitatis cauſa; æqualis enim & lenis Fauonius ſpirat, quoniam ſuper humida illa loca campoſq; planiſsimos procedit, non à montibus, neq; per vim excretis exhalationibus, ſed leniter ac facile, & tanquam per fauces expeditè profunditur: ſiquidem venti illi, qui inæquales ſpirant, & interdum magni, interdum exigui ſentiuntur, ita profectò ſentiuntur, tum quia è montibus, & inæqualibus locis proueniunt, per quæ tranſeuntes, modò coaceruari, & vehementius moueri; modò diffundi & remitti venti corpus contingit: tum

etiam

etiam quia materia (nimio interdum calore agitata loci & situs ratione) violentiùs ac subinde in maiori copia liquari solet, quæ res inæqualitatis potissima videtur esse causa, vt idem Theophrastus tex. 15. suprà docuit, causam reddens inæqualitatis Etesiarum.

· διʼ αὐτὴν μὲν γὰρ πρὸς βορέαν, καὶ νότον.) Turnebus sic emendat διʼ ὀρεινὰ μὲν γὰρ. Ego potius puto scribendum autoritate eiusdem prob. 52. τὰ μὲν γὰρ πρὸς βορέαν καὶ νότον ὀρεινά. atq; hinc elicimus Austrum oriri ex locis montuosis, quibus niues etiam fortassè non desunt, nec tamen ab Antartico polo, vt nonnulli credidere; licet ab illius poli tractu; videlicet ex Libyæ montibus: ac Libyæ quidem nomine, vt obiter hæc tangamus ad clariorem eorum intelligentiã, quæ suo loco superius diximus, eam terræ partem debemus intelligere, quæ ab æstiuo circulo ad nos extenditur. licet enim Libya, quam nos Africam dicimus tertiam Mundi partem significet, Aristoteli tamen ac Theophrasto, qui vltra tropicum nullam esse habitationem vel difficilem credidere, pars illa orbis propriè Libya est: quæ cum montes habeat ingentes potest Austrum, tanquam per angustum flantem ac suæ origini propinquum, frigidum sentire. Vnde frigidus hic ventus erit non in tota Libya nec semper, sed in locis suæ origini proximioribus & in principio spirationis: ac ita quidem frigidus, prout patitur feruidæ regionis qualitas & conditio; quòd tetigit acutè Theophrastus tex. 5. huius libelli, scribens Austrum ad meridiem frigidiorem esse quàm apud nos, ac de nonnullorum testimonio magis etiam quàm Aquilonem.

- πρὸς ἑσπέραν δʼ οὐχ ἕτερος οὐδὲ τις ἐστι.) Scribendum ex eodem prob. 52. οὔτε ὄρος, οὔτε γῆ ἐστιν.

- ὡς ἐπὶ τῆς γῆς φέρεται.) Restituo ex eodem prob. 52. ὥστε ἐπὶ τῆς γῆς φέρεται. reddunt enim causam hæc, quarè Fauonius maximè terram attingat; eademq; leguntur apud Aristotelem: ex quibus potuisset Theodorus de suę sententiæ doceri falsitate: enimuerò si his verbis causa propinquitatis Fauonij ad terram explicatur, non potuit eadem suprà explicari: nullam enim aliam ob causam terræ proximus Fauonius

uonius ſpirat, niſi quia ex planis & humilibus terræ locis aduenit; ex mari enim occiduo veniens, non a montibus, aut ab eminentioribus terræ partibus ortum ducens, eundemq; ſeruans tenorem quem à principio ſortitus eſt, iuſta de cauſa propè terram perflat, eamq; maxime attingit.

Super Tex. 40.

πάντα γὰρ μετὰ τοῦ ἡλίου διαχέοντος.) Aurea ſententia, licet violata: prò μετὰ enim reſtituendum τὰ πνεύματα: emendationemq; hanc tuetur Ariſtoteles prob. 35. (ex quo loco id totum fortaſſe ſumpſit Theophraſtus) qui ita ſcri-
,, bit ἢ ἅπαντα τὰ πνεύματα τοῦ ἡλίου διαχέοντος τὸ ὑγρὸν γί-
,, νεται; id eſt an venti omnes ſole humorem diffundente ori-
,, untur? Comprehendit autē his verbis elegantiſsime Theophraſtus illa omnia, quæ ſol ad ſpirituum ortum operatur: enimuerò vel ſuo calore gignit exhalationes, quod dixit Theophraſtus ἢ ἀτμίζοντος; vel humidiorem exhalationis partem corrigit, atq; hoc pacto ei motum impartit diffunditq; illam, de qua rè ſupra; idq; Theophraſtus verbis illis ſignificauit, διαχέοντος τὸ ὑγρὸν; aut demum calidam eiuſdem exhalationis partem adiuuat calorem augendo, quod συνεργοῦντος εἰς τὴν ἀρχὴν dixit: ſcitè calidam partem exhalationis principium venti vocans.

ὅταν οὖν εἰς τὸν τόπον ἀφίκηται, καὶ ἡ πνοή.) Lego ex
,, prob. 35. ἀφικνεῖται. Ariſtoteles enim ſic citato loco τότε
,, γὰρ ὁ ἥλιος εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἀφικνεῖται. id eſt tunc enim
,, ſol eius ad locum accedit: & verbis illis καὶ ἡ πνοή, ſubaudiendum γίνεται; eſt enim ſententia cum ſol ad loca illa accedit ſpirationem Fauonij excitari.

διὰ τὸ ἐλλείπειν τὴν τοῦ ἡλίου κίνησιν.) Nota quod ait deficere ſolis motionem: quod Ariſtotelis quoq; eſt prob. 52. ad finem: vel enim per motionem, calorem, quem ſol gignit intelligere poſſumus, quia apud Ariſtotelem calor à ſole, motu tantum generatur, vel motionem & impetum, quem ſol Fauonio impertitus eſt; quo ſenſu dictum fuit ſupra tex. 18. à Theophraſto, interdum ſole occidente ventos ſedari, quoniam ipſe ſol motionē auferat, quam eis tradidit.

καὶ κατ' ἔλαττον ὥστε ἐκ προπολλοῦ συνάγειν.) Emendo ex prob. 23. prò κατ' ἔλαττον, κατὰ τὴν θάλατταν, & mox ἐκ πολλοῦ. problemate nanq; illo eadem quæstio ijsdem penè verbis tractatur. atq; de hac Fauonij affectione carmina extant apud Homerum pulcherrima 4. Iliados.

διόπερ τὰ πρότερα εἰρημένα μετὰ δὲ τὸν χειμῶνα.) Mendosissimè. Scribendum mea sententia διὰ τὸ, ὅπερ πρότερον εἴρηται, & c. atq; expungenda est particula δὲ.

τοῦ ἀέρος ῥέοντος.) Lego cum Turnebo ὄντος.

ἔπειθ' ὁ μετοπωρινός.) Lego ἔπει τε, & c. Atq; hinc elicere possumus τὸ χειμερινὸν dicere non solum magnitudinem in vento, sed etiam frigiditatem. Nec tamen hic vlla contradictio est, siquidem Theophrastus non dicit absolutè autumnalem Fauonium non esse frigidum; hoc enim in contextu superiori iam statuerat, sed non esse hybernum ac molestum; videlicet quia non adeo frigidus autumno spirat, vt χειμέριος appellari mereatur: ineunte enim vere, ac post hyemem longe frigidior aer est, quàm autumno, præsertim incipiente: atq; hinc satis patet τὸ χειμέριον, primò dicere tum in ventis, tum in aere frigiditatem: quod alibi etiam animaduertimus. Fauoniū enim autumnalem negat autor χειμέριον esse, quia non sit adeo frigidus, vt vernus; hoc nanq; est, quod hoc loco concludit, Fauoniū hunc non esse hybernum, licet sit frigidus, (nisi hybernum prò magno accipiamus,) quoniam non tantum habet, frigiditatis, quantum habet Fauonius vernus, quantumq; requiritur ad flatum χειμέριον constituendum.

εἰ μὴ τῷ μεγέθει λαμβάνοντες.) Turnebus emendat λαμβάνοι τίς puto tamen vulgatam lectionem retineri posse: atq; hic habemus dicere τὸ χειμέριον in flatu interdum magnitudinem sine frigiditate, aut saltem sine magna frigiditate.

ὃ ὥς τὸ χειμέριον.) Scribendum οὕτω τὸ χειμέριον.

ὡς οὐ πᾶσι.) Expungenda est mea sententia negatiua particula οὐ: nam & verba illa superiora, καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι, id ostendunt; est enim sententia, si hybernum, prout dicit magnitudinem accipiamus, reliquos omnes flatus,

qui

qui magni spirant, hybernos dici posse, non Fauonium tantum: vnde illis, ὡς πᾶσι, subaudiendum, κοινόν ἐστι, vel tale quid.

καὶ παραλλάττων ἐστὶν ἐμποιοῦντι.) Lego ὅθεν καὶ ἐμποιοῦνται, ita postulante sententia.

τὸν κίον ζέφυρον καλοῦντες.) De hoc loco restituendo diù multumq; cogitaui; quid enim vox illa, κίον, dicere hic possit, non video. Arbitratus sum aliquando, cum viderem Aristotelem prob. 21. scribere canes, Fauonio flante, vestigia minus comperire, Veteres fortasse ab hac proprietate Fauonium canem appellasse, quia canum instar, maxime terram attingens, quasi vestigia ipsa persequi videatur, quæ confundat; etsi id potius Xenophon in Venatorio Austrinis ventis tribuat; quo pacto prò κίον, restituendum esset κύνα: verum cum neq; hoc mihi satisfaceret; Lollinum meum consului; cui, cum nil cani cum Zephiro commune esse videretur, credidit legi posse non incongruè χιονοζέφυρον: quam lectionem vehementer probant verba „ quæ sequuntur, χειμέριος γὰρ οὗτος, quæ docent fortasse, χειμωνοζέφυρον esse scribendum; quasi, cum ita spirat Fauonius, tempestatum sit autor. Turnebus prò κίον, θερασκίαν, putauit emendandum: vtrum ad rem, alij viderint. porrò autem ad ea, quæ in toto hoc contextu disseruntur, intelligenda, faciunt prob. 21. 23. 31. 33. 35. 52. 55.

Super Tex. 41.

ἐναντίων ταῖς ὥραις τὴν πνοὴν ἔχειν.) Lego ἐναντίαν, & mox ἔχον. Atq; de hac eadē re egregiè differit Theophrastus cap. 4. 2. de Plantarum causis. Quod tamen hic dicitur de veris frigiditate, quod etiam supra tex. 39. & 40. dictum fuit, cautè videtur accipiendum; cum enim alibi Theophrastus ver statuat esse calidum & humidum, si ipsum absolutè frigidum esse affirmaret, dissentiret à seipso: asseruit superius vernum Fauonium esse frigidum, quia vere aer frigidus sit; hic verò inquit; Fauonium, si frigidus spiret, fructus corrumpere, quia similis spiret tempestati, ex quibus omnibus sequitur, ver frigidi esse temperamenti apud ipsum.

Verum vt omnis tollatur contradictio oportet cogitare, Theophrasti verba de veris initio habere veritatem, & cum iam plantæ parant sè ad germinationem; tunc enim aer adhuc frigidus est, & Fauonius frigidus spirans, facile ducit ad excessum.

Super tex. 42.

ἢ μὴν κρίσ.) Lego cum Turnebo λέγειν.

καὶ ἢ ταῦτα συνεχὴς ἐνδεῖνει.) Emendat Turnebus ταύτῃ. & mox ἐνδεῖνει, & recte mea sententia.

ἔνιαι δὲ καὶ βλάστοντες.) Turnebus βλαστοντας, optimè.

ἢ μὲν γοργῦνα.) Turnebus ἢ περὶ γοργῦνων.

καὶ προσβάλλε την.) Turnebus καὶ προσβάλλει αὐτήν, rectissimè.

ἔτερα δὲ τις πόλλυτα.) Emendo ἀπόλλυται.

φθείρει δὲ καὶ ἐν τῷ μὴ κόλπῳ.) Turnebus ἐν τῷ μαλίκρῳ optimè.

καὶ τὰ ἐφέτια, καὶ τὰ τῶν ὀλιγοδίων.) Turnebus, καὶ τὰ ἐπέτεια, rectissimè; opponuntur enim τὰ ἐπέτεια, & τὰ δενδρώδη. Aristoteles sic ad finem libelli de longitudine, & ›› breuitate vitæ; & plantarum, quæ capite graues, longio- ›› ris vitæ sunt; tales autem sunt non ἐπέτεια, sed δενδρώδη. Quæ verò in plantis ita se habeant, vt annua duntaxat vita potiantur, cap. primo primi de historia Plantarum declarat Theophrastus.

ὁ δὲ πνέων ζέφυρος.) Turnebus sic ὁ δὲ ὀλύμπῳ πνέων δὲ, & c. quod non probo, Pieria enim regio non ab Olympo, sed à Pierio monte à quò nomen ducit, vel à Cythario circumdatur. legendum ergo πιερίῳ, & mox πνέων δέ.

ἀπακλώμενην καὶ τὴν * εὐθὺς.) Turnebus emendat prò καὶ τὴν * εὐθυς, καθῆκεν.

οἷς εἴ τι τοιοῦτον.) Expungenda est particula εἰ cum Turnebo.

ὅτι μέγα * συμβάλλεται.) Non video cur asterisco debuerit locus notari, cum integra sit sententia.

δὲ ὅ ἂ ἀνα πνέει.) Legendum cum Turnebo ἂν πνεῖ. De huiusmodi; locorum differentijs, nonnulla habemus cap. 16. libri 5. de Plantarum causis apud eundem autorem.

Super Tex. 43.

ὅτι ✱ ἀέρα κατεζυγμένον.) Turnebus διὰ τὸν ἀέρα legit, fortasse legendum ὅταν διὰ τὸν ἀέρα, & subaudiendum ῥεῖ.

τὴν ἀνεκπνοὴν.) Emendo cum Turnebo τὴν πνοὴν.

οἷος ἂν ὁ ἀὴρ ᾖν, καὶ βορέας.) Legendum fortasse οἷος γὰρ ἂν. &c.

ὁ ἐπὶ τὸν πηλὸν τὸν ὄντων.) Restituo τὸ δ' ἐπὶ τὸν πηλὸν τὸν νότον. ex prob. 46.

ὅν φησι πάλιν.) Lego ὡς φησι, videndumq; est prob. 46. accurateq; considerandum.

ἡ μὲν τούτων.) ἡ μὲν οὖν τούτων, legit Turnebus & rectè: concludit enim quæ de Cæciæ & Fauonij proprietatibus dicta sunt, cum ratione naturali consentire.

ἔχει τιν' εὔλογον.) Idem emendat ἔχει τινὰ λόγον.

Super Tex. 44.

μηκέτι κρατεῖν.) Lego cum Turnebo κρατῇ.

ποτ' ἐφιέμενος.) Emendo ex prob. 20. ἀφιέμενος.

ὁ ἀὴρ εἰς.) Prò εἰς, restituendum ῥεῖ ex eodem problemate.

διυόμενος συγκαλύπτει.) Fortasse ex eodem problemate διυόμενος οὖν & prò συγκαλύπτει, ἐκλείπει.

ἀφ' οὗν ζεφύρια.) Nisi addamus ex prob. 20. τὰ νέφη: illud ἀφ' οὗ ad aerem referendum erit; si addamus τὰ νέφη erit legendum ἀφ' ὧν.

καὶ ὅσον ἀνάγει τοῖς ἐν τῷ ἡμισφαιρίῳ κατοικοῦσιν ✱ πνεῦμα γίνεται.) Rursus ex eodem prob. 20. verba hæc corrupta & mutila sic emendo ac restituo, καὶ ὅσον ἂν ἐπαγάγῃ. τοῖς ἐν τῷ κάτω ἡμισφαιρίῳ οἰκοῦσιν, ἑῷθινὸν πνεῦμα γίνεται: sententia quidem digna animaduersione; ab eodem fonte, ab eodem cęli puncto & cardine, ex eadem materia contrarios ventos contrarijs hemispherijs, scilicet Fauonios nobis, Subsolanos illis oriri: ex quò & illud fit perspicuũ iuxta horũ philosophorum placita exhalationes easdẽ eodẽ temporis momẽto aduerso itinere ferri; atq; nõ tãtũ ad vnã partẽ, sed ad oppositam quoq; moueri: enimuerò ex eadẽ materia ad nos per hyemẽ è plaga oriẽtali Subsolani veniũt, ad illos, qui oppositũ incolũt hemispheriũ ex occidua per ęstatẽ Fauonij:

verum

verum id locum habere censendum est in sphæræ tantum longitudine; nam si latitudinem eius contemplemur, fortasse aliter se rem habere dicendum videbitur; neq; enim exhalationes, quæ ab æstiuo circulo excitatę ad nostram plagam feruntur, eædem, vel earundem pars aliqua poterit semper æquatorem versus progredi: & ratio est, quoniam nullus ventus potest corpus solis pertransire: rectitudo nanq; radij & potestas exhalationem statim absumit, ac ventum sternit. vnde in libris nauigationum noui Orbis legimus in Insula sancti Thomæ, quæ sub æquatore est, tunc temporis à Cancri circulo ventos flare, cum sol Capricornũ tenet, cum verò Cancrum possidet nequaquam: quæ autem exhalationes à polo nostro nobis oriuntur, ne ferantur in oppositum prohiberi possunt à nimia frigiditate, quam à tergo habent; de qua re acutè Alexander 2. Meteoron com. 20. Itaq; cum hæ causæ in Fauonijs flatibus & Subsolanis locum nõ habeant; nam Subsolani solem antenertunt, Fauonij illum relinquunt; iure euenit vt eadem materia eodem temporis puncto oppositas terræ partes petat.

κατέναντι δ' ὅταν.) Restituo ex eodem problemate 20. τἀναντία: rectè autem ait, τἀναντία, contrarietas enim in omnibus seruatur. Nam primum ad contrarium nobis hemisphærium sol vadit, deinde ad contrarium anni tempus; demum contrarios contrarijs diei horis flatus excitat. Siquidem dictum est superioribus verbis, cum nobis occidit, scilicet æstate, cum oritur illis, hyeme videlicet (quod eodem temporis momento euenit) ad nos Fauonios vespere, ad illos mane mittere Subsolanos: hic autem dicitur è contra cum illis occidit, per æstatem intelligas, sese nobis per hyemem attollit, Fauonios illic vespere, Subsolanos in nostro cœlo mane excitare: & materiam designat inquiens, ἀπὸ τοῦ συνεπομένου ἀέρος αὐτῷ. quo loco videmus rursus Theophrastum exhalationes ipsas & flatum, aerem appellare, cum ex aere, qui solem antecedit, exortiuos nobis spiritus velit exoriri.

ἐν τῷ κάτω μερίζεται θέρους.) Perperam omnino. Restituo ex eodem problemate ἐν τῷ κάτω μέρει ζέφυρους.

τὸ

τὸ δ' ἐντεῦθεν.) Malè: emendo ex eodem loco τὸ δ' ἐνταῦθα.

ἀπὸ τοῦ συνεπομένου.) Aristoteles sic allato problemate
„ καὶ ἐνταῦθα ἕωθινον πνεῦμα ἀπὸ τοῦ ἑπομένου ἀέρος αὐτῷ. id
„ est & hic matutinum flatum gignit, ex aere, qui eum sequi-
„ tur. Ex qua profectò assertione magna oritur dubitatio,
si enim aer hic, qui in nostro tractù hyeme matutinum ventum creat, solem sequitur, igitur sol antecedit, igitur post solis exortum hic ventus spirat; atqui hoc & sibi ipsi aduersatur, & contrarium omnino est ei, quod prob. 52. infra idem tradit Aristoteles: nam spiritus matutinus esse nequit, nisi ante solis exortum excitetur, cum τὸ ἕωθινον Græcis, illa sit diei totius naturalis pars, quæ solis ortum antecedit, quod satis clarè probatur ex Theophrasto, dum
„ libello de signis pluuiarum ita scribit ἐναργέστατον μὲν οὖν
„ τὸ ἕωθινον, ὅταν πρὸ ἡλίου ἀνατολῆς φαίνοιτο ἐπιφοίνισσον ση-
„ μεῖον. id est Manifestissimū quidem signum matutinum est,
„ cum ante solis exortum purpureum cœlum apparet: quæ res latinis quoq; autoribus probatur, cum Isidorus 5. Ori-
„ ginum de parte diei matutina ita statuat. Matutinum est
„ inter abscessum tenebrarum & aurorę aduentū: & dictum
„ matutinum quod hoc tempus inchoantes manè sit: deinde Aristoteles prob. 54. quo loco eidem quæstioni manus admouet, apertè docet ventum hunc ante solis ortum exci-
„ tari, scribit enim ποιεῖ δὲ τοῦτο ὁ ἥλιος καὶ πρὸ τῆς ἀνα-
„ τολῆς. id est facit autem id sol antequam oriatur. Dicendum igitur vocem συνεπομένου, significare hic propriè, cœli tractū & locum, quem versus flatus hic mouetur; vt sensus sit, ex aere, qui solem, id est solis viam sequitur, atq; ad eandem partem iter dirigit, viamq; legit eandem, ventum hunc gigni: quo modo accepta verba nullam habebūt difficultatem; cum ventus possit solis iter sequi, solem ipsum comitari, idemq; habere iter; & tamen solem antecedere: quando non tantum illi qui sequuntur, sed etiam qui præcurrunt, dicantur comitari.

τούτῳ καὶ ἐὰν λάβῃ.) Restituendū ex eodem prob. 20. διὰ τοῦτο.

ὡς μὲν οὐ μείζω.) Delendam esse constat particulam negatiuam οὐ: Sic enim Aristoteles citato loco, διὰ ταῦτα μὲν καταλαβῇ, &c.

ὥσπερ ὁ ζέφυρος.) Locus hic alioqui obscurus mendis scatet, nec facultas mihi eius emendandi ex verbis Aristotelis suppeditatur, quoniam similis sententia in problematibus illis non reperitur: quo modo tamen censuerim eum esse restituendum, vt prò mea parte optimo scriptori consuluisse videar, ex his vestigijs dicere non reformidabo. ac primum prima hæc verba lego cum Turnebo ὥσπερ δὲ ὁ ζέφυρος.

ἀεὶ καὶ πόῤῥω πνεῖ τοῖς ἑσπερίοις.) Lego ἡμῖν πνεῖ πρὸς τὴν ἑσπέραν, nā & emendationē hanc verba quæ sequuntur mirificè comprobant, οὕτω καὶ τοῖς κάτω, &c. Sententia enim est, quemadmodum Fauonius nobis spirat ad occasum, & subaudiendum est sole pergente (tale enim quid ad absolutionem sententiæ desiderari videtur) sic & ijs qui inferius hemisphærium incolunt, eundem spirare flatum, cum idem sol ad nostrum ortum venit. Confert autem vt arbitror Theophrastus cœli cardines vicissim, vt doceat, idem cœli punctum nobis occidens, illis oriens esse & è contra; quod factum quoq; video à Præceptore prob. 54. hoc enim posito sequitur necessario, eundem flatum nobis vesperè de occasu; illis manè de ortu cōmoueri: vnde phi-
» losophus citato loco, καὶ δείλης ἐκείνοις ὁ ἡμῶν ἐστιν ὄρθρος.
» & paulo post καὶ ἡμετέρα δείλη ἐκείνοις ὄρθρος, quod est, &
» vespertinum eorum tempus, nostrum est antelucanum; no-
» strum vero vesperrinum, eorum est antelucanum.

ἐκείνων δ' ἑσπέραν ἄλλα πνεύματα.) Postremum elementum ex hac voce ἑσπέραν deleo, ita postulante sententiæ ratione, vt sensus sit, illorum autem occasus alios spiritus, scilicet nobis efficit, Subsolanos videlicet.

ταῦτα μὲν οὖν.) ταῦτα prò διὰ ταῦτα, vt non semel apud Theophrastum & Aristotelem.

καὶ τὰ ἄλλα κατὰ συμβεβηκός.) Lego οὐ κατὰ συμβεβηκός, nam cum tria sint in contextu, δι' ἀνερχθείαν, ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν, & κατὰ συμβεβηκός, patet illa, κατὰ συμβεβηκός, opposita

ſita eſſe alijs illis, ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν. vnde cum dicat Theophraſtus, vt plurimum hæc contingere, negat neceſſario ea per accidens euenire; quod enim per accidens fit, id & raro fit, vt 2. Naturalis Auſcultationis, & alibi docemur.

οὐ μὲν γε ἀκρίβειαν.) Lego οὐ μὴν γε δι' ἀκρίβειαν. Recte autem tertium hoc membtum ponitur in contextu, vt triplex rerum, quæ fiunt, modns & natura aperiatur: enimuerò tex. 48. 2. phyſicorum alia fiunt ἀεὶ ὡσαύτως, & talia neceſſario ac ſemper fiunt; alia ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ. id eſt vt plurimum; alia demum παρὰ ταῦτα, quæ per accidens fieri dicuntur, & à græcis Interpretibus ἐπ' ἔλαττον, id eſt raro. igitur, quæ ſemper fiunt, & neceſſario & eodem ſemper modo, Theophraſtus facta hic vocat δι' ἀκρίβειαν, modumq; hunc conuenire ventis illis negat, quibus tribuit ἐπὶ τὸ πᾶν, quod rebus ortui, & interitui obnoxijs omnino conuenit. Hinc verò perſpicuum fit, quomodo Præceptoris illud ἀτακτοτέρον primo Meteoron ſit accipiendũ, de qno inter ſe mirè Interpretes digladiantur: quatenus enim natura rerum ſublunarium deficit à neceſſario, eatenus inordinata eſſe videtur; quod & Theophraſti eſt in principio ſuæ Methaphiſicæ, & cap. 22. ſecundi de Plantarum cauſis: vt meritò libello de Mundo cap. 2. αἰθέριος & θεία φύσις, τεταγμένη, id eſt cœleſtis ac diuina natura, ordinata; altera dicatur ἄτακτος,, videlicet inordinata.

ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν.) Lego ἀλλ' ὡς, dicitq; hoc ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, nam & hoc ſenſu interdum ſumitur. Hæc habui, quæ prò ingenij mei tenuitate ſuper hunc tex. 43. annotarem, quatenus ſpectat ad verborum emendationem; cui prob. 20. 35. & 54. reſpondent. Quod verò ad rem ipſam pertinet quæ tractatur, ſilentio præterire nolumus, pulcherrimam illam hic quæſtionem & difficillimam attingi, cur per hyemem venti orientales, per æſtatem occidentales vt plurimum ſpirent: cum enim ita ſcripſerit philoſophus 2. Meteoron cap. 6. Temporibus autem contrarijs qui contrarij ſunt, maximè ſpirant, vt circa æquinoctium vernum Cæcias, & omnino qni vltra æſtiuum Tropicum poſiti ſunt. circa autumnale Africus. At circa conuerſiones æſtiuas Fa-

Bb uoni-

„ uonius, brumales Vulturnus. nec causam, quare ita eueniat, vllam his verbis attulerit; Interpretes aut dissimularunt difficultatem maximam silentio, aut eam tractantes longissimè aberrarunt à Præceptoris mente. Enimuerò ex græcis Alexāder siluit, Olympiodorus rem aggressus in postrema parte commenrariorū 2.libri, videtur potius docnisse, quare per æstatem orientales, per hyemem occidentales venti flare nequeant, quàm, cur æstiuo tempore occidui, hyberno exortiui spirent, quod sibi inquirendum proposuerat: inquit enim ipse orientales æstate non spirare, quia eo tempore orientales partes sol adeo calefaciat, vt exhalationes consumat, itaq; tum Fauonios excitari: at quærimus nos, cur ijdem hi Fauonij æstate exoriantur. item hyeme Fauonios desinere prę nimio frigore extincta exhalatione: atqui inquirimus nos causam, cur hyeme spirent exortiui. Ab Auerroe nihil maiestate sua dignum hac in re expectare oportet; licet enim mnlta de ventis perbellè disserat, ac totus præsertim in eo sit, vt doceat quam ob causam pauciores flatus ab ortu & occasu veniunt, quàm ex septentrione & meridie, idq; ideo fieri dicat, quia sol, cum super loca illa feratur, ea exsiccat, qua in re videtur ab Olympiodoto dissentire, qui frigus in parte occidua non calorem causam priuationis ventorum agnoscit, hanc tamen quæstionem non attingit. Idem inter latinos facit Albertus, D. Thomas & Caietanus. Augustinus Niphus quasi alienata mente, reiectis decretis Preceptoris, ad astrologicas confugit ineptias; inquit enim solent, cum est in Cancro, mouere Fauonios & non Subsolanos ob proprietatem, quam tunc habet, cum ingreditnr Cancrum, potius cum occasu æquinoctiali, quàm cum ortu: quando est in Capricornu Subsolanos eadem de causa: verum hoc optare est non disputare, qnod Augustinum quoq; ipsum non latuit, qui rei difficultate permotus, ac fassus tandem se meliora non
„ habere, neq; firmiora lepidè concludit, si melius habes,
„ melius dicas; Vicomercatus homo doctissimus se Olympiodoro ferè subscribit, addens Fauonios æstate flare, quia partes occidentales natura frigidæ, calore modicè affectæ exhala-

exhalationes gignant: Subsolanos verò hyeme, quòd in orientalibus partibus, quæ calidiores sunt, quàm occidentales, exhalatio ipsa tunc extingui non queat. Ludouicus Buccaferra summus philosophus, qui postremus hunc locum interpretandum suscepit lect. 36. eadem affert, quæ & Vicomercatus, dicens æstate loca orientalia tanquam calidiora, solis calore veluti exusta, non posse exhalationem emittere; occidua tanquam frigidiora id efficere, propterea ex occasu tum nobis ventos excitari: è contra hyeme orientales partes, sole recedente, posse exhalationes gignere, quia temperantur; occiduas solis abscessu nequaquam, ob nimiam frigiditatem: atq; hoc fortasse est quod voluit Olympiodorus, tametsi obscurè locutus, mentem suam non aperuerit. Cæterum hæc parum sunt tuta, nam orientales partes non adeò candent, vt possint solis accessu ad nos, ita concalescere & exsiccari, vt non emittant exhalationes: neque occidentales adeo frigoribus horrent, vt eiusdem recessu possit ob regionis frigiditatem extingui exhalatio: quandoquidem docet Aristoteles 2. Meteoron cap. 5. & sensus ipse fidem facit, penes longitudinem æstus & frigora non excedere, sed iuxta latitudinem tantum nostri orbis. nec tamen si sol accedit ad meridiem absumitur nimio calore exhalatio, quin potius excitat inde flatus sol, cum cò vadit, ex sententia Præceptoris. Neq; si recedit ab aquilone extinguitur frigore exhalatio, nam & media hyeme plurimi flatus inde dimanant. quin etiam & non semel hyeme occidui flatus, æstate exortiui surgunt, quod tamen de istorum sententia fieri non posset. Itaq; relinquitur vt sola vera causa ea sit, quam Theophrastus hic, Aristoteles prob. 20. & 54. tradunt; hanc philosophus subticuit 2. Meteoron, quia eam in problematibus iam docuit, profiteatur verò eo loco illa tantum de ventis scribere, quæ in problematibus prætermisit: quanquam enim paulo infra, dicens ventorū mutationes, & gyrationes prò ratione motus solis effici, videtur quantum est meritò solis causam attulisse, cur circa æquinoctia & solstitia venti illi exoriantur, attamen non ob id innotescit, quare sol, siue brumales siue æstiuas conuer-

ſiones poſsidens, bruma & hyeme Subſolanos non Fauonios; ſolſtitio & æſtate Fauonios non Subſolanos gignat; cũ tamen vtroq; in loco exiſtens eandem habeat ad ortum & occaſum equinoctialem diſtantiam & proportionem. Pendet igitur hoc totum in noſtro tractu, & in loco oppoſito ex noctium longitudine, quarum beneficio materia his flatibus paratur; cum enim tria incolarum genera inueniantur, quatenus viciſsim totius orbis accolæ referri ſolent, Antæci, Antipodes, & Periæci, id eſt vt Macrobius interpretatur, qui obliqui, aduerſi, & tranſuerſi nobis ſtare videntur; ſintq; Antæci, qui diuerſum hemiſphærium incolunt, nimirum auſtrale alij, alij boreale, & propterea quanquam eandem longitudinem, eandemq; latitudinem habet, diuerſos tamen polos aſpiciunt; nam tantum his polus Arcticus attollitur, quantum illis Antarcticus: Antipodes, qui ab æquatore ſummaq; telluris celſitudine hinc inde pariter deiecti, mundi diametro diſsident, alternatimq; meridiem cum merinoctio commutantes aduerſa nobis vrgent veſtigia, & in parte ſphæræ quæ contra nos eſt morantur: Periæci qui ad polorum alterum pariter deiecti in circumferentia vnius circuli cœleſtis æquatori paralelli ſuum zenith habent in eodemq; meridiano, & eiuſdem paralelli diametro diſiunguntur: patet de Periæcis noſtris, quæ hic dicit Theophraſtus, non habere veritatem; nam etſi eò differant à nobis, quod media nox ſit illis, & exortus ſolis, quando nos meridiem habemus, & illius occaſum; attamen cum eodem temporis puncto atq; nos iiſdem tempeſtatibus anni fruantur, non poteſt ſol illis oriens, nobis occumbens, contrarios ſpiritus emittere; & ratio eſt, quoniam ambientis eandem qualitatem & temperiem, idemq; anni tempus ad vtraq; loca adducit, atq; ambobus occidit & oritur per æſtatem, aut per hyemem: proinde cum oritur, Subſolanos tantum de ortu & hyeme; cum occumbit, Fauonios tantum de occaſu, ac æſtate vtriſq; creabit; in hyberno autem occaſu, & in æſtiuo ortu nullos flatus commouebit, quoniam neutro tempore, neutris in locis materiam inueniat, è qua haurire valeat exhalationes. Nec rurſus de Antæ-

cis

cis veritatem habent, etsi hi nobiscum simul in contraria anni tempora incidant; quandoquidem, cum eadem longitudo nobis sit & illis, efficitur, vt eodem vtrisq; momento meridies & media nox appareant; quamuis ambobus sol tempore eodem non oriatur propter diuersitatem latitudinum, atq; ob aspectum ad diuersos polos, ac ob finientium varietatem. quamobrem relinquitur vt solis Antipodibus quadrare dicamus, quæ hic à Theophrasto, ab Aristotele prob. 54. differuntur: his enim contraria omnia cótingunt, hyems, æstas, dies, nox, ortus & occasus, habentq; eundem tantum horizontem sed opposita hemisphæria, vt qui nobis vestigia obuertunt; quamobrem rectè à Theophrasto, vt cum Præceptore consentiret, plaga illa, κάτω ἡμισφαίριον, appellatur, quò sanè aduerbio Antipodas apertissime designat, de quibus tantum, ad nos collatis, affirmare verum est potissimum, quod κάτω ἡμισφαίριον incolant; atq; iidem sunt quibus hyems existit, cum nos æstate fruimur, quibus sol occumbit, cum supra nostrum finientem idem emergit; quibus demum de ortu mane Subsolani spirant, cum eodem momento de occasu nobis Fauonij exoriuntur: cum enim nobis sit hyems quãdo nostris Antipodibus æstas est, fit, vt sol exoriens nobis, ex materia, quæ ob noctium longitudinem in nostro hemisphærio paratur, mane ad nos de ortu Subsolanos; Antipodibus occumbens, vespere ad eos de occasu Fauonios mittat. Rursus cum nobis æstas sit, quando Antipodibus est hyems, ex materia apud illos ob noctium longitudinem parata, nobis occumbens de occasu & vespere Fauonios, illis oriens de ortu & manè mittit Subsolanos: atq; hoc est quod prob. 54. inquit Aristoteles huiusmodi hæc ideo sic euenire, quoniam aer in nocte scilicet lõgissima maximè humidus redditus, postea à sole discernitur. Iam verò & hinc causa elucet, quare per æstatem de ortu ventos non habeamus, neq; de occasu per hyemem. Oriens enim nobis sol æstate aerem innenit in hemisphærio nostro sicciorem, vt citato loco inquit Aristoteles, sicuti & hyeme occumbens eundem apud Antipodas reperit eodem modo affectum; vnde cum materiam non inueniat nullos

flatus

flatus mouet. ob eandem causam vere & autumno flatus hi non mouentur, deest enim tum ad ortum tum ad occasum materia ex qua fiant, quia noctes sint breuiores. Iurè & meritò autem natura comparatū est, vt contrarijs anni temporibus contrarij venti spirent; nam sic optima parens natura habitationem nostram reddit commodiorem: temperatur enim excessus tempestatis à contrarijs venti qualitatibus: ac verè quidem dixit Aristoteles contrarijs temporibus contrarios ventos spirare; sunt nanq; tum situs ratione tum natura & qualitatibus contrarij & inter se & temporibus ipsis: quandoquidem æstate spirant occidentales & Fauonij, frigidi natura & humidi, cum æstas calida sit & sicca, qui è diametro Subsolanis opponuntur; hi rursus spirant in frigida & humida tempestate, cum natura sint calidi & sicci; item vere Aquilonij excitantur frigidi & sicci, autumno Austrini calidi & humidi, inter se quidem loco & qualitatibus contrarij & temporibus ipsis, quæ eis perflantur. Id tamen totum quod inquit Aristoteles, vt plurimum locum habere in natura censendum est, alioqui enim omnibus anni temporibus flatus omnes surgere possunt. Verum dubitatio oritur, quoniam dicit Theophrastus solem per æstatem Fauonios nobis gignere, quia occumbens aerem dimittat, id est vt toties monuimus exhalationes ipsas vna cum eo, atqui si id verum est, qua ratione poterit Subsolanos in opposito hemisphærio generare? ita enim & aerem & exhalationem non dimittet, sed potius secum ducet, & rapiet. igitur tam diuersi modi operandi causa inuestiganda est, nam si exhalationes & aerem relinquens, & dimittens ventos gignit, iam non poterit in oppositis regionibus Subsolanos, cum ad nos mittit Fauonios, excitare; si earum comes effici debet, nulla ratione ad nos mittere Fauonios poterit. Respondemus, non omnes exhalationes eodem modo ad solem se habere, vt ex prob. 34. & ex tex. 17. & 18. huius libelli larissimè probatur: nam aliquæ sunt, quæ solem comitem requirunt, aliæ, quæ illum ab earum societate arcent: vnde nonnullæ illius ortū mouentur augenturq;; nonnullæ verò sternuntur: hanc igitur differentiam

rentiam in exhalationibus quæ hos ventos gignunt cernere
licet; etenim illas, quæ nobis Fauonios efficiunt, sol re-
linquens mouet; quia æstas tunc apud nos viget, nostrum-
que hemisphærium illius ad nos propinquitate candet:
si enim ad regionis caliditatem solis calor adiungeretur,
exhalationes, alioqui natura etiam sua in caliditatem pro-
pensæ, nimio calore detinerentur, neq; enim abhorret à ra-
tione Fauonios de exhalationibus natura calidioribus, Sub-
solanos ex minus calidis vel frigidioribus generari: è con-
tra illarum comes iure efficitur, quæ Antipodibus nostris
afferunt Subsolanos, natura fortasse minore affectæ calidi-
tate: cum enim hyemem tunc illi habeant, sol exoriens il-
lius frigiditatem temperat, exhalationumq; calorem auget,
& adiuuat motionem: enimuerò quæ exhalationes solem
habent comitem, calidiores efficiuntur, quia diutius sub
sole commorantur; atq; hoc est, quod docet Aristoteles 2.
» Meteoron verbis illis θερμότερα δὲ τὰ ἀπὸ τῆς ἕω τῶν ἀπὸ
» δυσμῆς, ὅτι πλείω χρόνον ὑπὸ τὸν ἥλιον ἐστι τὰ ἀπ' ἀνατολῆς.
» τῶν δ' ἀπὸ δυσμῆς, ἀπολείπει τε θᾶττον καὶ πλησιάζει τῷ τό-
» πῳ ὀψιάιτερον. non enim de orientali plaga, vt aliquando
censuit Vicomercatus, sed de spiritibus ipsis sermonem ha-
bet; atq; eos, qui ab ortu veniunt, calidiores esse inquit,
quia diutius sint sub sole; non quidem terram orientalem
esse calidiorem, quia diuturniore tempore à sole aspiciatur:
exortiui enim flatus solent manè præsertim cõmoueri, quia
per hyemem excitantur, ex quo & sub solis lumine die to-
ta manent atq; donec spirant: Itaq; falsò adscribunt Præ-
ceptori interpretes, ipsum ob id calidiorem dicere exorti-
uam partem, quia diutius sub sole commoretur; vnde vt
hanc tueãtur sententiam, quam ei imponunt, illiusq; osten-
dant veritatem, mirificè se torquentes, operam & oleũ per-
dunt, vt demonstrent, quo modo verum sit orientales par-
tes longiori tempore sub sole esse: sunt quidẽ partes orien-
tales occiduis calidiores, sed non hanc ob causam, quæ
nulla est, ac veritati repugnat, verum, vt acutè Vicomerca-
tus quoq; 2. Meteoron com. 51. notauit situs terræ, & ma-
ris ratione, de qua rè nos plura in secunda parte de maris
æstu,

æſtu, quò loco de regionum temperamentis abundè diſputauimus. Verba autem philoſophi obſcura ita ego interpretor, vt ſit ſententia, ventos qui ab ortu veniunt calidiores idcircò eſſe, ijs, qui de occaſu oriuntur (ſemper enim vox hæc τὰ πνεύματα ſubaudienda eſt) quoniam, qui ab ortu ſpirant, longiorem moram ſub ſole trahunt: liquidem verbis illis, τὰ ἀπ' ἀνατολῆς, patet vocem τὰ πνεύματα, eſſe ſubaudiendam; eos verò qui de occaſu ſpirant, ideo eſſe frigidiores quoniam ſol citò eos relinquit, vtpotè qui tardins, & cum iam nobis occidit ad locum accedat, ad occaſum videlicet noſtrum ex quo dimanant; verbo enim illo ἀπολείπει, ſubaudiendum eſt, ὁ ἥλιος. tardiuſq; ad locum ſol accedit, quia veſpere occaſum petit; vnde flatus occidui ortum verſus flantes, ſtatim ac exorti ſunt, à ſole relinquuntur; cum alioqui exortiui, quia continuò mane videlicet locum ſol occupet, diutius ſub ſole, flantes ad occaſum, idemq; iter peragrantes commorantur, neq; ab eo derelinquuntur. quamobrem & verba ita transfero. »Caliores autem ſunt venti, qui veniunt ab exortiua parte, ijs, »qui de occaſu oriuntur, quoniam venti illi qui de ortu ma»nant longiore tempore ſub ſole ſunt, qui verò ab occaſu ſpi»rant, eos confeſtim ſol relinquit, tardius ad locum acce»dens vnde oriuntur. quo ſanè modo ſi locum hunc intelligamus, perſpicuum ſatis eſt non dicere Ariſtotelem partes orientales diutius ſub ſole eſſe, vt vnus Vicomercatus interpretatus eſt, quando id fieri nequeat, tanquam ſphæricæ figuræ terræ valdè repugnans, ocyor verò illuminatio quę ibi fit, tangiturq; à Vicomercato com. 51. non videatur eſſe ſufficiens cauſa, vt eius ratione dici poſsit partes noſtras orientales longiori tempore ſub ſole eſſe, cum id totum tempus horæ ferè quantitatem non excedat: Item perſpicuum eſt, non ſequi longiore tempore partes orientales ſub ſole eſſe oportere, quia venti ab ortu dimanantes diutius ſub ſole commorentur; quod tamen Alexander, Olympiodorus & Auerroes, ac Latini ferè omnes cenſuere. Atq; hæc impręſentia ſatis ſint, vt lectores animaduertant, nobiliſsimam, licet obſcuram, hoc in loco diſſolui quæſtionem.

Super Tex. 45.

ἔωθεν δ' ὥσπερ ἄλλό τι τῆς τεταγμένης.) Inter ea quæ de ventis philoſophi quærere conſueuere, quæſtio illa, qua de cauſa Auſtri ad Caniculæ ortum excitari ſoleant, ferè ſemper primas tenuit; vt proprerea Ariſtoteles non vno tantũ problemate, ſed duobus vndecimo videlicet & trigeſimo ſecundo eam duxerit eſſe ventillandam: vndecimum tamen problema huic contextui omnino reſpondet, cuius fide & autoritate, Theophraſti orationem corruptiſsimam nullo negocio reſtituimus. Primum igitur prò ἔωθεν legimus τόδε, & prò τῆς τεταγμένης, lego τεταγμένως, Ariſtoteles enim ſic καὶ τοῦτό ὥσπέρ τὶ ἄλλο γίνεται τεταγμένως. neq; aſſentior Turnebo, qui in emendationibus reſtituendum cenſuit τῶν τεταγμενῶν.

καὶ ἐπικοινηνότε.) Turnebus ſic ἐκείνην ὅτε, ſed omnino preter rem; emendandũ enim ex eodē prob. καὶ ἐπὶ κυνὶ τὸν νότον, enimuerò & quæſtio hæc proponitur tractanda à Theophraſto & lectionis huius, quę vera eſt, nō obſcura veſtigia in corruptiſsima voce remāſere. Excitari autē ad Caniculæ exortũ Auſtros, (pręterq; quod ſenſuũ fide id experiebatur Antiquitas) teſtatur Plinius lib. 2. ac multo antea idē Theophraſtus cap. 15. p. de Plāt. cauſis, quibus locis plurima habētur, de mutatione maxima, quā res ſublunares emergente hoc ſydere perpeti ſolent. Notandũq; eſt idem valere ἐπὶ κυνὶ, ac ſi diceret circa canis exortũ: intelligit enim Theophraſtus de ortu matutino apparente huius ſtellæ, quē Hippocrates Ariſtoteles & ipſemet Theophraſtus paſsim ἐπιτολὴν, Ptolemæus ἑώαν προανατολὴν φαινομένην. id eſt matutinũ præcedentem ortũ apparentem: Plinius emerſum appellat. & per Caniculam Syrium intelligo, non Procyonem.

αἴτιον δ' ὅτι θερμὰ τὰ κάτω.) Verba difficillima, & obſcuriſſima: dicā tamē breuiter, quod alio loco fuſius diſputaui, vt vis rationis huius innoteſcat. Intelligit mea ſentētia Theophraſtus per τὰ κάτω, partes noſtras meridianas, vt quę vergant ad polũ alterũ, quē 2. Meteoron Ariſt. τὸν κάτω πόλον dicit, nec tamen vlla eſt contradictio, ſi 2. Cœli Auſtralem polum ſuperiorem facit; nam eo loco orbem ſimpliciter

& ad se comparatum contemplatur; quo modo Australis polus superioris nomine dignari debet: secundo verò Meteoron nostri ratione; quo modo inferior debet appellari: terminatur autem pars nostra meridiana, vt superius ostendimus de Aristotelis sententia æstina ferè cõuersione: æstiuæ autem conuersionis nomine apud Aristotelem totus ille tractus, qui inter æquatorem est & Cancri circulum Alexandri autoritate com. 31. 2. Meteoron venit intelligendus, nam ex plaga illa potissimum exoriri nobis Austrum censuit Aristoteles. Igitur si inde ventum hunc flare concedamus, clarum erit, quo sensu dicere potuit Theophrastus hoc loco, sole remoto inferiores partes, scilicet partes nostras meridianas calidas esse: cum enim sole Leonem ingrediente, vt in Apologia ostendimus, Syrius Theophrasti ætate Athenis emergeret, sol verò Leone tenens iam longius à nobis abesse incipiat, & meridianis locis appropinquare, iure illa reddit calidiora, ac suo calore exhalationes gignens, materiam Austris suppeditat. Quod si etiã Austrum ab altero polo dimanare quis contendat; Theophrasti ratio nihilominus habebit locum. Sed tunc, & solis remotio à locis illis, non à polo nostro metienda est, & per τὰ κάτω nõ solum polum alterum & Antipodas nostros debemus intelligere, sed partes etiam terræ illius interiores: quandoquidem & subterranea loca τὰ κάτω ab Aristotele cap. 11. primi Meteoron dicuntur; quæ profectò, cum, vt ibidem docemur, ob antiperistasin frigidis temporibus calida sint, poterint per id tempus non exiguam exhalationum copiam generare; vt rectè dictum videatur à Theophrasto, sole ab Antipodibus nostris remoto partes terræ illorum interiores & subterraneas calidas esse: quod si intra terram, omni etiam seclusa antiperistasi, calida natura continetur, vt non semel in Meteoris idem monuit, hæc quidem ambientis frigiditate coaceruata, magis terram remoto etiam sole exhalare faciet, quæ causa mea sententia, ad seprentriones media hyeme gignit Aquilones.

ἴσυνεον δ' ἀνπολλοί.) Verba hæc, vt superius notauimus, mirificè obscurum illum Aristotelis locum 2. Meteoron decla-

declarant, quem nos in annot. 5. super tex. 14. explanare tentauimus, & nostram comprobant enarrationem. post Canem enim, sole Leonem percurrente, multi flarent Austri, nisi Etesiarum Aquilonarium flatus tunc excitati illos spiratione prohiberent: prohibent verò, quia maximè continui flantes, & è proximo loco sternunt Austros; quod significauit Aristoteles dicens Austrinos ventos flare donec Etesiæ spirent, Aquilonares videlicet: quibus indicauit cessare Austros, quia ab Etesijs prohibeantur. vnde subdit rationem, quoniam inde quàm maximè constanter ventus perflat, nempe flatus Etesiarum; constanter verò maximè, quia è loco nobis vicino prouenit. nam & propterea cap. 6. 2. Meteoron ab eodem dictum est Aquilonios flatus Aparctiam, Thrasciam, & Argestem in alios maximè incidere, eosq; sedare, quòd è quam proximo loco impetum nanciscantur, & principium motus: atqui ab occasu æstiuali, à quo spirat Argestes, Etesias Aquilonios exoriri constantem fuisse veterum sententiam in annot. 6. super tex. 13. ostendimus; itaq; meritò inquit hoc loco Theophrastus flatum eorum Austros sedare. Sed & illud etiam tanquam maxima dignum animaduersione non est prætereundum, Theophrastum hic non in occultam & peculiarem syderis proprietatem, non in emersum illius, sed in solis firmum & actionem, Austrorum ortum, tanquam in veram causam referre, quod etiam prob. 11. facit Aristoteles; quasi respectu Canis per accidens id esse velit: quam sententiã superius ad finem contextus 19. secutum esse Theophrastum, in annotatione 7. super locum illum planum fecimus.

Super Tex. 46.

τρίτον καὶ τὸ φέγγος·) Eadem quæstio tractatur prob. 9. & 13. ex quo loco pro καὶ τὸ, emendo ἴκετο, quod etiam vidit Turnebus. locusq; illustrissimus est, vtpotè qui agit de ventorum Aquilonarium periodo; de qua re sic idem autor libello de Ventorum signis; Aquilones impari, vt plurimum, desinunt dierum numero, Austri autem pari: habent enim spiritus omnes suam periodum, quia vitam ha-

bent quandam, vt ad finem 4. libri de Animalium ortu præclarè admodum notatum reliquit Aristoteles: quod nos vberrimè ac fusè in posteriore parte de Maris æstu demonstrauimus, vt ostenderemus periodicum motum fluxus & refluxus, non maiorem quàm reliqua naturæ opera admirationem continere, cum à spiritus temperatura pendeat. Iam verò ex hoc Theophrasti loco Homeri carmina quædam Odisseæ .τ. facilè intelliguntur, quibus ipse ita cecinit de Aquilone.

εἴλει γὰρ βορέης ἄνεμος μέγας. οὐδ' ἐπὶ γαίῃ
εἴα ἵστασθαι, χαλεπὸς δέ τις ὤρορε δαίμων.
τῇ τρεις καὶ δεκάτῃ δ' ἄνεμος πέσε, τοὶ δ' ἀνάγοντο. .i.

Flabat enim Boreæ ventus magnus, neq; in terra
Sinebat stare, sæuus autem aliquis mouerat Deus.

Ipsa aūt tertiadecima die vētus cecidit, illi aūt sluerūt. quoniam enim Aquilonios ventos numerus impar, ac dierū triades metiuntur; qui verò interdiù excitantur vehementiores spirant, ac longiorem periodum habent; idcircò diuinus poeta Aquilonem illum magnum vocat, vt diurnum eum fuisse ostendat, non nocturnum; & impari die, scilicet decimatertia, quattaq; dierū triade expleta, quinta ineunte tanquam longiorem periodum nactum, cecidisse scribit. Ex his autem omnibus facile intelligimus quo consilio Pli-
„ nius lib. 2. cap. 47. scripserit de Aquilonibus. Septentrio-
„ nes impari ferè desinunt numero: quæ obseruatio & in alijs
„ multis rerum naturæ partibus valet.

φανερὰ γὰρ.) Lego φανερὸν.

ὡς πολὺς ὁ κινηθεὶς ἀὴρ.) Deest particula negatiua οὐ, vt patet ex eodem problemate; legendum enim ὡς οὐ πολὺς, quod etiam Turnebus animaduertit.

τελευτᾷ δὲ πάντα ἐν τρισί.) Hæc eadem Aristoteles prob. 9. nec satis percipio, quo ductus spiritu Theodorus hanc orationis Aristotelicæ partem, quæ maior est argumenti propositio, & in qua tota vis sententiæ posita est, non tran-
„ stulerit: ita enim locum philosophi interpretatus est. at-
„ qui flatus minimi omnes intra triduum finiuntur: ergonec
„ is diuturnior esse debet. Aristoteles verò sic est locutus,

τελευτᾷ

„ τελευτᾷ δὲ ἐν τρισὶ πάντα· καὶ τὰ ἐλάχιστα ἐν τῇ πρώτῃ τριά-
„ δι. ὥστε καὶ τοῦτο τὸ πνεῦμα. Itaq; cum non omnes flatus minimi intra triduum, id est in prima dierum triade finiantur, sed illi tantum, quos numerus impar, ac dierum triades metiuntur; itē cū non omnes flatus, sed Boreales tantū numerus impar, ac dierum triades metiantur, nec omnes quidem periodicum hunc motum habeant, perspicuū est, verba illa τελευτᾷ δὲ ἐν τρισὶ πάντα, nec prætermitti posse, nec generaliter de omnibus ventis, sed de Aquilonijs tantū esse intelligenda: Aristotelicamq; orationem ita transferendam esse. Singulis autem ternis diebus omnes Aquilonij
„ flatus cessant, & minimi in prima triade, quare & hic quo-
„ que, videlicet nocturnus Aquilo, tanquam exiguus & minimus intra triduum cessabit; vt hinc latissimè pateat Aponensem in commentarijs longissimè à vera Aristotelis sententia recessisse, dum verba generaliter accipiens in numeri ternarij perfectionem, aut in dierū crisimorū naturā vim tationis retulit: de qua re nec verbum quidem hoc in loco, nec aliquid magis hac interpretatione ab eo alienum potuit excogitari.

Super Tex. 47.

, ὅτι δ' οὐκ αὐτὸ τοῦτο.) Theophrastus hoc loco de suo Præceptore optimè meritus, postremis verbis problematis, quod in græco exemplari decimum in ordine est, quæ nullo modo ad decimum problema pertinent, sed sunt pars alterius problematis, quæstionis propositionem restituit & caput ipsum; ac truncum, qui miserè iacebat sine suo capite emortuus, ad vitam reuocat. cum enim problem. 10. cuius etiam principium corruptissimum est, ac optimè à Theodoro in versione restitutum, quæreret Aristoteles, quare Aquilo crebrius quàm Auster spiret, luce meridiana clarius est, verba illa, ὅτι καὶ τῆς νυκτός, & c. nil ad dissoluendam quæstionem motam pertinere; quod quidem cum Theodorus vir summus animaduerteret, videns problemati deesse quæstionis propositionem, vt, quod iniustissimis vindicijs hæreditate expulsum fuit, in possessionem mitte-
„ ret, talem ipse excogitauit. Cur Auster minus hybernis
nocti-

„ noctibus, quàm diebus spirat? Verum homo doctissimus rem acu non tetigit: enimuerò quæ sequitur Aristotelis disputatio oppositum omnino concludit: si enim noctes calidiores Austrum versus sunt, quàm nostris locis dies, igitur & dies ibi multo calidiores; itaq; excedens dierum calor vel Austrum omnino prohiber spiratione, vel saltem non finit maiorem illum interdiù, quàm noctù spirare: atq; hoc est quod verbis illis Aristoteles & Theophrastus conclu-
„ dunt, ἀλλ' αἱ θερμότεραι ἡμέραι κωλύουσι μᾶλλον πνεῖν, ξη-
„ ραίνουσαι τὰς ὑγρότητας. idest, sed dies calidiores prohibent
„ Austrum magis flare, exsiccantes humiditatem. Sequitur enim ex his Austrum vel magis hybernis noctibus spirare, quàm diebus, vel æquè spirare; cuius tamen oppositum expressit Theodorus: nec deest huic sententiæ Plinius suffragator lib. 2. cap. 46. sic scribens ex veterum monimentis.
„ Auster noctù, Aquilo interdiù vehementius spirat. Dicendum igitur est, quærere ibi Aristotelem, quod hîc Theophrastus proponit inuestigandum; nempe quare nocturnus Auster tertia die non desinat, sicuti Aquilo nocturnus, sed longioris temporis spiret interuallo; ac, nocturnos, intelligas, hos ventos dici, quia noctu exoriantur: cuius rei causam adducit, quòd noctes ad Austrum calidiores sunt, quàm etiam dies Aquilonem versus; vnde & caloris copia exhalationes multæ excerni possunt: at venti diuturnitatem ab exhalationum copia dependere nemo non videt. causam autem cur noctes sint ad Austrum calidiores, quàm dies ad Aquilonem, solis propinquitatem Australi regioni ponit Theophrastus; loca enim ex quibus nobis Austri exoriuntur itineri solis sunt subiecta, ideoq;, vt Aristoteles sub finem capitis 5. 2. Meteoron docet, solem propinquum ha-
„ bent: vnde cùm simpliciter dicat Theophrastus, αἴτιον ὅτι
„ ἐγγὺς ὁ ἥλιος ἐστὶ τῷ πρὸς νότον χώρᾳ, fortasse ex Aristotelis oratione verba illa καὶ τῆς νυκτὸς, aut tanquàm adulterina eijcienda sunt, cum oratio congruentior videatur si legatur sine illis; aut ita sunt intelligenda, vt nocte etiam, & semper, non die tantum dicat Aristoteles solem esse Australi regioni propinquum; quia videlicet illi sit proximior

quàm

quàm Aquilonari.

τῆς πρὸς νότον χώρας.) Restituo τῇ πρὸς νότον χώρᾳ ex eodem problemate.

πρὸς ἄρκτον δὲ ἡμέραις κινούμενος ἀήρ.) Verba corruptissima & sic Aristotelis autoritate restituenda, ἡ πρὸς ἄρκτον ἐν ἡμέραις, ὥστε πολύς, &c.

κωλύουσι πνεῖν.) Fortasse legendum κωλύουσι μᾶλλον πνεῖν; nam interdiù etiam spirat Auster, licet minor, aut non saltem maior quàm noctu; vnde temperanda est sententia aduerbio μᾶλλον.

Super Tex. 48.

ταχὺ δὲ κἀκείνου τοῦ βορέου * ὅτε.) Stellatus locus supplendus est hac voce, πνοή, ni hallucinor.

ἀθρόως ἡ ἔγχυσις.) Lego ἔκχυσις ex problemate 13.

ὥσπερ τῶν ἐκνεφίων * ταχεῖα.) Patet ex prob. 13. sententiam integram esse ideoq; falsò asterisco notatam.

ἀσθενοῦς ἀρχῆς τὸ μέγεθος.) Lego τοῦ μεγέθους.

ἀεὶ δ' ὡς ἐπίπαν λαῦρος.) Turnebus legit λάβρος non malè: tamen legi fortasse posset λαπαρός. flatus enim illi qui Ecnephiarum more confertim effunduntur, licet breui tempore spirent, tamen ingentes in principio flare solent: & subaudiendum, ἄνεμος, vel tale quid.

Super Tex. 49.

μετὰ δὲ χιόνα καὶ πάχνην.) Desunt hæc νότος πνεῖ, vt patet ex prob. 3. quo locò eadem quæstio habetur; vnde legendum μετὰ δὲ χιόνα καὶ πάχνην νότος πνεῖ ὅθεν, &c.

φιλεῖ δὲ νότος.) Lego πνεῖ δὲ νότος.

τὸ αὐτὸ τοῦτο, ὅτι μετὰ τὸν ὑετόν.) Lego δι' αὐτὸ τοῦτο καὶ μετὰ τὸν ὑετόν, ita enim exigit sensus ratio.

καὶ τὰς τοιαύτας τινάς, ὡς ἐπὶ τὸ παχύ.) Deest vox χειμερινάς vt patet ex prob. 3. & pro παχὺ lego πολύ. Estq; contextus hic cum problemate tertio diligenter conferendus: neq; enim dubitatione caret quo modo pluuiarum, grandinis, niuis ventorumq; ortum, dicere potuerint Aristoteles & Theophrastus concoctione quadam effici; de qua

re nos

re nos alibi abundè. interea illud maximè notandum est, quod tradunt concoctione facta mutationem in contrarium fieri; sunt enim hæc plurimi momenti ad temporum mutationes prænidendas. Inquit autem Theophrastus vt plùrimum huiusmodi hæc euenire, quoniam natura interdum à scopo atq; ab eo quod solet, aberrat; quod enim, vt plùrimum fit, id naturà fieri, ipse edoctus à Præceptore statuit.

Super Tex. 50.

ὥσπερ τοῦ ἀρίστου.) Locus hic corruptus est: neq; ex eo licuit mihi sensum eruere, qui satisfaceret, ideo asterisco notaui illum. Diuino tamen legendum esse prò ὥσπερ ἐστι. Turnebus ὡς περὶ τοῦ. De vtraq; lectione prò suo quisq; sensu iudicet.

καὶ λιβὸς. αἰσχρὸν δὲ μάλιστα.) Turnebus sic ᾗ χρῶνται. ego sic καὶ λιβὸς χρῶνται μάλιστα; vt sensus sit, quemadmodum expressi in versione.

περὶ κνίδον καὶ ῥόδον.) Legendum potius arbitror περὶ κνίδον γὰρ καὶ ῥόδον.

ταχὺ δὲ νεφέλας.) Legerem ταχὺ μὲν. Qua verò ratione Africus possit contrariarum affectionum in locis illis esse causa, non est facile perspicere. Theophrastus inquit ipsum modo serenum modo pluuium illic esse, quia ἀπὸ τοιαύτης ἀρχῆς, scilicet à consimili principio spiret, quod scilicet potestatem habeat contrarias affectiones producendi, idq; totum puto ego à loci situ, ex quo oritur illis Africus, & ad quem spirat prouenire.

Super Tex. 51.

ἐὰν μένῃ τινὰ χρόνον.) Lego καὶ μένειν τινὰ χρόνον, vt respondeant se mutuò τὸ πνεῖν, & τὸ μένειν.

τάχα δ' οὐδὲ τὸ ὅλον ἄτοπον.) Lego οὐδὲ τὸ ὅλως ἄτοπον.

εἰς τοὺς ἐφεξῆς πάλιν μεταβολήν.) Lego ἐφεξῆς καὶ πάλιν. sunt enim duo diuersa περίστασις, & μεταβολή, vt infra dicam. mox cum Turnebo lego μεταβολή.

ἐπεὶ περιϊσταμένων.) Lego ἢ περιϊσταμένων. prò ἢ enim irrepsisse εἰ, particula, ἢ, sequens satis probat.

ἢ ἐκ-

ἢ ἐκπνευσάντων τελέως.) id eſt eorum, qui mutantur in contrarium: mutari enim in contrarium, appellat hîc elegantet autor, ἐκπνεῖν τελέως, fortaſſe quoniam non poteſt flatus mutari in contrarium, niſi penitus ipſe ſternatur, & ceſſet; contrarij enim venti ſimul ſpirare nequeunt, vt diuinus vir 2. Meteoron probat.

εὖρος εἰς τοὺς ἐφεξῆς.) Lego prò εὖρος, ἐστ.

ὁ ἀρκτικὰ τὶς ἦν.) Turnebus optimè ἀορισία τὶς ἦν.

οὕτω πέφηνεν.) Legerem potius πέφυκεν.

ὥσπερ καὶ τὰς ἀπογαίας ὑπάρχειν.) Placet magis πνεῖν, prò ὑπάρχειν. nec probo, quòd pro ὥσπερ legamus ὃ καὶ περὶ τὰς, vt viſum eſt Turnebo; ſubaudiendúq; συμβαίνει vel tale quid.

αὕτη δὲ πολλαχοῦ.) Si prò πολλαχοῦ legeremus πολλάκις, ita vt non locorum frequentiam, ſed temporis iterationem reſpiceret oratio; arbitrarer ego omnino his poſtremis verbis à Theophraſto de diurna ventorum mutatione & περιστάσει ſermonem haberi, vt abſolutus eſſet hic ſermo de ventorũ mutationibus omneſq; ſpecies comprehenderet. negare tamen non debemus eam aliquo pacto attingi, etiamſi πολλαχοῦ legamus. Vt autem quod dicimus magis eluceat, & huic loco alioqui obſcuriſsimo prò virili conſulamus; nonnulla de ventorum mutatione dicenda ſunt nobis. Theophraſtus in priori parte huius contextus duplicem facit ventorum mutationem, atq; alteram περίστασιν εἰς τοὺς ἐφεξῆς appellat, id eſt, vt verbum verbo reddamus, gyrationem in eos flatus qui deinceps ſunt, & ſe habent conſequenter: alteram μεταβολὴν εἰς τοὺς ἐναντίους, id eſt, mutationem in ventos contrarios. De priori locutus 2 Meteoron cap. 6. Ariſtoteles ſic eam fieri docuit. περιστάσεις
„ autem fiunt, illis, in eos qui hærent pro ſolis motione de-
„ ſinentibus, propterea quòd illud maxime moueatur, quod
„ cum principio cohæret. Ventorum autem principium ita,
„ vt ſol mouetur. quò loco illorum mihi placet opinio, qui dicunt Ariſtotelem cauſam tradere eius quod dixerat ſuperius, contrarijs temporibus contrarios ventos flare: videlicet cum ſol brumales tenet verſiones exortiuos, cum æquinoctium vernale poſsidet Occiduos & c. videmus enim prò

ſolis mutatione & tranſitu ventos mutari; atq; in conſequentes in eoſq; qui hærent ſe vertere; nam poſt exortiuos ſequuntur Aquilonij, poſt hos occidui, poſt quos ſunt Auſtrini.. at hos omnes, ſol percurtens circulum obliquum ordinatè mouet & conſequenter; quandoquidem cum brumam tenet exortiuos, in verno æquinoctio Aquilonios, qui ſequuntur, in Cancro occiduos, qui etiam ſunt proximi, demum in æquinoctio autumnali Auſtrinos excitat, qui poſtremum in ordine locum habent; vt verè dixerit Ariſtoteles ventorum principium ita moueri, vt ſol mouetur. Mutationem hanc tetigit philoſophus prob. 31. & 32. ſcribens περίςασιν fieri, vel in dexteros flatus, vel in contrarios; quo loco dexteros ventos vocat, exempli gratia, orientalium ratione Aquilonios; horum reſpectu occiduos, nam & locum, ex quo ſpirat Fauonius, ad Aquilonem comparatum, ad dexteram eſſe ſcribit. Item alteram tangit mutationem quæ fit in contrarium, de qua citato 2. Meteoron loco nullam habuit mentionem; quod animaduertens Alexander com. 36. & locum hunc fortaſſe reſpiciens, notauit ex Theophraſto non ſolum in dexteros & ſequentes flatus fieri mutationem, quemadmodum ibi docet Ariſtoteles, ſed etiam in contrarios: & reddidit cauſam, quoniam, cum nubes in contrarium expulſæ fuerint, ex his rurſus contrarius flatus interdum excitatur; ex nubibus enim aliquando ventos gigni tex. 44. huius libelli teſtatur Theophraſtus ſcribens, ſolem, cũ æſtate occidit nubes relinquere, ex quibus Fauonij gignuntur: ac de vtraq; ventorum mutatione locus extat Theophraſti libello de ventorũ ſignis illuſtris, vbi Præceptorem ipſe imitatus, mutationem in eos qui hęrent in dexteram, quemadmodum & ſolis lationem, fieri
„ ſcribit; atq; ſic ſe habet Theophraſti oratio. Porrò autem
„ ventorum ſtatus ita ſe habent; vt in diagrammate deſcripti
„ ſunt; ex ventis autem Septentrio Thraſcias & Argeſtes in
„ alios maxime incidunt, eoſq; ſedant; quod ſi non viciſsim
„ ſe comprimant, & diſſoluantur, ſed ex ſemetipſis contabe-
„ ſcant & intereant; mutantur dextrorſum prò ſolis latione,
„ in eos qui hærent. hæc ille, qui rectiſsimè prò ſolis latione mu-

ne mutari in dexteram flatus scribit, quoniam sol quadrantem hybernum obliqui circuli perambulaus orientales, vt diximus, mouet, vernum, Aquilonios, æstiuum, Occiduos, autumnalem Austrinos: vt iam perspicuum sit quid per ventorum περίςασιν veniat intelligendum. Altera mutatio, quam hic Theophrastus μεταβολὴν, Aristoteles tamen prob. 31. sub περίςασει comprehendit, fit cum ventus contrarius iu contrarium mutatur: exempli gratia si Aquilone flante surgit Auster, cessat Aquilo; de qua etiam prob. 32. pulchrè Aristoteles disseruit: ambas hasce mutationes Plinius lib 2. cap. 47. his verbis, licet fortasse corruptis,
» attigisse visus est; Omnes venti vicibus suis spirant maio-
» re ex parte, ant vt contrarius desinenti iucipiat. Cum pro-
» ximi cadentibus surgunt, à læuo latere in dexterum (vt sol)
» ambiunt. Verum hic dubitatio ingens oritur, Aristoteles enim prob. 55. quærens, cur Fauonius ventorum omnium sit suauissimus, & maximè temperatus, alium omnino ordinem assignat περιςάσεως, & oppositum; siquidem inqnit Subsolanos mouere Austros, hos verò Fauonius, Fauonios demum septentriones, atq; illic periodum flatuum terminare; philosophiq; oratio ita se habet ex Theodori conuer-
» sione. Hic enim (scilicet Subsolanus) monet quidem cum
» spirat flatus, qui Austrnm versus spectant: eo nanq; transi-
» re solitus est, sed misceri his nescit. At verò Fauonius &
» mouetnr ab Austris & spirans ipse agitat Aquilones. istuc
» enim vltimus spirandi circuitus ducitur & c. At contrariū prorsus superioribus locis positum est, nempe post Subsolauos fieri in dexterum latus non in læuum mutationem prò motus solis ratione, & Aquilonios excitari flatus non Austrinos. Dubitatio maxima, contradictio manifesta, quam Ludouicus Buccaferra summus philosophus 2. Meteoron lect. 39. contuens & proferens in medium, apertè
» his verbis fassus est se illius solutionem ignorare; De quar-
» to, inquit, ignoro, mihi videtur qnòd magis permntantur
» venti Orientales in Septentrionales, & Septentrionales in
» Occidentales, & Occidentales in Meridionales, & Meridio-
» nales iterum in Orientales quàm alio modo, ideo cogitate

» etiam vos. Et paulo ſupra ita propoſuerat dubitationem.
» Quarto difficilius, quia 33. prob. ſect. 26. loquens de per-
» mutatione ventorum dixit, quòd iſta permutatio eſt quia
» Orientales in Auſtrales & c. nec miretur aliquis, Buccaferram prob. 33. adducere, nam eadem quæ in prob. 55. ibi leguntur. Sed tanti viri autoritas non adeo terruit ingenij noſtri tenuitatem, quin aliqua auſus fuerit ad tuendū Ariſtotelem excogitare. Dicimus igitur nos, ſolis motum dupliciter conſiderari tum à philoſophis tum ab aſtrologis: nam vel proprius illius motus attenditur, qui ab eo iuxta ſignorum ſeriem ab occaſu verſus ortum efficitur, vel communis cum reliquis ſideribus, quo in diurna Cœli conuerſione quotidie rapitur, nobiſq; diei ac noctis eſt autor. primo motu annum nobis ſol deſcribit, anniq; tempora varia efficit: altero, quo à primo mobili in circulum fertur, νυχθήμερον, id eſt diem totam naturalem adducit, ac varias illius partes; vt non minus verè quàm eleganter Medici, Philoſophi & Aſtrologi adnotauerint, ſolem ſuo curſu in die tota naturali partes quatuor cauſſare, anni temporibus quatuor proportione reſpondentes: de qua rè nos in Annot. ſuper Opuſculum de Pluuiarum ſignis de eorundem arcanis plura digeſsimus: id totum vt magis eluceat, ex aſtrologicis monumentis primo repetendū eſt, Cælum vniuerſum, in quacunq; habitatione, officio meridiani circuli in duas æquas partes, quarum altera aſcendens, altera deſcendens dicitur, perpetuo dirimi; deinde has medietates horizontem ſeu circulum finitorem ea ratione partiri, vt alteram partem ſupra hemiſphærium noſtrum eminentem, alteram infra terram latentem relinquat; ſubindeq; quatuor quadrantes exeant, & anguli horizontis quatuor, eorum principia; ſecundo accipiendum eſt, ex his quatuor angulis quatuor cardinales ventos exoriri, nempe Auſtros, Aquilones, Fauonios, & Subſolanos; quod inter cæteros princeps aſtrologorum Ptolemeus primo de Aſtrorum iudicijs cap. 9. eleganter his verbis notatum reliquit, cuius totam diſputationem, tanquam ad hanc rem, quam tractamus, intelligendam, maximè neceſſariam huc appingendam duxi.

» Similiter autem (inquit vt ego interpretor) & quatuor lo-
» corum angulorumq; horizontis, ex quibus initia ducunt
» venti per regionem vniuersam flantes, Angulus orientalis
» plurimum habet siccitatis, eo quòd sole eum occupante,
» quæ per noctem contrhaxere humiditatem, primum exsic-
» cari incipiant: & venti qui ex eo spirant, quos communiter
» Subsolanos vocant, vaporum humorisq; sunt expertes, &
» desiccantes. Angulus verò meridianus calidissimus est
» propter flammationes mediationum cœli, & quoniam hu-
» iusmodi mediationes, habita ratione situs & inclinationis
» nostræ habitabilis, magis ad meridiem declinant, venti qui
» ab eo angulo oriuntur, quos communiter Notos dicimus,
» calidi sunt & rarifici. Angulus autem occidentalis humi-
» dus est, eo quòd sole eum percurrente, quæ per diem erant
» exsiccata humescere primum incipiant, ac venti qui inde
» feruntur, communiter Fauonij dicti, humidi sunt, & quo-
» rum flatu omnia reuiuiscunt. Angulus septentrionalis fri-
» gidissimus est, propterea quòd iuxta habitabilis nostræ in-
» clinationem & situm, causæ caloris, nempè solis in cœlo
» nostro mediationes, plurimum distant, cum tunc ipse sol
» oppositum locum teneat, ac venti qui inde flant, Aquilones
» appellati, frigidi sunt & constipantes. Hæc ille, ex cuius
sententia satis est perspicuum, accedente sensus fide, ex quatuor horizontis angulis & locis, quatuor iam dictos vẽtos exoriri. Tertio ac postremò accipiendum est, quod neminem latet, solem diurnæ conuersionis motù quotidie ad hos quatuor angulos & Cœli cardines accedere. His ita constitutis, ex peripatetica schola rursus supponendum est, solem, non solum ratione proprij motus, quem totius anni spatio efficit, varios ventos producere, sed etiam lationis diurnę ratione hoc idem præstare; vt pro vario, ad hos angulos, quos quotidie occupat & peragrat, accessu, & ab eis recessu, varios quoq; flatus commoueat: quod multis in locis videtur indicasse Aristoteles, sed præsertim prob. 33. vbi inquit, solem, cum oritur maximè & occumbit, flatus producere, & qui sole exoriente spirant, Subsolanos, qui eo occidente surgunt, Fauonios appellari: quod etiam idẽ

prob.

prob. 35. confirmauit. Secundo ex eadem est supponendū, solis actionem ad sequentia transferri, nam vt alibi probatum est, non cum est in Arietis puncto, & vernali æquinoctio, Subsolanos gignit; iam enim eos genuit, quin, & quod amplius est tunc flatus illi cessant; sed cum per quadrantē Zodiaci à verno æquinoctio distat & brumalem lustrat conuersionem; Tertio supponendum est quem modum agendi in proprio motu seruat sol, eundem & in diurno retinere; nam cum in centro est orientalis cardinis Subsolanos non gignit, iam enim cum per quadrantem abesset, nimirum in subterranei anguli initio præparare materiam ad illorum ortum cæpit, & rursus cum medium cœli occupat Austros non producit, sed tunc ad Fauonios commouendos se præparat, quos, cum occidere proximus est, iam ad nos mittit: de qua rè, nè quis credat me hæc fingere, ipsummet philosophum sic prob. 33. differentem audire oportet. „ Quoties igitur (inquit) sol in exortu est, procul à Fauonio abest: hic enim ab occasu se promit: & cum iam occidere proximus est, aer omnino extennatus, discretusq; fluit: at dum confecto meridie pergit ad post meridianum, tunc ad aerem tepefaciendum discernendumq; maximè se habet moderatus. hæc ille, ex quibus, qui non videt apertissimè haberi solem, cum pergit à meridie ad occasum, Fauonios gignere, ac materiam parare, ita vt cum iam ad finitorem accesserit occidentalem opera solis tota absoluta sit, nihil videt. Itaq; non erit dubitandum, cum per quadrantem sol abest à loco vnde spiritus oritur, ad illius agere generationem ipsum incipere, nam & hoc est quod prob. 54. habetur, solem mouere & secernere aerem ac in spiritum vertere, antequam oriatur, ideoq; nil minus auras ante illius exortum spirare. His autem in hunc modum explicatis, facile erit omnem labefactare dubitationem, & contradictionem tollere; quoniam enim duplex est solis motus, & περιστάσεις ventorum prò motus illius ratione efficitur, duplex quoq; περίστασις necessario erit; alia ad proprium & annuum solis motum pertinens, quæ menstruas ventorum periodos, & per anni tempora mutationes continebit; alia à diurno

solis

solis motu pendens, quæ diurnos ventorum exortus & mutationes explicabit: atq; harum περιστάσεων motus, contrarijs sol itineribus perageret, sicuti & cum ad motum primi mobilis rapitur, contrarium ab eo describit iter, quod proprio motu conficit, ex quo & contraria flatuum mutatio necessario efficitur. Enimuerò sicuti in annua περιστάσει sol per Zodiaci quadrantes perambulans quatuor primarios ventos, atq; vnà ipsorum asseclas mouet, & tempore hyberno Subsolanos, quoniam à brumali conuersione ad vernum æquinoctium proficiscitur; quos vertit in Aquilonios, quia ad Aquilonem, vernum quadrantem lustrans, tunc vadit; deinde eos relinquens, cum æstiuam occupat conuersionem Fauonios mouet; demumq; autumnale æquinoctiū tenens, Austrinos excitat, donec hyemalem assecutus versionem, rursus Subsolanos mouens, ab eodem in idem redeat. ita & contrario incedens itinere in diurna περιστάσει, cum à mediæ noctis angulo ad finitorem orientalem ascendit Subsolanos gignit, quos postmodum in Austrinos mutat & meridianos, quoniam meridiem versus rapitur; vt enim acutè superioribus verbis monebat Ptolemæus, sol cum in medio cœlo est, magis ad meridiem declinat, quàm cū in quocunq; alio loco circuli, quem diurno motu describit reperiatur, vt merito tunc debeat Austros commouere: deinde cum ad occiduum cardinem descendit Fauonios, cū indè profectus imi cœli medium perit, Aquilonios oriri facit. Cum igitur de hac diurna περιστάσει ac mutatione sermo sit prob. 33. & 55. nulla est contradictio, dubitatio nulla: de annua nanq; secundo Meteoron sermo habetur; atq; de hac eadem diurna mutatione verba postrema Theophrasti loqui arbitramur, quibus inquit diarium esse aliquando ordinem mutationis ventorum: quod si tàm in annua, quàm in diurna mutatione, eam quoq; mutationem locum habere intelligamus, qua venti in contrarios transeunt, iam vtranq; hanc περίστασιν duplicem esse statuendum erit; atq; dicendum, in diurna quidem, mutationem fieri vel in eos qui herent, in læuum latus, ex Orientalibus, scilicet in Austrinos; vel in contrarios: in annua verò fieri

muta-

mutationem, aut in eos qui hærent ad latus dexterum, aut in contrarios: atq; hæc breuiter dicta sint, vt Theophrasti mens in hoc obscuro loco percipiatur, quæ fusius alibi disputabuntur.

Super Tex. 52.

οὐ τροπαία τὸ ἀντιπνέον.) Ex hoc loco quę aduersus Theodorum, & Scaligerum superius in annot. prima super tex. 27. diximus de Tropæis flatibus, mirificè comprobantur; cum Tropæos Theophrastus inter flatus pelagicos hic enumeret, vt nulla ratione potuerit vox hæc, τροπαῖα, in illo Theophrasti loco solstitiales ventos significare.

ἔωθεν μὲν γὰρ Λύριs.) ἴρις forsitam; cum non inueniam apud Strabonem, & Ptolemæum, fluuium Λύριν appellatum, non solum per Pamphiliam transire, sed nec etiam per alias proximas regiones. Nisi fortasse legendum sit potius λιρῦμος, qui, vt Strabo lib. 14. refert, fluuius est Lyciæ regionis, quæ Pamphiliam ab occasu terminat, vt non dissentiat à ratione, exorientem, inter occasum, & septentrionem, flatum, & ab eo fluuio nomen sortiri, & in illum commodè incidere Eurum posse.

κύματος τε μεγέτους.) Lego μεγέθος.

ὅπου τοιαύτη σύγκρουσις.) Quid sit σύγκρουσις, habes apud Ioannem Grammaticum 2. de ortu, & interitu tex. 58.

ὥσπερ ὅταν ἀντιπνεόντων.) Aristoteles 2. Meteoron scribit contrarios ventos eodem tempore flare non posse; in-
„ quit enim, Manifestum est quod simul contrarij venti flare
„ nequeunt, per diametrum enim opponuntur, quamobrem
„ alter violentiam passus cessabit. Contrarium tamen videtur hic Theophrastus affirmare: sed nulla est contradictio, vt enim doctè explicat ibi Olympiodorus, non ita sunt verba Aristotelis accipienda, quasi nullo modo interdum spirare queant; id enim facere eos posse Helice & Buris in terremotu Achaiæ mersæ senserunt; Aquilonis & Austri flatibus contrarijs inundatione excitata: sed ad breue temporis spatium simul spirare eos posse concedendum est, nec multo post alterum superato altero perflare; atq; hoc est quod inquit Aristoteles, alterum violentiam passum cessare.

Quod

Quod si ita res est, iniuria recentiores nonnulli Musæum antiquissimum pariter & elegantissimum Poetam calumniantur, quòd in libello de Heroue & Leandro, contrarios ventos simul flare scripserit, cuius hæc sunt carmina.

μαρναμένων ἀνέμων, ζεφύρῳ δ' ἀντέπνεεν εὖρος
καὶ νότος ἐς βορέην μεγάλας ἐφίηκεν ἀπειλάς. idest
Pugnantibus ventis, Zephyro contra spirabat Eurus
Et Notus in Boream magnas immisit minas.

Quin potius maximè laudandus est Musæus, qui, sæuissimam maris tempestatem fingere volens, eam contrarijs flatibus, tanquam optimus philosophus & rerum naturæ scientissimus, scripsit excitari. Theophrastus enim, vt videmus, testatur hoc loco, in Pamphilico sinu fluctus cooriri ingentes, cum Eurus & Auster aduersus Irim pugnant: atq; simile est quod 5. Odysseæ apud Homerum legimus, quo loco magnam illam tempestatem, quam Vlysses perpessus fuit, ob ventorum flatum aduersum genitam cecinit Poeta: ac Maronianum illud primo Georgicon.

Sæpe ego, quum flauis messorem induceret aruis
Agricola, & fragili iam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi.

satis ostendit, Virgilium quoq; hanc ventorum pugnam agnouisse; tum enim verè præliantur venti, cum aduersi spirant.

μήπω τελέως ἐκπεπλευκόσι.) Lego cum Turnebo ἐκπεπνευκόσι.

Super Tex. 53.

χειμεριώτερος γὰρ οὗτος.) Aristoteles primo Meteoron cap. 11. tradit Aquilonem sua natura χειμῶνα adducere, & prob. 31. inquit eum esse χειμέριον ventum; Theophrastus hic hyemalem magis illum appellat; ex quibus omnibus latissimè patet, qua ratione idem dixerit Aristoteles septimo Politicorú, vrbes ad Aquilonem collocatas εὐχειμέρους esse.

καὶ εὐθύ.) Lego εὐθὺς.

τὴν προσενεχθεῖσαν πῆξιν.) τὴν προσενεχθεῖσαν, scilicet ὕλην, nam & paulo supra dixerat alterum flatum alteri materiam importare. lego autem prò πῆξιν, ἔπηξεν; etenim de Au-

ſtro mox inquit ἐξύγρανε.

ἐνιαχοῦ δὲ καὶ τοὺς νιφετούς.) Libello de Mundo νιφετὸς definitur, nix impetu & confertim decidens. Ad locũ autem hunc intelligendũ ea faciunt mea ſententia, quæ primo Meteoron cap. 11. ſcribit Ariſtoteles, nempè rorem vbiq; Auſtrinis flatibus non Aquilonijs generari præterquã in Ponto; ibi enim contrà, Aquilonijs rorem gigni non Auſtrinis. huius rei cauſam eſſe ipſe dicit, quoniam Auſter in Ponto non tantam affert temperiem, vt vapor producatur, ex quo ros gignitur: Aquilo vero frigore vndequaq; circunſtans calorem ad terræ interiora trudit, qui coacervatus, facit vt terra vaporem emittat: addunt Olympiodorus & Vicomercatus Auſtrinis temporibus pruinam in Ponto gigni, quod tamen neq; dicit Ariſtoteles, neq; congruit cum ratione; quandoquidem ipſe philoſophus negare videtur vaporem aliquem ibi Auſtrinis diebus oriri poſſe, dicens, nõ eam Auſtrum afferre in Ponto temperiem, vt vapor generetur; & ſi vapor non conſcendat, certum eſt neq; rorem, neq; pruinam gigni poſſe: ſimile igitur eſt quod de Auſtro narrat hoc in loco Theophraſtus, videlicet in Ponto & Helleſponto ventum hunc niues gignere, vbi tamen Aquilo adeò frigidus flauerit, vt materiam cogens, ob frigoris vehementiam eam deſcendere non permittat; tunc enim ſuperueniens Auſter ac frigus remittens cauſa eſt, vt niues decidant: quotidie enim obſeruatur in media hyeme, ſi frigus ingens vigeat, non antea decidere niues, quàm illud paululum remittatur.

τὸ πλοῖον.) Legendum τὸ πλεῖον.

καὶ ἀντικόψεις.) Turnebus ἀντικόψεις.

Super Tex. 54.

τῶν πνευμάτων ἀκρασίαι.) Hic eſt locus ille, quem Alexander ex hoc libello in medium profert 2. Meteoron com. „ 24. inquit enim καὶ θεόφραστος δὲ ἐν τῷ περὶ ἀνέμων περὶ „ τούτων οὕτω λέγει. id eſt & Theophraſtus quidem in opu„ ſculo de ventis ita de his ſcribit. verbaq; hic corrupta, ibi omnino integra habentur. Eadem etiam quæſtio iiſdem planè ver-

nè verbis diſputatur prob. 12. Emendo igitur primum Alexandri autoritate prò ἀκρασίαι, ἀκρισίαι.

οὔτ' ἔνι μεταβολαῖς.) Ex eodem loco emendo ὅτι ἐν ταῖς. πέφυκεν ἀοριστόν.) Item ἀυριστεῖν.

διαταρίζειν * διακα αὐτόθι δὴ χαλεπὸν γίνεται.) Deniq; locum hunc mendoſiſsimum ita reſtituo, διὰ τὸ ἐπαμφοτερίζειν ἐξ ἑκατέρας. ὅθεν δὴ καὶ χαλεπὸς λέγεται, &c. ſiquidem ita loquitur apud Alexandrum Theophraſtus. Quoniam autẽ Franciſcus Vicomercatus vir eruditiſsimus reprehendit Theophraſtum & Alexandrum 2. Meteoron com. 42. inquiens, eos non recte Orionis ortus & occaſus tempora intellexiſſe, cum falſum ſit Orionem initio Oporæ exoriri, occumbere hyemis principio; nos verò rem hanc totam in Apologia noſtra abundè ventillauimus; idcircò impreſentia quæſtione hac ſuperſedentes, quæ longiorem requirit indagationem, quàm ſcholij natura patiatur, ad locum illum lectorem remittimus.

Super Tex. 55.

ἢ ταῦτα μὲν οὖν.) Deleo particulam ἢ, videtur enim in contextu abundare.

τὰ δὲ * εἰς τὰς ἡμετέρας.) Fortaſſe vel ſubaudiendum, vel ſupplendum verbum ἀναχθήσεται, quo mox vtitur infra Theophraſtus tex. 57.

διον ἕτερον.) Emendandum, διον ὅτι βαρύτερον, ex prob. 24. primæ ſectionis & ex prob. 42. ſect. 26. quibus, in locis eadem quæſtio habetur. grauiora enim noſtra corpora reddit Auſter cum ſpirat vt etiam Aphor. 5. & 17. Tertij ſecti docet Hippocrates, & abundè Galenus in Commentarijs. atq; hinc liquet, qua ratione Horatius lib. 2. Satyr. 6. ita de Auſtro cecinit

Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auſter
Autumnuſq; grauis; Libitinæ quæſtus acerbæ.

plumbeum enim fortaſſe vocat ventum hunc, quoniam eo flante animalia ſentiunt ſua corpora ſolito reddi grauiora, & ponderoſiora, vt propter pondus ferè viribus ſuis deferre ipſum nequeant; quemadmodum de Coturnicibus cap.

12. 8. de Historia animalium notat Aristoteles, quo loco grauem Austrum & ponderosum ab hoc effectu eleganter vocat: vt rectè hoc exprimere volens Horatius plumbeum illum vocitauerit; quasi plumbea, & ponderosissima reddat corpora animalium: est enim plumbum ferro etiam grauius vt tex. 85. 4. Physicorum inquit Aristoteles, licet rarum magis: habet enim plus de terrestri, vt acutè ibi notat D. Thomas, etsi quod est aquæ in eo, imperfectius sit congelatum & digestum, quod rarius ferro illud reddit: Lambinus vocem, plumbeus, interpretatur, insalubris & pestilens, quæ interpretatio Hippocratis autoritate confirmari potest, scribētis in primo de Morbis Muliebribus de pituitosa Muliere, in ventre habente. γίνεται δὲ καὶ μολίβδῳ τὴν χροιὴν ἴκελος, id est fit etiam colore plumbo similis; nam qui morbi ex humida & pituitosa materia generantur, ita corpora reddunt plerunq; colorata; at proprium esse Austri humidam materiā liquare in corpore & commouere, Theophrastus hic, Aristoteles citato prob. 24. Galenus 3. Aphorismorum faciunt testatissimum.

ἄρτιον δ᾽ ὅτι ἐξ × πολὺ ὑγρὸν.) Locus mendosissimus. Primum prò ἄρτιον emendo αἴτιον. deinde hæc omnia in stellato loco è propria sede eiecta reponenda sunt, ἐξ ὀλίγου πολὺ ὑγρὸν γίνεται διατηκόμενον διὰ τὴν ἀλέαν. Aristoteles enim sic citato loco.

βορέα ἀντὶ κούφου.) Lego βαρέια ex eodem problemate.

ἐν τοῖς ἀθρόοις.) Lego ἐν τοῖς ἄρθροις, nam & sic Aristoteles.

ἔπειτα μέντοι.) Lego ἔσω τὰ μέντοι.

κειμένη συντίθεσθαι.) Lego κωλύει συντίθεσθαι. Articuli enim humidiores facti quàm deceat, intendi non possunt, vt citato loco docet Aristoteles.

τὰ δὲ μέρια.) Restituo τὰ δὲ βορέια, vt etiam acutè vidit Turnebus. De viribus horum ventorum contrarijs extant duo citati aphorismi apud Hippocratem sect. 3. scilicet quartus & decimus septimus. nos autem abundè de re hac 2. lib. de Hippocratica Anni partitione.

καὶ ἰσχὺν.) Lego καὶ ἴσχειν.

Super

Super Tex. 56.

καὶ παλίξηροι.) Quęstio hæc tractatur ab Aristotele prob. 23. primæ sect. & prob. 50. sect. 26. legendum autem est, quod pertinet ad emendationem, πάλιν ξηροί, ac notandi; (quod etiam alibi animaduertimus) Austros quidem eos siccos dici, qui sine pluuijs spirant, & quia tales spirant; non tamen propterea amittere vim humectandi, cum Theophrastus hic, Aristoteles citatis locis asserant, Austros nihilominus humorem alienum in corporibus creare.

ὄντες τόποι.) Prò τόποι, emendandum νότοι.

γὰρ ἔνιοις.) Lego ex prob. 50. γὰρ εμποιοῦσι.

τοῖς σώμασι θερμὴν.) Lego καὶ θερμὴν ex prob. 23. sect. primæ, non solum enim calorem sed humoremquoq; alienũ corporibus ingerunt sicci Noti.

ἔσαι θερμοί) ἅτε θερμοί ex Turnebo.

ὅταν ὑλάτινα.) Turnebus, ὑλάτινοι. rectè.

Super Tex. 57.

καὶ λιπαρεῖ.) Turnebus καὶ λυκίνει. Vide prob. 24. primæ sectionis.

καὶ ὑποσκληρυμένον.) Lego prò καὶ, ἢ, opponuntur enim duo hæc.

Super Tex. 58.

ἐκεῖνο δὲ ἡ ἀπορία καὶ ζητήσει μᾶλλον γίνεται.) Lego τῆς ἀπορίας καὶ ζητήσεως, & prò γίνεται, lego δεῖται.

καθ' ἑκάτερον ὄν.) Fortàsse ὂν expungendum.

καὶ τοῦ νότου δ' ὡσαύτως.) Lego cum Turnebo καὶ ἐπὶ τοῦ νότου.

συγχωροῦσι δὲ.) Fateor me locum hunc non intelligere, neq; enim post diuturnam etiam cogitationem aliquid potui inuenire, quod mihi satisfaceret, & nexum horum verborum cum superioribus ostenderet: fortasse dirigit Theophrastus orationem in nonnullos, qui falsò contrarias vires Aquiloni & Austro tribuebant: indicauit enim supra esse aliquos, qui Aquilones non indurare, non exsiccare, non densare crederent, sed contrarias causare qualitates. idemque de Austris sentirent.

Super

Super Tex. 59.

καὶ θᾶττον ὁ ἥλιος θερμὸς ὤν.) Quæstio hæc inuenitur ab Aristotele pertractata prob. 27. & 28. ex quo loco emendo primum prò θᾶττον, μᾶλλον: deinde lego ἢ ὁ ἥλιος, inquit enim Theophrastus ventos magis quàm solem exsiccare: demum prò ὤν lego cum Turnebo ὤν. & vide quo modo solem calidum appellat ab effectu, quia scilicet calorem producit, non quia calidus sit formaliter.

ὁ δ' ἥλιος κατα *) κατακλείσει ex prob. 27.

Super Tex. 60.

διὰ τί ποτε.) Emendo διὰ τί δὲ. Quæstio hæc disputatur prob. 57. sect. 26. & prob. 7. sectionis 23.

θέρος δ' ἀπ' ἠπείροιο.) Lego ex illo problemate θέρους.

ὡς ἐπεὶ συνέστηκεν ἰσχυρᾶς) Locus corruptissimus, & mutilus, atq; sic ex citato problemate emendandus ὥστε εἴ τις συνέστη, δῆλον ὅτι ἀπ' ἀρχῆς συνέστηκεν ἰσχυρᾶς. Aristoteles enim eo modo locutus est.

ὥστε δὴ ἀπὸ τῆς γῆς συνέστη.) Verba mirè deprauata & manca sunt, atq; hoc pacto, monente eodem loco Aristotele, restituenda, ὥστε εἴ τι ἀπὸ τῆς γῆς φέρεται, διὰ μείζονος ἀρχῆς συνέστη.

εἰς ἀσθένειαν.) Legendum εἰ ἀσθενὲς ἦν. nam & sic Aristoteles. & nota quo modo dicit philosophus, quod ex terra fertur, si dissoluatur, ideo dissolui, quia imbecillum sit. Theophrastus verò, si imbecillum sit, dissolui quod in idem redit. vnde nulla est inter eos differentia.

Super Tex 61.

νότου λαμπροῦ.) Emendandum cum Turnebo νότον λαμπρὸν.

ἀπέχοντι.) Lego ἀπέχοντα. suntq; hæc conferenda cum ijs, quæ de hac eadem re, contextu 11. disputantur; quibus mea quidem sententia magnam lucem accendunt: duo enim videtur hoc loco dicere Theophrastus, primò falsum esse Austrum in Aegypto ingentem non spirare, id est circa oram Aegypti matitimam. Secundò, à verò esse alienum mi-

nus

nus diei ac noctis cursu abesse Austri originem ab eiusmodi ora, cum multo magis distet; quod nos superius in Annot. 4. super textum illum monebamus.

Super Tex. 62.

ἐκ δ' ἕωθεν.) Lego τὸ δ' ἕωθεν. & mox ἐπινεφεῖν, nisi dicamus ἐπινεφεῖν potius legendum esse; vt sententia sit, Aquilonem, vel Austrum niues afferre: quod Austrum efficere alicubi posse supra tex. 13. dictum est. diximus Aquilonem, vel Austrum, quoniam verba possunt de ambobus intelligi: enimuerò cum inquit Theophrastus τὸ δ' ἕωθεν ἐπινεφεῖν, & c. possumus intelligere τὸν νότον, & etiam τὸν βορέαν. Nec tamen vlla est contradictio, quanquam superius affirmauit Theophrastus, Aquilones serenos esse, Austros pluuios; quod etiam confirmauit cap. 6. 2. Meteoron Aristoteles, docens maximè serenos flatus Argestem esse & Septentrionem: Theophrasti enim verba hoc loco non sunt generaliter accipienda; sententia nanq; est, ni hallucinor, nonnullis tantum in locis, non vbiq; hæc euenire; dictum est enim tex. 7. alios ventos alijs locis pluuios esse ac nubilos. Digna etiam sunt animaduersione, quæ notat Theophrastus, Austrum, si ad eum verba referamus, cœlum nubibus obtegere, donec sol sese altius attollat, pluuias verò non afferre, quia montes non adsint in quibus nubes assideant; quæ res causa est pluuiarum potissima, vt tex. 7. diximus: perspicuum nanq; est de quodam particulari loco esse hæc intelligenda, super quæ cum se altius sol attollit, suo calore nubes pellit ac dissoluit. Item consideratione egent, quæ addit Eurum & Austrum, flatusq; illos qui à meridie veniunt cum sole exoriente incipere, cessare cum occumbente; Aquilonares è contra & occiduos, cum sol mergitur excitari, cum emergit sedari ac restingui; neq; enim carent hæc ratione, si memoria repetamus ea, quæ de περιστάσει, & mutatione diurna superius attulimus; dictum est quidem eô loco, cum sol angulos quatuor petit, ventos quatuor commouere, sed interdiù solem ipsum, orientalem angulum, & meridianum occupare, noctu alios angulos satis est

tis est perspicuũ, itaq; rectè inquit Theophrastus à mane ad vesperam Subsolanum & Austrum oriri, Argestem & Aquilonem è contra à vespera ad mane. Præterea docet 2. Meteoron Aristoteles orientales flatus ad Austrinos pertinere, Occiduos ad Aquilonares; vnde merito Eurus, cuius nomine plerunq; solet Theophrastus, Præceptorem imitatus, Subsolanum intelligere, adiungitur Austro, Argestes Aquiloni. Demum illud silentio prætereundum non est aliquid in oratione desiderari; cum enim dixerit Theophrastus Aquilonem Cœlum densare & c. patet, subaudiendum esse, omnia hæc ad enarratas causas esse referenda, vel aliquid eiusmodi.

ἄρχεσθαι μὲν ἀπ' ἀνατολῶν.) Vox hæc ἀπ' ἀνατολῶν non solum potest dicere diei partem, quemadmodum expressimus in versione, sed locum etiam & angulum horizontis orientalem; vnde Eurum & Austrũ συμπαραχωρεῖν τῷ ἡλίῳ, nil aliud significabit, quàm eos prò situs solis ratione ad orientalem & meridionalem angulum commoueri; vt sit sententia, cum sol est in angulo orientali, Subsolanos, cum in meridiano reperitur, Austros excitari: cum in occasu est Occiduos, vbi fuerit in merinoctio Aquilonios: nam & hoc est quod inquit, Aquilonem & Argestem ἀπὸ δυσμῶν ἐπ' ἀνατολάς, scilicet sole ab horizonte occiduo ad exortiuum peragrante exoriri; quamobrem non erit dubitandum verba hæc ad diurnam περίστασιν pertinere.

Super Tex. 63.

ἐν σικελίᾳ καικίαν δ' οὐ καλοῦσιν ἀλλ' ἀπηλιώτην.) Extat libellus Aristoteli adscriptus non spernendus de varia ventorum apud varias gentes nomenclatione. Cum igitur ibi scriptũ inueniam in Sicilia Apeliotem vocari καταπορθμίαν, suspicatus sum ita posse locum hunc restitui ἐν σικελίᾳ δὲ καταπορθμίαν οὐ καικίαν, & c. vt sensus sit, in Sicilia non Cæciam sed Apeliotem vocari cataporthmian, ita dictum, quia ἀπὸ τοῦ πορθμοῦ spirat, videlicet à freto, vt loco illo habetur.

ὁ δ' οὖ * πάρεγγυς δὲ * οἱ μὲν οὖ ὀλυμπίαν.) Locũ hunc

cita

citat Alexander 2. Meteoron com. 32., ex cuius verbis patet illa, ὁ δ᾽οὐ, ad superiorem orationem pertinere; moxq; legeudum esse ἀργέστην δὲ οἱ μὲν ὀλυμπίαν, & particulam οὐ esse expungendam

οἱ περὶ σικελίαν σκιρωνίαν.) Lego οἱ δὲ περὶ; & mox pro σκιρωνίαν, Alexaudri autoritate citato loco ἰάπυγα, de quo Horatius Carminum lib. p. Ode 3.

Ventorumq; regat pater
Obstrictis alijs, præter Iapyga:

τὸν ἀπηλιώτην δὲ.) Locum hunc attingit Alexander citato com. 32.

βέρει * δε ἐν πόντῳ.) Mirnm est quo modo nec etiam postrema verba mendo careant; ac doleudum quidem elegantissimum libellum tantam calamitatem esse expertum, vt neq; etiam duo versus non deprauati legi possint. Nos postremum hoc vulnus ex libello de Ventorum positione sic putamus esse sanandum, vt βερεκυντίαν in stellato loco reponamus, cniusetiam vocis pars prior remansit in contextu. Aristoteles enim sic ibi loquitur de Apeliote sermonen habeus ἐν δὲ συνόρῳ βερεκυντίας: olim enim Phrigia Berecyntia dicebatur.

Hæc habui, quæ in librum hunc de Ventis annotarem.

Laus Deo.

***


**

*

FINIS.



ANNOTATIONES IN LIBELLVM de Pluuiarum signis.



Σημεία ὑδάτων.) Nulla fortasse pars est in vniuersa Meteorologica disciplina pulchrior, nulla humano generi conducibilior, quàm quæ ex cœli facie futuras aeris mutationes vaticinatur: Nulla certè in omni philosophiæ genere præstantior, cum huic soli tam fœliciter datum fuerit, vt sacratissimi oris Domini nostri Iesu Christi & firmetur consensu, & reddatur illustrissima; cum ipse Matthe. 16.
,, pharisaicam increpans duritiem ita sit locutus. Facto ve-
,, sperè dicitis serenum erit, rubicundum est enim cœlum: &
,, mane, hodie tempestas: rutilat enim triste cœlum; faciem
,, ergo cœli diiudicare nostis: signa autem temporum non
,, potestis. Et Luc. 12. Cum videritis nubem orientem ab
,, occasu statim dicitis, nimbus venit: & ita fit. Et cum Au-
,, strum flantem dicitis, quia æstus erit, & fit: Hypocritæ
,, faciem cœli, & terræ nostis probare, hoc autem tempus
,, quomodo non probatis? Itaq; cum in dubium vocari nequeat hanc & disciplinam quandam esse, quoniam seruator
,, dicit, Faciem ergo cœli diiudicare nostis; & veram esse, quoniam de eius veritate ipsa veritas his verbis nos cômo-
,, nefacit, nimbus venit, & ita fit; æstus erit, & fit: merito accenditur animus ad tantæ rei contemplationem: in alijs enim disciplinis nil supra humanum captum homines attingunt, in hac verò vna ex humanis cancellis pedem efferentes plusquàm homines esse videntur. His de causis operæ pretium facturos duximus; si, postquam pulcherrimum, ac elegantissimum Theophrasti libellum de Ventis in latinum

 con-

conuertimus hos etiam alios de signis Pluuiarum, Ventorum, Tempestatis, ac Serenitatis (quæ omnia à ventis maximè pendent, & oriuntur,) latinitate donaremus, atque annotationibus illustraremus; vt ea, quæ postea de re hac ab Arato Virgilio Plinio alijsq; auctoribus collecta fuerunt & diuulgata, appareant ex peripateticis fontibus fuisse hausta: & quorum maxima pars vel hominum vulgarium ac rusticorum autoritate circumfertur, permagno Præceptoris pondere firmetur. quod vt facilius eueniat, conati sumus nos omnium ferè signorum naturales afferre rationes, vt curiosa etiam ingenia cognoscant nil sine magna causa à magno philosopho fuisse receptum: neq; enim horum fortasse Opusculorum autor est Theophrastus, cuius tamen autoritas est tanta, sed ipsemet Aristoteles; cum Laertius scribat in eius vita, philosophum nonnulla de signis tempestatum posteritati reliquisse monimenta; quod etiam inscriptio libelli de Ventorum denominatione testatissimum facit; in qua notatur, ea omnia, quæ ibi differuntur, ex thesauris illis esse excerpta, quæ diuinus vir de signis conscripsit: quod si alicui inter legendum videatur, nos in tradendis causis aliquando scopum non attigisse; is quæso memoria reuocet, ea quæ sensum effugiunt Aristotele teste, satis ratione demonstrari, ac prò dignitate pertractari, si ad id quod esse potest ea reduxerimus: quantum enim præstare prò nostrarum virium imbecillitate possumus, id totũ præstitisse crediderimus, si in noua re, quasi modo nascentes, & cuius vix tantum semina, ac ea quidem pauca, passimq; dispersa apud nonnullos inuenimus, aliorum studia promoueamus, eamq; digito (audacter etiam fortasse nimis) demonstremus.

2 καὶ χειμώνων καὶ εὐδιῶν.) Dictum est superius in annot. 2. super tex. 2. libelli de Ventis, quid propriè in aere significet χειμών, & quid εὐδία; idq; totum verum esse infra suis locis demonstrabimus, vnde non est res hæc inutiliter hîc repetenda; illud potius præterire nolo, Præceptoris ordinem in horum enumeratione, sicuti & in tractatione omnino elucere; prius enim recenset autor aquas, mox

ventos

ventos, deinde tempestates, quoniam simpliciora, tanquã priora natura, præcedere debent: primum enim à primis ordiendum esse vbiq; clamat Aristoteles; vnde rectissimè proponit nobis antea legenda opuscula de Pluuijs, & de Ventis; necessario enim posita tempestate ponuntur & venti & pluuiæ, sed non è contra. ob eandem causam prius etiam disputat de pluuijs quàm de ventis; pluuiæ nanq; sunt quasi ventorum causæ vt materia: terra enim madefacta exhalationes mittit ad loca superiora; vt ob id Aristoteles 2. Meteoron cap. 4. scripserit post imbrem flatus ijs in locis, quibus imbrem decidere contingit, vt plurimum existere, propterea quod terra post delapsam pluuiam à calore partim interno partim superno exsiccata exhalationes gignat, quæ sunt venti corpus. De serenitate autem postremo loco sermo est; licet vt simplicior præferri debuisset, quia præcipuus orationis scopus ad pluuias & ventos dirigitur ac tempestates, vnde horum ratione de serenitate pertractatur.

3 τὰ μὲν οὖν ἐπὶ τοῖς ἄστροις.) τὰ μὲν, scilicet σημεῖα: quatuor enim signorum genera proponit autor esse contemplanda, vt in disputationis progressu clarum erit. primum genus ab ortu & occasu siderũ petendum esse inquit: secundum à regionis positu, ac potissimum à montibus & vallibus, quæ sunt in ea: tertium ab animalibus, ac locis vel in quibus degunt, vel ad quæ vadunt, aut à quibus discedunt, atq; à nonnullis eorum affectionibus: quartum ac postremum, sed quod cæteris præstat generibus in hac disciplina, à sole & luna; & cum solem & lunam dicit, reliqua quoq; intelligit, quæ maximè horum luminum motu ac radijs in cœlo fiunt, vt nubes, coronæ, parelia, virgæ, fulgura, tonitrua, & alia huiusmodi. De primo igitur genere signorum verba faciens impresentia, monet apud Astrologos genus hoc esse perquirendum, paucisq; rem hanc perstringit duplici de causa vt opinor; tum quia id munus proprium est Astrologorum, tum quia ætate illa vulgatissimum erat quibus temporibus ortus siderum & occasus fieret, quemadmodum nos Theonis auctoritate in Apologia notauimus. Quis verò in mutationibus præuidendis sit inerran-

tium

tium ſiderum vſus Ptolemæus cap. 12. 2. de Aſtrorum iudicijs ſecundum vulgatam in Cõmentarijs Cardani ęditionem
,, his verbis docet. Verum horum ipſorum particulariũ mo-
,, dorum, diurnæ intenſiones remiſsionesuè, exiſtunt potiſ-
,, ſimum vbi inerrantium ſtellarum eæ quæ maximè illuſtres
,, ſunt, matutinis aut veſpertinis, ortuſq; aut occaſus ſui ful-
,, goribus erga ſolem conſpicuæ fuerint, nam conuertũt par-
,, ticularem ſtatum illæ plerunq; ad modum naturarum ſuarũ:
quo loco cum græcus codex habeat οἱ λαμπρότεροι καὶ δραστικώτεροι, non videtur interpres, Ptolemæi mentem expreſſiſſe pro eodem ſumens duas illas voces; enimuerò Syrins ac ſtellæ omnes primæ & ſecundæ magnitudinis λαμπρότεραι, id eſt maximè illuſtres, vtpotè ſplendidiores dici poſſunt, ac debent quidem; ſed Vergiliæ Hyades & aliæ obſcuriſsimo lumine prædite, quarum nihilominus ortus & occaſus apud Aſtrologos Medicos & Philoſophos maximi eſſe momenti reputatur, nequaquam ſplendidiores illuſtrioresq; dici poterint, ſed δραστικώτεραι tantũ; quia ſcilicet ad agendum multum habere efficacitatis videantur: vt illarum reſpectu vocem alteram additã fuiſſe à Ptolemæo omnino credam: Ex his tamen interea notandum eſt inerrantia ſidera non annuarum aut menſtruarum, ſed diurnarum mutationũ eſſe prænuncia; excipiendæ nihilominus Virgiliæ ſunt, vt inferius clarius demonſtrabimus.

4 εἴτε γὰρ ἀφανισμοὶ δύσεις.) Lego οἵτε; cum enim præcedentibus verbis dixiſſet occaſus eſſe duplices; nunc primam ſpeciem aggreditur declarandam: intelligitq; autor, cum de occaſu vel ortu ſermonem habet ſemper de apparente; nam & ob id de aphaniſmo facit mentionem: qui ſanè aſpectus, fit cum ſidus occaſum veſpertinũ apparentem facit, id eſt paulò antè quàm ſol cum eo congrediatur: enimuerò tunc iam iam proximũ eſſe occultationi dicitur, quòd quidem occultari eſt & abire è conſpectu noſtro, ac veluti euaneſcere; nimirũ quando ſolis radijs tegitur, quod Gręci κρύπτεσθαι & ἀφανίζεσθαι dicunt: atq; hæc cauſa eſt, cur autor hunc aſpectus modum ἀφανισμὸν vocitauerit; de quo magnus Aſtrologiæ pater Ptolemæus lib. 8. Almageſti, cum

occasum vespertinum triplicem dixisset reperiri, ita scrip-
„ sit, Huius rursus hic qnidem appellatur succedens occasus
„ vespertinus apparens, cum sidus occultari incipiens statim
„ post solem occumbit; verum hæc fusius primo libro Apologiæ à nobis pertractata sunt.

5 καὶ ὅταν ἀνατέλλοντι δύῃ.) Aliam speciem occasus declarat, quæ fit, quando stella occumbit sole exoriente: intellige tamen tu paulò ante solis exorrum, cæteroqui non esset occasus apparens, sed verus, si cum sole emergente stella laberetur: cum autem duplex sit occasus, aut matutinus, aut vespertinus, vt citato loco monet Ptolemæus, atque vterq; triplex: in occasu vespertino solus primus modus est apparens, quem tetigit supra autor; in matutino solus tertius, de quo hic sermonem habet: intelligenda enim verba sunt de matutino præcedente occasu apparente, qui fit cum labente sidere paulo post sol exoritur: breuiter autem hæc tangimus, quoniam super hac re abunde admodum disputauimus in Apologia.

6 ὅταν προανατέλλῃ.) Docuit fnperins, qnæ occasus species sint obseruandæ: hic quo modo accipiendi sint ortus monet; & sanè verbum, προανατέλλῃ, autorem intelligere de ortu apparente testatissimum facit: duos enim ortus modos obseruandos esse præcipit matutinum ac vespertinū, verum quia vterq; multiplex est, vt cōstat ex Ptolemæo, idcircò ortum præcedentem matutinum apparentem animaduerti iubet, quem Græci ἐῶιτολὴν vocant; qui fit cum paulo ante solem stella exoritur: insuper ortum succedentem vespertinum apparentem, qui efficitur vbi paulo post solis occasum sidus emergit; siquidem his tantum modis stella ocnlis notari potest; veteres autem, Medici præsertim ac Philosophi, sidera ortu & occasu apparente tantum ptænūciare posse crediderunt, vt alibi ostendimus.

7 οἱ μὲν οὖν τοῦ ἀρκτούρου.) Cum declarasset modos ortus & occasus breuiter nunc sidera enumerat, quibus enarrati aspectus congruunt; inquitq; in Arcturo vtrosq; ortus modos esse speculandos: vespertinus enim illius ortus veteribus ver inchoabat, vt alibi Hesiodi probauimus autorita-

ritate; quem tamen autor dicit hyeme fieri, quoniam veris initiũ more Hippocratico sumit ab Aequinoctio verno: matutinum verò ortum apparentem ipsius incepisse autumnum apud veteres, hoc tàm est clarum quàm quod clarissimum. vnde meritò aspectus hic autumnalis vocatur ab autore.

8 τῶν δὲ ἄλλων ἀεὶ πλεῖσαι.) ἀεὶ πλεῖσαι, scilicet ἀνατολαὶ: ac sententia est in alijs sideribus, Arcturo dempto, ortus matutinos maximè esse obseruandos. Cum autem sidera hæc autor enumeraus, Pleíades tantum Canem & Orionem recenseat, iurè quæsitum est à nobis in Apologia, vtrũ hæc tantum sidera obseruarent veteres, an etiam reliqua: diximusq; ibi Medicos & Philosophos, vt ex monimentis Hippocratis & Aristotelis perspicunm est, Arcturum Orionem, Canem, & Vergilias tantum obseruasse, cum apud illos nullius alterius sideris mentio fiat vel imaginis: vude hic autor ea ὀνομαζόμενα appellat, Galenus cap. 7. 3. de diebus decretorijs ἐπιφανέστατα: astrologica tamen schola plures stellas in huuc vsum adhibuit, vt legentibus Aratũ Hipparchum & alios non est iucompertum: atq; extat libellus insiguis Ptolemæi de inerrantium siderũ siguificatiouibus, quem à me frustra in bibliotheca Vaticana ac Feltria, in alijsq; multis græcè perquisitum, tandem superioribus diebus ætatis nostrę Philadelphus Vincentius Pinellus vir doctissimus atq; humanissimus mihi dono dedit.

9 τῶν δὲ λοιπῶν σημείων.) Secundum genus signorum aggreditur declarandum, quod peculiare est regionnm: atquè admonet hæc signa à præaltis montibus & conuallibus esse petenda; rationemq; reddit, quoniam, cum montes aeris parti illæ sint proximiores, iu qua meteorologicæ impressiones generantur, confestim ab ipsa iam iam aduentante impressione afficiuutur, affecti prænunciant: ventis enim incipientibus, vt inquit autor., nubes occupant moutium summitates, ac prò veutorum flatu modo ad hauc, modo ad illam verticis partem mutantur; quod si fiant nubes humidiores delabuntur ob grauitatem, ac valles tunc pręuunciæ fiunt: nec tamen dicat aliquis peripateticorum dogmatum

obstri-

obstrigillator falsa hic doceri, cum è nubibus, quæ pluuias nunciant, ventorum indicia capiuntur; docuisse enim iam diù Aristotelem 2. Meteoron aliam esse omnino ventorum naturam & pluuiarum atq; à diuersis principijs exoriri: quandoquidem nubes dupliciter possunt ventum prȩmonstrare; & suo motu à venti flatu pulsæ, & quia non exigua quantitas in illis calidæ & siccæ exhalationis interdum includitur, ex qua ventus gigni potest; vnde in annotationibus super libellum de Ventis diximus de Alexandri mente ex nubibus ventos aliquando dimanare.

10 μάλιστα δὲ ὅσα πρὸς θάλασσαν.) Non sine magna causa addit autor, montes ad mare positos magis prȩnunciare: quid enim mare possit & qua ratione in aeris statu indicando, dictum est tex. 60. libelli de Ventis à Theophrasto, ab Aristotele prob. 57. sectionis 26.

11 τῶν τι γὰρ πνευμάτων.) Rectè Basiliensis Codex restituit τῶν τὲ, & c.

12 ἀπὸ τοῦ λεπετύμνου.) Nonnulli ætatis nostræ viri eruditi ac magnæ apud me semper autoritatis, verba hæc adducentes, reantur autorem dicere hoc loco, Matricetam in Lepetymno monte esse genitum, Cleostratum in Ida, Phaënum in Lycambeto: verum ego multo aliter verba interpretor: existimo enim sententiam esse, Astrologos illos è montibus dictis indicia sumpsisse ad futuras aëris tempestates prȩnunciandas: nam & hoc est quod inquit autor oportere quemq; animum intendere in qua regione & locorum sede vitam degat; qui etiam, cum addit Phaënum Athenis metœcum fuisse, satis monstrat viros illos clarissimos non extitisse eorum montium indigenas: itaq; verbis illis ἀπὸ τοῦ λεπετύμνου, ad sententiȩ integritatem subaudiendum est ex superioribus λαμβάνων τὰ σημεῖα, vel tale quid.

13 καὶ φαεινὸς ἀθήνησιν ἀπὸ τοῦ λυκαμβήτου τὰ περὶ τὰς τροπὰς συνεῖδε.) Iidem arbitrantur huius loci sententiam esse, Phaenum Athenis è monte Licambeto profectum brumam & solstitium præuidisse; ego autem, nè videar à pristina opinione desciuisse, reor omnino, Phaënum de autoris mente sicuti & reliquos, cum Athenis habitaret, è monte illo præ-

ſagia ſumpſiſſe, quem Lycabetum Plinius lib. 4. cap. 7. vocat & in Attica eſſe ſcribit: cum enim mox autor aſſerat Phaënum Athenis metœcum fuiſſe, non leue id eſt argumentum, peregrinum locis illis ipſum extitiſſe: ſunt enim metœci, vt Budeus in Pandectas notatum reliquit, qui latine dicuntur incolę, qui in aliena ciuitate longe more cauſa habitant, nec habent ius ciuitatis, nec honores ciuiles capiunt, tributum tamen pendunt quod metœciō dicitur, alibique dicit Budeus metœcos eſſe, qui Principum iuſſu in aliam ciuitatem pęnæ cauſa transferuntur, & quorum prędia publicantur; quam ſuam interpretationem ſumpſit ex lib. 10. Codic. tit 4. vt alij notarunt. Item quod iſti addunt Phaënum hunc brumam & ſolſtitium præuidiſſe, id ab autoris mente, ac vera huius loci ſententia prorſus alienum eſſe exiſtimo: nam & quis eſt tam rudis ingenij, qui brumam & ſolſtitium venturum non ſciat? hæc enim puncta ſolem non poſſe non attingere quotannis, niſi moueri deſinat, vel pueris eſt compertiſſimum; vt ridendus videatur autor, ſi apud eruditum illud ſeculum Phaënum in aliqua fuiſſe ſcriberet exiſtimatione ob brumā & ſolſtitium præuiſum. Itaq; cum habeat græcum exemplar, τὰ περὶ τὰς τροπάς, dicendum eſt, Phaënum non quidem brumam & ſolſtitium præuidiſſe, (res omnibus notiſſimas) ſed aliqua memoratu digna, quæ circa verſiones ac ſolſtitia euenere, vt nos interpretati ſumus: cū enim Phaënus hic fuerit Methonis magiſter, & à quo Methon anni illius vndeuiginti annorum ſpatio præfiniti didicit rationem, vt teſtatur hic Theophraſtus, Methon verò iiſdem floruerit temporibus quibus & Hippocrates, nimirum circa Olympiadem 86. non longe abſum à ſuſpicione, Phaënum cometam illum, ac terræmotum prædicere potuiſſe, quorum idem ipſe Hippocrates 4. Epidimion facit mentionem; quin etiam & ſi quæ alia tunc euenere, vt flatus ingentes & ſquallores cometarum & terræmotuū aſſeclæ: ita enim ſcri-
„ bit citato loco diuinus ſenex. Circa ſolſtitium hybernum
„ ſidus non paruum, quinta autem poſtea terræmotus: quo loco animum meum ſubijt admiratio non leuis, quòd Franciſcus Valeſius vir maximus aſtri nomine non cometem, ſed

con-

congeriem ſtellarum, & congreſſum putet intelligendum, quem duplici modo fieri ſcribit, aut cum plura aſtra conueniunt quàm ſoleant, aut cum aliqua, quæ rariſsimè congrediuntur, & quæ tardius vbi ſemel fuerint congreſſa, decedunt, vt ſi Saturnus, & Iupiter coniungantur: ex quo & argumentatur Hippocratem non ſolum Arcturnm, & Pleiadas præcipuè obſeruari voluiſſe, vt libello de Aëre, Aquis, & Locis aliquando dicere viſus eſt, ſed quaſcunq; etiam alias ſtellas; quòd dicit in ſolſtirio hyemali fuiſſe aſtrum non exiguum, id verò non potuit eſſe ortus, aut occaſus Pleiadum, aut Arcturi, quia non incidit in id tempus; præterquàm quòd ortus, aut occaſus non dicitur aſtrum, ſed ſolæ coniunctiones & congreſsiones: quod verò aſtrum fuerit hoc, non eſſe vllam rationem intelligendi. enimuerò ego aſtri nomine ſine vlla dubitatione cometam intelligo; & quanquam aſtrum apud græcos autores plerunq; ſignificet compoſitum quoddam ex pluribus ſideribus, imaginem videlicet quandã cœleſtem; non ſemel tamen, vt Galenus eruditè com. primo primi Epidemion particula prima admonet, ab ijſdem autoribus pro vnico ſydere vſurpatur, quod ἀστέρα ſolent dicere: ἄστρον enim nunquam ἀστέρα vocant, vt Galenus inquit, ſed τὸν ἀστέρα appellant ἄστρον, & ἀστέρα: id eſt imaginem, & plurium ſyderum congeriem nunquã ſtellam, aut ſidus vocant, ſed ſidus vnicum, vt Arcturum, & Syrium nominant aſtrum, & ſtellam ac ſidus indifferenter. quod nè longius abeamus, feciſſe Hippocratem eo in loco, quem adducit Valeſius, clarum eſt; nempe libello de Aëre, Aquis & c. vbi Syrinm & Arcturum aſtra vocat, atq; non præcipuè ortum & occaſum Pleiadum eſſe obſeruandum præcipit, vt Valeſius affirmat, ſed præcipuè Canis ortum, mox Arcturi, poſtremo loco Pleiadum occaſum; idq; torum ob eam cauſam, quam nos alibi attulimus. Itaq; potuit Hippocrates, ſi Galeno & ipſimet fidem adhibeamus, aſtri nomine ſtellam vnicam, qnam Græci ἀστέρα appellanr intellexiſſe, aſtrorum verò congeriem nequaquam, ſi, vt Valeſius cenſuit, congreſſum Planetarum intelligamus; qui ſane congreſſus nunquã aſtrum, ſed perpetuo σύνοδος, id eſt coniunctio à græcis auto-

toribus dictus fuit. Quòd verò cometes sidus dicatur, aut stella, id satis ex Aristotele constat cap. 7. primi Meteoron, qui non semel ipsum eo loco sidus dixit: nã & de comete illo magno, qui in Achaia apparuit sermonem habens ita lo-
,, cutus est, ἐπεὶ καὶ ὁ μέγας ἀστὴρ περὶ οὗ πρότερον ἐμνήσθημεν, & c.
,, id est magnum enim sidus de quo antea meminimus & c. vnde rationi maximè consentaneum est hippocraticum illud astrũ, cometam significare; qui cum aut maior, aut minor esse posit pro materiæ, seu exhalationis, quæ accenditur, maiori, vel minori quantitate, ex qua gignitur, (quod de sideribus, quę propriè ac verè sidera sunt, dici nullatenus potest,) inquiens Hippocrates non exiguum astrum illud fuisse, satis monstrat, se de cometa verba facere: nam & Aristoteles Achaicum cometem magnũ eadem de causa appellauit. quibus omnibus addere possumus, subsecutum terręmotum firmissimum esse argumentũ, astrum illud cometem fuisse; cum proprium sit cometarum squalores, spiritus, ac terræmotus prænunciare, vt Aristoteles citato loco docet: quandoquidem venti magni, & terræmotus tum fiunt, cum ingens exhalationis siccæ copia abundat; at cometes eam abundare argumento est; non enim gignitur, nisi hæc adsit copia exhalationum, quamobrem non abs nulla ratione omnia hæc subsequuntur. Cum igitur, vt ad nostra redeamus, potuerit Phaënus & cometam illum, & terræmotus, & ventos, sumptis è monte Lycambeto indicijs præuidere, qui circa solstitiũ euenerunt, meritò autor rem hanc literis cõsignat, vt dignissimã scitu, & ob quam Phaënus in maxima fuerit habitus admiratione; quã tamẽ veluti notissimam seculo illo innuit tantum, nec clarius explicat. cum enim squalidum annũ videmus satis tutè cometas fore prædicere possumus. quæ verò signa terræmotus nuncient 2. Meteoron Aristoteles cap. 8. docuit eleganter; ac de ventis quidẽ res omnino est manifesta, vt non fuerit perdifficile Phaënũ eiusmodi talia præuunciasse: ac fortasse hic ille idem est cometes, quem Aristoteles citato loco commemorat, scribens Eucleo Molonis filio Athenis magistratum gerente, cũ sol in solstitio esset hyberno, Gamelione mense crinitum sidus

dus ad ſeptentriones viſum eſſe: de quo etiam Eucleo forſitan apud Thucydidem ad finem lib. 6. mentio eſt; quod tamen conſtanter non affirmo, cum de hoc Eucleo, & quo tempore vixerit, nil apud Euſebium, aut apud Sigo ium in libello de Athenienſium temporibus inuenire potuerim.

14 ἄλλα δ᾽ ἐστὶ σημεῖα.) Tertium ſignorum genus attingit ab Animalibus ſumptum, nempe ab accidentibus, tam communibus, vt ſunt locorum migrationes, quàm proprijs, vt ſunt quedã peculiares eorum proprietates, de quibus infra.

15 καὶ τῶν κατ᾽ οἰκίαν ἑτέρων τινῶν τόπων, καὶ παθημάτων.) Verba ſubobſcura, vt quæ poſsint dupliciter interpretari: nam vel ſententia concipienda ſic eſt, καὶ τῶν ſcilicet παθημάτων κατ᾽ οἰκίαν, & c. vt ſenſus ſit, & ab affectionibus, quæ ratione habitationis aliorum locorum animalibus contingunt, indicia eſſe ſumenda: quo modo particula καὶ abundabit, quemadmodum non ſemel apud Ariſtotelem & Theophraſtum: vel ſic poteſt intelligi, καὶ τῶν, ſcilicet συμβαινόντων κατ᾽ οἰκίαν, & c. quo modo ſenſus erit, ſigna tum à locorum migratione, tũ ab alijs proprietatibus eſſe accipienda. Quod vero pertinet ad loca, Ariſtoteles ita ſcribit cap. 12. 8. de Hiſtoria Animalium ſecundum Gazæ interpreta-
» tionem. Actio autem, & omne eorum negocium in coitu,
» procreatione, atq; victus ſolertia verſatur: necnon ad fri-
» gora, æſtus, mutationes deniq; temporũ pertinet. ineſt n.
» omnibus ſenſus natiuus mutationis factæ frigore aut calo-
» re. itaq; vt homines alij domicilia hyeme repetunt, alij qui
» amplioris prouinciæ principes ſunt ſedem pro tempore mu-
» tant, vt moram æſtate locis frigidis, hyeme tepidis trahant,
» ſic bruta, quæ loca poſſunt permutare faciunt. atq; alia ſub-
» ſidium in ipſis conſuetis ſibi locis comperiunt, alia peregrè
» proficiſcuntur. Hæc ille; nec mirum ſi inquit animalia mutationis futuræ ad frigora & calores σύμφυτον, id eſt congenitum & natiuum ſenſum habere, quod etiam Ptolemæus primo de Iudicijs Aſtrorum cap. 2. his verbis confirma-
» uit. Atq; horum nonnulla excellentiore quadam vi & ſim-
» pliciore ordine procedentia, intelligunt non modo penitus
» indocti homines, ſed & bruta animalia quædam, ſicuti ſunt

tempo-

„ temporum & flatuum annua diſcrimina, quorum ſemper eſt „ ſol autor. nam vt docet diuinus ſenex lib. de Alimento φύσιες πάντων ἀδίδακτοι, id eſt Naturæ omnium ſine doctore, quæ ſententia eſt vſurpatiſsima à Galeno & mire commendata; naturæ enim rerum omnium ac præſertim animalium, vt Franciſcus Valeſius ibi notat, ſine doctore doctæ ſunt, & perinde operantur, quæ citra intelligentiam ducuntur, non cognitione finis, ſed natura, quaſi ſumma ſapientia præditæ eſſent: immo verò hæ ſolæ non aberrant. dixi mutationis futuræ non factæ, vt Theodorus, quoniam Ariſtoteles μεταβολῆς dicit ſimpliciter, non factæ mutationis animalia ſenſum congenitum habere: animalia verò non mutatione facta ſedes mutant, ſed anteqnam fiat, & iam iam ea aduentante; vnde iurè apud veteres futurarum mutationum ſunt prænuncia. fruſtra enim mutatione facta commigrarent.

16 μάλιστα δὲ κυριώτατα.) Quartum ſignorum genus recenſet, idq; à ſole & luna ſumitur: quod & maxime proprium eſſe, & præcipuum inquit, vnde Aratus de ſole

> Ἠελίῳ καὶ μᾶλλον ἐοικότα σήματα κεῖται, id eſt
> Soli etiam magis nota ſigna ponuntur

ad cuius imitationem Virgilius primo Georgicon

> Sol quoq; & exoriens, & cum ſe condet in vndas
> Signa dabit: ſolem certiſsima ſigna ſequuntur:

Et mox

> Sol tibi ſigna dabit. ſolem quis dicere falſum
> audeat?

17 ἡ γὰρ σελήνη νυκτὸς.) Dictum eſt de re hac in annotatione quarta, quinta, & ſexta in tex. 19. libelli de Ventis.

18 ὅτι ἀπολείπει τὸ φῶς.) Duo ſunt hoc loco declaranda; primum quid τετράδος nomine veniat intelligendum; ſecundò quid ſignificent voces illæ φθίνοντος, & ἱσαμένου. De primo dico breuiter Theophraſtum nomine τετράδος ſextilem configurationem intelligere, primam videlicet & ſecundam: currente enim die quarta à coitu & nouilunio, vel ante coitum, fit ſextilis aſpectus luminarium; in quo ſitu luna verſatur circa longitudines medias eccentrici, vocaturq; μηνοειδὴς, id eſt falcata, quia falcis figuram imita-

tur;

tur à Plinio corniculans curuata in cornua: igitur, quia circa diem quartam id euenit, propterea, cum luna in sextili est, vocatur quarta à Theophrasto; sicuti, & cum quadrato radio à sole aspicitur, vocatur ab eodem octaua, quoniam configuratio hæc septima die & paulò amplius octauo scilicet ineunte conficitur: vnde & sæpissime apud autores tum græcos tum latinos, de quarta, septima, & octaua lunæ mentio est, vt apud Hesiodum, Aratum, Virgilium, Pliniũ, ac alios videre licet. Diximus lunam circa quartam diem sextante, circa octauam quadrante circuli à sole distare, ad medium seu æqualem motum respicientes, ad mediosq; aspectus; quorum interualla semper sunt æqualia: de vero enim & apparenti motu alia ratio est; cum adeo varij sint & dissimiles, vt inde nomen inuenerint: sextilis enim medius semper circa quartam; quadratus medius semper circa octauam efficitur, apparentes autem ac veri non semper: nec alia de quadrato radio lunæ sententia est Aristotelis in decima tertia sectione græci codicis problemate tertio, vbi sic legimus καὶ ἀναπληροῦται μετὰ τὴν ὀγδόην ἐκ τοῦ μέσου: quandoquidem non asserit philosophus repleri lunam post diem octauam de medio, ita vt velit exacto octauo, nono ineunte aspectum hunc fieri, quemadmodum Vetus Interpres ac Theodorus ei imponunt, quod neq; etiam de quadrato vero verum esse potest, si posterius medio eueniat, quoniam discrimen temporis maximum, quod inter mediam & veram Syzygiam potest accidere, horas vix 14. implet, vt Erasmus Rheinoldus summus Artifex in Theoricas planetarum ostendit, quadrans verò totius temporis periodicæ Syzygiæ solis & lunæ est dierum 7. horarum 9. 11. 0. 48. vt trigesimoseptimo præcepto Prutenico habemus, vt quadratus verus nunquam diem nonum tangere possit. Sed μετὰ τὴν ὀγδόην loco illo significat quod latinè est, tertio vel quarto, vel octauo post die; sicuti & Plinius vir magnus illud Theophrasti de spina ægyptia, quam resurgere cæsam μετὰ τρίτον ἔτος ipse scripsit, perbellè interpretatus est anno tertio: vnde sensus erit Aristotelicæ orationis octauo post die, videlicet octauo currente ab interlunio lunam de medio repleri,

ri, quod de tempore mediæ quadraturæ semper habet veritatem. secundum, quod opus habet declaratione, est quid voces illæ φθίνοντος & ἱσταμένου significent. Mensis græcanicus diebus triginta integratur, vnde Hesiodus in diebus

Πεφραδέμεν δμώεσσι. τριηκάδα μηνὸς ἀρίστην, id est

Præcipe seruis. trigesimam mensis optimam :

hunc Græci in tres partes ac decades diuidebant, ac primã decadem ἱσταμένου mensis, secundam μεσοῦντος, tertiam, φθίνοντος esse aiebant: cum ergo dicit Theophrastus lumen lunæ deficere à quarta φθίνοντος, id est decrescentis mensis ad quartam ἱσταμένου, scilicet ineuntis, intelligit à secundo sextili ad primum lunam suo lumine nil posse caloris in hæc inferiora producere. Hæc Theophrastus hoc in loco siue potius Aristoteles, ex cuius verbis præclara multa, ac magni momenti eliciuntur; sed duo potissimum primũ enim, cum dixisset præcipua signa à sole & luna petenda esse, vt id de luna ostenderet quod de sole clarum erat, nempè & aerem, & hæc nostra ab ea alterari, ac subinde præcipuè esse obseruandam, subdidit lunam ipsam noctu esse tanquam solem, luna enim nocti præest vt sacræ litteræ docent: vt verò ostenderet solis munere eam fungi, nimirum calorem & frigus producere, duo inquam naturæ instrumenta, quibus ipsa rerum ortus & interitus causat, ac omnia demum opera exercet, addidit propterea mensium coitus χειμερίους esse, & adiunxit causam, quia à quarta mensis decrescentis ad incantis quartam lumen deficit illius; quo loco qui non videt vocem χειμερίους frigiditatem potissimum dicere nihil videt; dixit tamen signatè χειμερίους, quoniam hæc mensis pars non solum frigida est, sed plerunq; pluuia & hyemalis: Ex quibus omnibus habemus lunam aerem ac menstruum tempus eatenus afficere & alterare, quatenus cum sole configuratur, ad solemq; refertur: quod Præceptoris est ad finem 4. de Animalium ortu aientis lunam principium esse, causam videlicet efficientem & alterantem, ob eam quã habet cum sole societatem atq; ob luminis participationem: quo iacto fundamento illorum statim opinio infirmatur, qui aut crisimos dies, aut aliud aliquid ad periodicum lunæ

mensem

mensem referunt; neq; enim motu simpliciter alterat inferiora hæc luna, neq; reliqua sydera, sed motu, quatenus eo calorem gignunt; gignit vero sidus motu calorem, quando instrumentum aptum habet, quo aërem atterat ac discernat, cum mouetur; quicquid enim caloris cœlum suo motu sine alio instrumento nobis iaculatur, id adeo exile est, dum terram attingit, vt vix sensilem efficere varietatem possit; vnde Aristoteles primo Meteoron sentire videtur, hac via calorem à motu simpliciter totius Cœli diurno genitum, ad nostra loca peruenire, quòd ignis aërem ambiens, à dicto motu sæpè diuellatur, & vi deorsum feratur. tale autem instrumentum lumen est; quamobrem astrorum lumen quatenus lumen, calorem non gignit apud Aristotelem, vt nos alibi ostendimus, sed quatenus per aërem fertur sequens sidus à quò emanat: propterea pari data sideris distantia, ac pari motus velocitate, immo & maiori, astra, quæ maius lumen habent, impensius calefaciunt; atq; hæc causa est, cur stellatum cœlum Saturnus Iupiter & Mars, licet sole velocius moueantur, minus tamen quàm sol terram hanc nostrã calefaciunt: dixi velocius astra illa moueri, quia æquali in tempore maiorem circulum describunt in diurna cõuersione, vtpotè à centro distantiora; enimuerò motus hic est, qui calorem parit, & cuius respectu, non proprij motus velocitas est attendenda: quò verò modo lumen, cũ sit qualitas secundum Aristotelem, non corpus, possit hæc facere, alibi ostensum est à nobis: atq; hinc verus sensus enitescit Aristotelicæ orationis alioqui obscurissimæ 2. Cœli tex. 42. & primo Meteoron cap. 4. quæ adeo omnes eius torsit alumnos, vt Præceptorem pęnè impudenter deseruerint, alij verò ita delirauerint, quemadmodũ Frãciscus Valesius cap. 53 sacræ philosophiæ, vt, quòd cœlũ motu calefaciat, maximũ atq; apertissimum errorem Aristotelis esse dixerint. Sic ergo videmus iuxta decreta peripaterica hoc in loco digesta à Theophrasto, lunam agere in hæc inferiora, quatenus luminis solaris sit particeps; atq; ea prò varia luminis mensura variè disponere, vt omnis eius actio ad synodicũ mensem, non ad periodicum sit referenda, quemadmodum nos

Hh de

de crisimis diebus, ac de maris æstu (quæ duo omnium consensu luna regit & moderatur) suis locis demonstrauimus. Secundo, ex his Theophrasti verbis habemus aërem coitu lunæ insigniter affici & alterari; inquit enim ipse mensium coitus esse frigidiores, ac partem mensis declarat, quæ potissimũ frigida est, à quarta videlicet decrescentis ad quartam ineuntis, quod est à die quarta vsq; ad vigesimamsextã; quamobrem ex diebus triginta mensis, viginti duo ferè tantum erunt calidiores, reliqui octo frigidiores, quod pertinet ad lunæ lumen & phasis: quòd si scrupulosius agas ex diebus 29 hor. 12. 44. 3. 12. id est ex toto tempore periodicæ Syzygiæ luminarium, quadrans, qui est dierum 7. hor. 9. 11. 0. 48. frigidior erit: à sextili enim decrescentis mensis ad sextilem crescentis quadrans interest totius temporis, cuius pars octaua est dierum 3. hor. 16. 35. 24. quæ inter sextiles & nouiluninm intercedit, iam enim hoc nemo ignorare potest, cuius totum datur eius semissem quadrantem, ac reliquas etiam partes dari; quamobrem synodici mensis dies calidiores, habita medij motus ratione, & in quibus lunæ lumen vires habet suas, erunt 22. hor. 3. 33. 2. 24. Neq; abhorret Galenus ab hac sententia 3. de diebus decretorijs, quicquid Manardus Epistola 5. lib. xv. scripserit, ac post eum Planerius cap. 12. & 13. dubitationum in dictum Galeni opus, licet videatur affirmare nullam alterationem triduo, dum luna silet, ab ea fieri in hæc inferiora, vt iufra suo loco planum faciam.

19 ὥσπερ οὖν ἡλίου ἀπόλειψις.) Periucunda contemplatio sese nobis ante oculos offert: de eclipsi enim solis & lunæ sermonẽ habens acutissimus philosophus, varijs vtitur vocibus, lunæ deliquium vsitato nomine ἔκλειψιν vocans, solis verò, hoc alterò ἀπόλειψιν: quod & de industria factum esse reor, nec sine causa; quæ statim elucebit, ac horum luminũ naturam, & in deliquijs conditionem indagabimus. Sol cum eclipsim patitur non deficit lumine verè ac simpliciter, sed deficit nobis propter interpositionem lunæ inter aspectum nostrum & solare corpus, interpositus enim lunæ prohibet nos aspectu illius, vnde quantum in se est nulla af-

ficitur

ficitur alteratione: item non vbiq; deficit, sed in vno climate deliquium apparet, in altero nullum, quod contingit ob diuersitatem aspectus in diuersis climatibus: propterea deliquium solis ἀπόλειψις appellatur à Theophrasto: quà voce vsus est Præceptor 4. de Animalium ortu cap. 2. vt silentia lunæ designaret, in quibus non penitus priuatur solari lumine nec tota, sed ea tantum pars illius quam nos aspicimus, vnde & tunc esse φθίσιν, & ἀπόλειψιν lunæ scripsit philosophus: vt iam clarum sit vocem hanc, ἀπόλειψιν, apud Aristotelem & Theophrastum non tam dicere luminis in luminoso corpore priuationem, quàm eius, respectu nostri, occultationem: at de eclipsi lunæ alia omnino ratio est, cũ enim deliquium patitur vbiq; terrarum hebescit, & reipsa lumine priuatur; quod cum Theophrastus animaduerteret, vt hanc differentiam signi ficaret, elegantissimè diuersis vocibus vsus est, ac lunæ deliquium, ἔκλειψιν appellauit, vt verò Præceptorem imitaretur, deliquium solis perbellè vocitauit ἀπόλειψιν; sicuti & paulò supra docens à quarta mensis decrescentis ad quartam ineuntis lumen lunæ deficere, verbo ἀπολείπει vsus est, quemadmodum etiam & voce ἀπόλειψις citato 4. de Animalium ortu loco Aristoteles, nimirum quia vt dicebamus non fit eo tempore luna omnino expers luminis. Hinc doctissimi Virgilij vulgatissimum illud carmen ex 2. Georgicon intelligimus, à paucis fortasse intellectum

Defectus solis varios, lunæq; labores

diuinus enim Poeta, vt diuersam hanc solis & lunæ deliquiorum rationem & naturam explicaret, lunæ eclipses, labores dixit, nimirum quia verè laborat luna, ac magnum aliquid patitur, cum terræ interiectu priuatur solari lumine: deliquia verò solis defectus vocauit, quasi dicas ἀπολείψεις cum Theophrasto, quia deficit lumen nobis nequaquam soli; quos bellissimè etiam nuncupauit varios, quia non eodem modo conspiciantur vbiq; terrarum, immo maximam habeant varietatem ob parallaxim; neq; enim vbiq; locorũ defficit solis lumen neq; temporis æquali spacio, neq; mensura æquali, sed alijs adimitur, alijs non, alijs diuturniore

tempore alijs ocyore, alijs demum totus, alijs dimidiatus, alijs minus, prout intuentis oculus in varijs partibus & climatibus constituitur; vt verisimè varij ob varietatem hanc maximam defectus solis dici queant: quod si ita res est corruptum scribi carmen hoc Maronianum in plerisq; Ioannis de sacro Bosco exemplaribus dicendum erit, vbi sic legitur in extremo libelli de sphæra

Defectus lunæ varios solisq; labores

quando neq; eclipsis solis labor propriè dici queat, cũ sol nil patiatur, nec lunæ eclipsis varia, cum defectus luminis ratione, quod formaliter eclipsim constituit, nequaquam varia sit lunæ eclipsis, sed vbiq; terrarum eadem & vniuersalis, cum in omnibus regionibus obscuretur, (licet non omnes eius eclipsim conspiciant) eo quod eclipsis lunę ex vmbra terræ dependeat, quæ in omni climate semper est eadem, defectio verò solis ex aspectu nostro, qui diuersus est in diuersis climatibus, vt in Theoricis docemur. nec nos turbet, Iopam in extremo primi Aeneidos cythara canẽtem

Errantem lunam solisq; labores

enimuerò eo loco labor in sole nullam designat eclipsim, sed cursum eius per eclipticam perpetuum, & vires supra omnia sidera maximas: quasi totam cœlestem ac terrestrem machinam solus ipse dispenset ac moderetur, sideribus omnibus lumen impartiendo, ac terrena cuncta fouendo; cum ipse suo motu per obliquum circulum potissima sit rerum ortus causa, vt 2. de ortu & interitu docet Aristoteles: quàobrem meritò diuinus Poeta solem in tanti operis functione, ac de omnibus operibus longè maximi dixit laborare. Verum hæc satis sint ad demonstrandũ iusta de causa Theophrastum de lunæ ac solis deliquiis agentem voces variasse, vt diuersam in vtroq; lumine deliquij naturam aperiret: qui profectò addidit hæc in præsenti loco, vt clarius lunæ cum sole ipso proportionem & conuenientiam explicaret, ac verè dictum ab eo fuisse demonstraret, lunam quasi alterum solem nobis à natura datam esse, cum eam temporum varietatem, quam sol toto anno facit, æstus inquam & frigora, menstruo cursu luna adducat, quemadmodum 2. cap. 4. de

ortu

ortu Animalium notatum reliquit Aristoteles; ac præterea deliquia, vt sol, perpetiatur.

20 δεῖ οὖν προσέχειν.) Colligit tanquam necessario consequens ex superiori disputatione, solis & lunę ortum & occasum spectandum esse, & maximopere obseruandum ijs; qui artem hanc prædicendi pulcherrimam volunt aliqua cũ laude exercere; nimirum quia ab his potissimum aeris pendeant mutationes, tanquam manifestissimis caloris frigiditatisq; causis & principijs.

21 πρῶτον μὲν οὖν ληπτέον ὅτι αἱ διχοτομίαι.) Iacit his verbis Theophrastus, non huius pręnunciandi artis tantum, verum etiam vniuersæ in rerum naturę operibus inuestigandę veritatis fundamenta: ac nescio an in tota philosophia res grauior, maiorisq; momenti doceatur. His enim, quę hic disseruntur, intellectis, ratio diuisionis annuarum tẽpestatum, ac mensis dieiq; partiũ apparet; & quomodo annus, mensis, & dies hac in re se mutuo respondeant, elucet: demumq; non nullarum rerum, quibus de industria tenebrarum plurimum videtur natura offudisse, causę innotescunt; vt nos suis locis de Maris æstu, & crisimis diebus abunde ostẽdimus. Inquit igitur prò confesso Mathematicorum more tanquã axioma esse accipiendum, dichotomias τὰς ὥρας distinguere; vt verò quid τῶν ὡρῶν nomine intellexit, nobis aperiret, subdidit, annum, mensem, & diem harum dichotomiarum ratione esse contemplandos, quatenus videlicet eis tempora hæc distinguuntur; quibus clarum est horarum nomenclatura tria illa Theophrastum intellexisse: sunt enim, vt diuinè 4. de ortu animalium cap. vltimo docet Aristoteles, annus, mensis, & dies, periodi, quæ naturaliter rerum omnium ortus, durationes, & interitus metiuntur: ac diei appellatione, nox quoq; intelligenda est, nimirum dies tota naturalis; vnde Aristoteles citato loco noctem etiam adiunxit. Est autem dichotomia diuisio in duas æquales partes, & διχοτέμνειν, ac διχοτόμειν annum, mensem, ac diem, nil aliud est, quàm tempora hæc, vel eorũ partes in duas æquales portiones seiungere: proinde Aristoteles cap. 4. v. ethicorum scribit, ius, δίκαιον, idcircò fuisse appellatum, quòd δίχα id est

bifa-

bifariam diuisum est, quasi διχαῖον bipartitum dixeris, & iudicem διχαστὴν id est bipartitorem: ac ius quidem medium est quoddam, sicuti & iudex, vt ibi monet Aristoteles; cuius officium est ad æqualitatem redigere; quemadmodum si linea in duas inæquales partes diuisa sit, illud, quo maior pars dimidium excedit, ab ea iudex aufert, & adiungit minori; cum verò tota æqualiter fuerit bipartita, iam & penes dichotomiæ normam diuisio facta erit: quamobrem & dichotomiæ temporum iudices non incongruè appellabuntur; qua etiam fortasse ratione licet multis incomperta, sapiens permota vetustas, dies illos, criticos, appellauit, non solum quia in illis morbi indicantur: sunt enim dies crisimi dichotomiæ quædam mensis ac partium eius, atq; ad illas, vt suo loco explicatum est, referuntur.

22 διχοτομεῖ δὲ τὸν ἐνιαυτὸν πλειάς.) Etsi Theophrastus his verbis Virgilias menstruas aëris constitutiones ortu & occasu monstrare dicat, non propterea tamen discessimus ab eius mente, qui superius annot. 3. diximus, sidera inerrantia diurnarum mutationum esse prænuncia, non menstruarum neq; annuarum: nam eo loco Virgilias excepimus, quæ eò quòd partiuntur annum in duas æquales partes, nimirum dichotomiæ ratione, vt hic docet Theophrastus, idcircò annuam habēt significationem: cum enim menses sex Theophrasti ætate inter ortum & occasum earũ matutinum intercederent, ob causam, quam in extremo tertij Apologiæ attulimus, meritò inquit hoc loco autor, eas ortu & occasu annuum totum spatium διχοτομεῖν. Verum neq; hoc sufficit, cum & aliæ fortasse stellæ tunc reperirentur, & reperiantur modò, à quarum ortu ad occasum mēses sex intersint, quæ tamen diurnam tantum habent significationem: sed oportet præterea eas, vt munere hoc fungi possint, cum sole vel luna secundum vtrunq; consensionis modum consentire: consensio enim sideris cum sole duplex est, vel ortus respectu & occasus apparentis, cum scilicet sol & sidus eundem angulum Orientis seu Occidentis obtinent, aut ex his centris opponuntur: vel distantiæ ratione ab ipso sole penes motum proprium illius: ac prior quidem con-

ſenſio diurnas tantum in ſideribus facit mutationes, ſi verò poſterior adijciatur, diuturniores, vt in Pleiade videmus, quod totum vt clarius eniteſcat, paulo altius ordiendum eſt. Dicimus igitur, quemadmodum etiam & ſuperius ex Ariſtotele dicebamus, periodos, quæ rerum ortus, & interitus metiuntur omneſq; ſublunares mutationes, annum eſſe menſem & diem: ac annum quidem & diem à ſolis motu gigni & dependere; menſem verò lunam potiſsimum moderari; ſed tamen nulla alia ratione, niſi quatenus cum ſole configuratur, atq; ad illum refertur: eſt enim menſis, vt eo loco inquit Ariſtoteles, communis vtrorunq; luminum periodus: porrò autem annus menſis ac dies periodi rerum ſunt ac menſuræ, & mutationum, quæ illis eueniunt cauſæ, vt ex verbis Præceptoris elicimus (quod maximum eſt ad obſcuriſsimas queſtiones diſſoluendas fundamentum) quatenus varios actiuarum qualitatum, frigiditatis videlicet & caliditatis gradus continent & adducunt; quas ſanè actiuas qualitates, paſsiuæ quoq; conſequuntur tanquam materiæ ſuas formas, vt aliquando monuit Auerroes aduerſus Galenum acutiſsimè diſputans: frigiditate enim & caliditate res omnes afficiuntur, ac variè alterantur, aërq; potiſsimū; quæ profectò duæ qualitates, tanquam naturæ inſtrumenta, commoderatione quadam generationes rerum & perfectiones operantur, extra moderationem hanc rei cuiuſq; naturæ congruentem, ad illarum interitum machinantur, vt ibi præclarè admodum docet Ariſtoteles; ac iuxta caloris menſuram & frigiditatis modo venti, modo ventorum ſilentia, modo imbres, modo ſiccitates, itē frigora, & æſtus omneſq; aliæ huius generis mutationes in aëre excitantur: at verò vt idem monet, harum qualitatum principium & finis ſolis & lunæ motus habent, ſiquidem qualitates hæ gignuntur, intenduntur, remittuntur, tolluntur; prò vario ſolis, & lunæ motu, atq; prò varia ad nos horum luminum habitudine, quamobrem annus, menſis, ac dies, penes varietatem huius motus variabunt, ac alium & alium caloris frigiditatiſq; gradum continebunt. Iam verò hos varios harum qualitatum gradus dichotomiæ afferunt, ac ſimul notant, nimirum quia

quia situm monstrant, ac repræsentant solis & lunæ, in quo cum reperiuntur hæc sidera, varietatem illam, ac mutationem creant, quam dicebamus; vnde iusta de causa dichotomias in temporibus indicandis tanti facit Theophrastus, vt eas velit distinguere horas ipsas, annum videlicet, mensem, ac diem; atq; harum ratione tempora hæc contemplanda esse, ad easq; tanquam ad lesbyam regulam reducenda iubeat: enimuerò eatenus id præstant dichotomiæ, annuumq; spatium menstruum ac diurnum partiuntur, quatenus in illis mutatio aëris vt plurimum euenit; fit verò mutatio in illis, quia aut calor & frigiditas dominari incipiunt, aut gradus variat caloris vel frigiditatis; anni enim diuisionem tũ in partes quatuor, tum in plures ortum habuisse ex mutationibus, quas in toto annuo cursu facit aër, quarum causa sol est suo motu, abunde in libris nostris de Hippocratica anni partitione monstratum est, qua etiam methodo mensis postea & dies a veteribus illis diuisus fuit. His ita constitutis latissimè patet, cur ortũ Pleiadum & occasum dichotomiæ nomine dignetur Theophrastus, æquinoctia insuper & solstitia; præterea quare Pleiades longiorem, quàm diei vnius in aëre mutationẽ, præsagiunt: diuidunt enim æquinoctia & solstitia solis cursum annuum in duas partes æquales: à solstitio namq; ad solstitium menses sex intersunt, sicuti ab æquinoctio ad æquinoctium, vnde & solis situm in loca maximè distantia & subinde contraria repræsentant. quæ enim plurimum distant contraria sunt, vt 2. Meteoron & sæpè alibi docet Aristoteles: sed cum in his locis reperitur sol, contrarias qualitates gignat necesse est, aut varios contrariosq; illarũ gradus; si enim maximè propinquus nobis calorẽ patit; igitur, & maximè remotus frigiditatis necessario erit autor: quamobrem & distantias medius occupans mediocritatem quoq; & moderationem harum qualitatum adducet, vt aliquando etiam in suo colliget docebat Auerroes; quod facit in æquinoctijs; atq; hæc causa est cur æquinoctia dichotomiæ dicantur à Theophrasto; sunt enim duplici ratione dichotomiæ, tum quia annum totum diuidunt in duas æquales partes, tum quia sex mensium interuallum

uallum, quod est à solstitio ad solstitium in duas æquales partes identidem seiungunt: monuimus enim superius dichotomias appellari à Theophrasto non solum illas, quibus totus annus, mensis, ac dies æqualiter diuiditur, sed illas quoq;, quę horum temporum partes, in ęquales itidem portiones distinguunt: quod in menstrui & diurni spatij declaratione infra planum magis faciemus. quoniam autem, vt in Apologia diximus, sed fusius in libris de Hippocratica anni partitione, annus vniuersus de veterum sententia nil aliud verè est quàm æstas & hyems, sensuumq; fide sapiens antiquitas experta fuit, gradum illum caloris, qui æstatem parit antea, in climatibus Græciæ, in quibus philosophabatur, incipere in aëre vigere, quàm sol æstiuam conuersionē teneret, antea dominari gradum illum frigiditatis, qui hyemem constituit, quàm ad Capricornum deijceretur; idq; euenire, cum sol, ab æquinoctio verno pergens ad æstiuum solstitium, medium Tauri occuparet, cum proficiscitur ab æquinoctio autumnali ad solstitium brumale, quando possideret locum oppositum, nempè medias Scorpij partes; Pleiadas verò suo ortu, & occasu situm illum solis, & tempus illud aptissimè ostendere, propterea in anno diuidendo hoc potissimum astro vsa est; eius emersu æstatem, obitu hyemem inchoari sapientissimè decernens. his igitur nixus fundamentis Theophrastus, hisq; permotus rationibus, vt tandem multa in paucis conferamus, Pleiadas hoc in loco dichotomias efficere scribit; enimuerò duplici ratione eas efficiebant, cum & annuum totū spatium in duas æquales partes diuiderent, & trimestre interuallum, quod est inter æquinoctium autumni ad solstitium brumale suo occasu æqualiter dirimerent; sicuti & suo ortu spatium illud temporis, quod inter æquinoctium vernū & solstitium æstiuum intercedit: ostensum nanq; est in Apologia ortum Pleiadū fuisse ætate Theophrasti & occasum, cum sol medias ferè Tauri, & Scorpij partes perlustraret: atq; hæc causa est, quare Vergiliæ non solum diurnam prænunciare poterant temporibus illis in aëre mutationem, sed longiorem quoq; constitutionem, vt mox dicemus ex Theophrasto; cum so-

lis enim motu & situ consentiebant, secundum duplicem illum modum, quem superius explicauimus, per id temporis orientes, vel occumbẽtes, in quo ipse sol medias inter puncta illa cardinalia distantias occupabat; quam sanè consensionem, vbi astrum obtinuerit, poterit semper emersu & obitu magnas, nec diurnas tantum, sed longiores in aëre aut excitare mutationes, aut saltem indicare: enimuerò luminis sui quantumuis exigui vel additione, vel subtractione, cõmoderationem illam caloris aut frigiditatis adducere potest, gradumq; illum harum qualitatum, qui ad mutationem efficiendam est necessarius: sicuti in ijs, quæ foris igne coquuntur ad cibum, subtractus paruus calor vel additus opus perficit: atq; ob id Ptolemæus magnus artifex, & magnæ constructionis inerrantium siderum ad solem aspectus ita subtiliter persequitur, de qua rè nos plura primo lib. Apologiæ. quòd si reliqua duo interualla, tempus scilicet quod est inter solstitiũ æstiuum, & æquinoctium autũni, inter brumale solstitium, & vernum æquinoctium eadẽ methodo partiamur, iam partes anni octo habebimus, quę diuisio naturalissima est, & (vt de cæteris nunc taceam) à Galeno lib. 3. de diebus decretorijs cap. 7. mirè commen-
„ data, quo loco cum dixisset. Quinetiam à plenilunio ad
„ vsq; occultationem, tempus spatio, quod ab æstate ad hye-
„ mem usq; porrigitur, proportione respondet: sed horum
„ vtroq; bifariam secto in acutis morbis septimana est: in
„ diuturnis clarissimorum siderum exortus: quorum ratione
„ ver, æstas, hyems, & autumnus describuntur. Non etenim
„ pari dierum numero hæc secundum vllius astronomi sentẽ-
„ tiam diuisa sunt, verum manifestis circumflui aëris muta-
„ tionibus distinguuntur; non multo post ita subdit, (græca
„ enim apponam cum locus sit valde obscurus) ἐν δὲ ταῖς ἐν
„ τῷ μηνὶ τέτρασιν, ἀνάλογον αἱ τῶν ὡρῶν εἰσιν, ἑκάστης διχῆ τμη-
„ θείσης μοίρας, καὶ λέγεται πρὸς τῶν ἀστρονόμων ὥσπερ ἀρχή τις
„ εἶναι καὶ τελευτὴ τῶν ὡρῶν ἑκάστης ἐπιτολαῖς, ἢ δύσεσιν ἄστρων
„ ἐπιφανῶν ὁριζομένη κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ μεσότης ἑτέρου
„ πάλιν ἄστρου φάσει διωρισμένη. quo loco manifestum est Galenum verbis illis ἑκάστης διχῆ τμηθείσης, voluisse tum anni

partes

partes quatuor, tum mensis sibi proportione respondere, & bifariam esse diuidendas; ita vt anni ac mensis partes octo colligantur: quamobrem & sic ego locum hunc interpretor.
» Quaternionibus verò mensis anni tempora proportione re-
» spondent, singulis dupliciter diuisis; atq; apud Astrologos
» habetur, sicuti tempora quęq; ortu vel occasu siderum no-
» tissimorum incipiunt ac desinunt, ita & eodem modo alteri-
» us cuiusdam astri apparitione medium eorundem ptęfiniri.
» Nec dissimile est, quod Plinius ex Veterum monimentis lib.
» 18. cap. 25. his verbis notat; Rursus hi cardines (de quatuor
» temporibus intelligit) singulis etiamnum articulis tempo-
» rum diuiduntur, per media omnes dierum spatia & c. his verò octo anni partibus non mensis tantum, sed diei quoq; totidem respondere inferius Theophrasti autoritate demonstrabitur: in quarum omnium articulis, vel ob frigiditatis & caliditatis ortum, vel ob varios harum qualitatum gradus, aëris potissimum mutationes fiunt, & cum eo reliquarum rerum sublunarium: atq; diuisio hęc vt alibi ostendimus, adeo naturę & peripateticę philosophię consona est, adeo Hippocratis & Galeni decretis consentanea, vt nihil supra; sed hæc fusius in disputationibus de Hippocratica anni partitione pertractata sunt: satis enim habeo ea tantum hoc loco breuiter indicasse, quæ ad verba Theophrasti intelligenda erant necessaria.

23 οἷα τὶς ἂν ἦ κατάστασις πλεῖστος.) Prò ἂν Lego οὖν, colligit enim ex superioribus Theophrastus atq; ostendit vim dichotomiæ in Virgilijs, magnumq; subinde aperit nobis arcanum, quod pertinet ad aëris mutationes iudicandas, & prænunciandas; nempe qualis fuerit aeris status & constitutio circa dichotomiam aliquam & dichotomiæ articulum, talem vsq; ad aliam dichotomiam perdurare: exēpli gratia occasus Pleiadum dichotomia est, quia incidit inter duas alias dichotomias, diuiditq; totū tempus, quod inter illas est, in duas partes æquales; æquinoctium enim autumnale & solstitium sequens dichotomiæ sunt, ac totum spatium, quod est inter duo hæc puncta, Pleiades, vt dictū est superius, suo occasu dirimunt æqualiter, igitur dicho-

tomiam faciunt, διχοτομαὶ enim totum illud tempus; itaq; & mutabitur iusta de causa in illa aër, & cum mutatio omnis in contrarium fiat, ex serenitate in pluuias, ex silentio ventorum in eorundem flatum, si modo status ille per autumnum in aëre viguit, mutatio fiet; huiusmodiq; sequens constitutio, ad aliam vsq; dichotomiam permanebit, ita vt maior dierum pars talem experiatur constitutionem. atq; id totum primus inter philosophos, si Plinio lib. 18. credimus, Democritus protulit, qui talem futuram hyemem arbitratus est, qualis fuerit brumæ dies, & circa eum terni, item solstitio æstatem; qui etiam primus, vt idem Plinius testificatur, intellexit, ostenditq; cum terris cœli societatem. Huius rei causa est tum materia ipsa, tum causa agens proxima, videlicet caliditas vel frigiditas, & tantus harum qualitatum gradus, quantus ad mutationé causandam opus est; caliditatis verò aut frigiditatis causa remota, cœlestis est, solis videlicet vel lunæ ad solem ipsum situs. Exempli gratia circa Virgiliarum occasum Theophrasti ætate frigiditas adeo sensibiliter augebatur, vt iam hyemem inchoare posset, quæ insigni & sensibili dominio huius qualitatis constituitur; at frigiditatis quasi materia humiditas est, quamobrem & subsequebatur humiditas; iam enim & pluuiæ incipiebant; & debebant crebriores incipere, quia tantum per id téporis poterat frigiditas in aëre, vt vapores æstate genitos cogere efficacius valeret: nam & hoc est, quod dicebat Aristoteles capitis quarti initio 2. Meteoron, cum sol in orbem feratur, eo propius accedente, calore vapores attolli, longius verò recedente, eosdem antea sublatos iam in aquam ex refrigeratione concrescere, propterea q; aquas hyeme magis gigni ac nocte magis; vnde si fieri mutatio debebat tũc fiebat necessario & κατὰ λόγον, vt Hippocrates loqui solet; atq; mutatio hæc ad alteram vsq; dichotomiam perdurabat; eadem enim agens causa permanens ac viribus iisdem, eundem ex materia eodem modo disposita effectum gignit; quod si mutatio hæc tunc temporis nõ contingebat, argumento erat materiam aut agentem causam non adesse, vel non esse dispositam ob aliquam aliam causam præcedentem;

tem; quamobrem rationi consentaneum erat constitutionē illam aëris, ad alteram vsq; dichotomiam perdurare, videlicet vsq; ad solstitium brumale; quo tempore insigniter rursus augetur frigiditas ob situm solis, & alia mutatio, variata agente causa, aut etiam materiali, in aëre fieri potest. Item occasu Virgiliarum surgere Aquilones prædicabant veteres, vt annot. xi. super tex. 13. libelli de Ventis diximus, & alibi fusius, quod etiam non absq; ratione contigisse certum est; nam antea autumnus Austros non exiguos perpessus fuerat, solent .n. autumno Austri flare vt ibidem de Aristotelis sententia annotauimus; igitur si mutatio fieri in contrarium debet, quod ad ventos pertinet, mutari oportebat statum aëris ex austrino in aquilonium, quoniam Austri Aquilonibus contrarij sunt, quod Aristotelis est prob. 32. sect. 26. nam & propterea Austros excitare Aquilones tanquā contrarios eodem loco annot. 3. in tex. 14. tactum est. noua enim materia poterat tunc ad Aquilonem esse genita, ex qua excitarentur aquilones, cum prior Etesiarum flatibus iam consumpta esset; ac præterea tum partes terræ internæ ad septentriones, ob frigiditatem maiorem ambientis calidiores factæ, vt super tex. 45. libelli de Ventis à me dictum est, poterant Aquilonibus materiam suppeditare. Verum hæc longa disputatione persecuti sumus 3. lib. de Hippocratica anni ratione, quo loco omniū illarum mutationum, quas veteres obseruarūt in toto anno fieri, Hippocratesq; norauit in suis scriptis, causas conati sumus inuenire: hoc enim vno exemplo satis quis poterit ex se percipere, quare circa Pleiadū ortum, circa æquinoctia & solstitia, ac reliquas dichotomias mutationes aëris ætate Theophrasti fieri solerent, ob quam vè causam ab vna in alteram dichotomiam status aëris idem permaneret; quæ res, quod pertinet ad solstitia & æquinoctia, nostris quoq; temporibus locum habet, habebitq; donec cœlū in orbem moueatur: de Virgilijs enim ob earum motum proprium, qui insigniter in tanta temporis longinquitate variauit, alia ratio est; vt in ijsdem libris ostendimus. quibus omnibus addimus hoc alterum tanquam maximè animaduertendum,

hasce

hasce mutationes, quas dichotomiæ portendunt, non in ip-
sis statim dichotomiarum articulis plerunq; locum habere,
sed nónullis diebus (paucis tamé) antea vel post, vt in Apo-
logia, autoritate Theophrasti, Ptolemęi, Plinij, & Columel-
lę sanciuimus; atq; hic rursus alijs Plinij verbis testatissimũ
„ reddere non piget, ita lib. 18. cap. 25. scribentis. Accedit
„ confessa rerum obscuritas nunc pręcurrente nec paucis die-
„ bus, tempestatum significatu quod prochimazin Græci vo-
„ cant: nunc postueniente, quod epichimazin: & plerunq;
„ aliàs citius aliàs tardius cęli effectu ad terram deciduo: vn-
„ de vulgo serenitate reddita, confectum sidus audiuimus: &
ratio quidem in promptu est, materiæ nimirũ inconstantia
& inæqualitas, quæ ob priuationem annexam & corrupti-
bilem conditionem, semper agenti causæ ordinationiq; re-
sistit, & maleficium machinatur; quod Aristotelis est tex.
58 2. de ortu & interitu & sub finem quarti libri de Anima-
lium ortu, aientis, naturam quidem sibi velle, vt cœlestium
viribus omnino obtemperet, sed exquisitè id facere non
posse propter materiæ indefinitionem. potest etiam aliarũ
causarum concursus ordinem impedire; quod ibi eleganter
tangit Aristoteles; vnde dicendum est idem de hisce muta-
tionibus, quas dichotomiæ portendunt his de causis eueni-
re, quod de rebus alijs naturalibus vsu venit, nimirum vt
plurimum sic accidere, vt notat hic Theophrastus, non parũ
tamen à consueto ordine aliquando recedere.

24 κἂν μεταβάλλῃ μετὰ τροπάς.) μετὰ τροπὰς, scilicet
μετάβαλλῃ, hoc enim verbum repetendum est, intelligitq;
brumale solstitium; ac sententia clara est; si enim mutatio
est futura, per id temporis efficietur, quoniam est dichoto-
mia, vt superius diximus, conuersio hyemalis: ac si mutatio
tunc nõ contingat, aër eundem statum vsq; ad ęquinoctium
retinebit, & de reliquis dichotomijs eodem modo. quod si
placeat duas alias dichotomias medias obseruare, nimirum
cum sol aquarij medias partes percurrit ac leonis, & qualis
sit tunc temporis status aëris an maduertere; vt quemadmo-
dum superius dictum est, partes octo anni fiant, vehementer
laudo, ferè enim vt plurimum his temporibus mutatio con-

tin-

tingit; Theophraftus tamen fex partes anni hoc loco tãtum enumerat, aut, vt verius dicam quatuor tantũ, fpatiumq; illud temporis, quod eft inter vtrunq; folftitium ad vtrunq; æquinoctium, indiuifum relinquit; quoniã in præfentia fcopus ipfius eft, quatuor tantum anni tempeftatum initia afferre, ac propterea, præter alias caufas, folas Pleiades commemorat, nec vllum aliud aftrum; ortu enim æftatem, occafu hyemem veteribus inchoabant. dixerat nanq; Theophraftus dichotomias annũ ipfum diftinguere, diftinguunt verò annum quatuor potifsimum tempora, tanquam magnę quędã illius differentię, & mutationes, vt Galeni autoritate ex primo epidimion in Apologia notabamus, quod etiam cap. 7. 3. de diebus decretorijs ab eodem video cõfirmatum; quamobrem illorum initia proprijſsimè dichotomię funt. Dictum eft autem fupra annum totum nil aliud ferè effe quàm hyemem & ęftatem; gradus vero illos actiuarum qualitatum, qui tempora hæc incipiunt, ante vtrunq; folftitium in aëre vigere, vt iam duplex videatur effe hyemis principium & æftatis, vel harum tempeftatum ineuntium, vel cum iam incipiunt effe ἐν τῇ ἀκμῇ: prioris autem temporis initium Pleiades ortu & occafu ætate illa oftendere potuerunt, pofterioris folftitia ipfa; ea propter meritò pręter puncta quatuor cardinalia Vergiliarum quoq; facit mentionem, veris enim & autumni initia æquinoctia demonftrant, atq; quod pertinet ad anni quatuor tempora, perfpicuũ eft inter folftitium ęftiuum, & ęquinoctium autumnale, inter hybernum folftitium, ac vernũ æquinoctium nullam fieri mutationem, nifi rem fcrupulofius perpendamus, quę ftatum aëris adeo mutet, vt nouã afferat tempeftatẽ: quanquã enim poft æftiuam conuerfionem ortu caniculę ingens tunc fieret mutatio, nihilominus tamen æftas erat fequens tempus & dicebatur, quæ veteribus ad Arcturum vfq; perdurabat, fcilicet ferè ad æquinoctium; vnde inquit manifeftè Theophraftus aërem ab vtroq; folftitio ad vtrunq; æquinoctium eundem ftatum retinere: non me tamen præterit apud nonnullos veteres autumni ac veris multo antea fuiffe initia, quã fi ab æquinoctijs hafce tempeftates incipiamus, verum Hippo-

cra-

crates, quem Aristoteles & Theophrastus hac in re, sicut in alijs multis, secuti sunt, vt grauissimis de causis æstatem ac hyemem ante solstitia incipere voluit, ita & superstitiosam hanc, & inutilem autumni ac veris inchoandi rationem prætermisit; sed de causis diuisionis huius alibi fusius disputauimus; satis enim erit hoc tantum cùm ex his, tū ex ijs, quę ad finem annot. 22. disseruimus colligere, triplici tandem de causa Virgilias, nō aliquod aliud astrū, à Theophrasto hoc loco commemorari; nimirum quia cum sole consentirent, secundo quia ab illarum ortu ad occasum sex erant menses, tertio quia ęstatem ac hyemē, vt modo dicebamus, inchoabant: enimuerò, ob illam, quam cum sole habebant concordiam, eo tempore oriebantur, in quò sol mediam inter vernum æquinoctium & solstitium æstiuum distantiam obtinebat, ideoq; solæ poterant æstatis initium præmonstrare: ac eadem causa non diurnum tantum, sed longiorem statum aëris videlicet ad solstitium vsq; significare, consentientes enim cum sole duas dichotomias æqualiter diuidebant; quia verò menses sex inter illarum ortum & occasum erant, poterant etiam hyemis initium ostendere: quod si quæ nunc dico fortasse noua his temporibus esse videantur & inaudita, quæso lectores accuratè Hippocratis Aristotelis Theophrastiq; monimenta perpendant, & quæ de anni, mensis, ac diei partibus annotarunt, diligenter considerent, harumq; diuisionum causæ animo versentur, deinde indicent; neq; enim nisi magnis rationibus permoti, tam religiosè tempora hæc maximi illi viri partiti sunt, ac obseruarunt; quæ res temporibus nostris prætermissa, philosophiæ quidem, sed præsertim medicinæ, pristinæ laudis plurimum eripuit. Verum vt ad nostra reuertamur, ex hac quidem Theophrasti disputatione, (vt obiter hoc etiam, non prætercam) satis claret, quibus permotus rationibus, quauè nixus autoritate Ptolemæus cap. x. 2. de Astrorum Iudicijs, aduersus nonnullos decreuerit, non alterum tantū, ex quatuor cardinalibus punctis, ad aëris status, ac mutationes prænoscendas, ad annuasq; conspectiones, obseruandum esse, sed conuenientius ac naturalius, vt ipse inquit, singula

qua-

quatuor principia esse contemplanda, hac tamen methodo, vt præcedentes, æquinoctia & solstitia luminarium Syzygię, interlunium scilicet vel plenilunium obseruentur, atq; ita ab Arietis principio iudicium fiat de statu veris, de æstate à Cancro, de autumno à Libra; de hyeme à Capricorno: perspicuum enim est hæc omnia ex his Theophrasti fontibus Ptolemæum hausisse; atq; dichotomiarum ratione & partiendum esse, & contemplandum annum voluisse: Verum hæc de annuis mutationibus; menstruæ nunc sequuntur.

25 ὡς δ' αὔτως ἔχει καὶ πρὸς τὸν μῆνα ἕκαστον.) Agit nunc de menstruis mutationibus, quas etiam in dichotomias refert, tanquam in suas causas: mensis enim vt dictum est à luna regitur ac pendet, quatenus cum sole configuratur; quãobrem iurè dichotomias mensis nil esse aliud scribit Theophrastus, nisi lunæ ad solem ipsum configurationes, atq; luminum aspectibus distingui mensem statuit: non recenset tamen ipse omnes, sed vnam relinquit configurationem, nouilunium tantum sextilem quadratum ac plenilunium assumens, quod Aratus quoq; fecit, fortasse quoniam, vt Galenus 3. de diebus decretorijs cap. 3. notat, luna curua & prætumida, existente nulla in aëre contingit mutatio, quæ sit digna obseruatione; vnde & hac de causa Aratus quoq; Galeno teste aspectum hunc prætermisit.

26 διχοτομοῦσι γὰρ οὔτε πανσέληνοι.) Vides nè rationem hoc loco afferre Theophrastum, cur aspectus isti sumendi sint ac obseruandi? sunt enim dichotomiæ, ac mensem partesq; illius in duas æquales portiones distinguunt: ac primum Plenilunium mensem vniuersum partitur æqualiter in duas partes; nam cum à nouilunio sit inchoandum, tanquã à principio, vt Theophrastus monet, mensis videlicet, & mutationis, quæ in aëre fieri solet; à nouilunio ad plenilunium mensis dimidium intercedit: quadrati radij, quos διχάδας vocat, nouilunium & plenilunium seiungunt; sextiles, quos τετράδας nominat, distinguunt nouilunia & quadraturas: trini aspectus, quos relinquit, diuidunt quadraturas & plenilunia; atq; in his omnibus articulis aëris status mutari solet in menstruo spatio: sed in nouilunijs ac ple-

plenilunijs potissimum, minus per quadraturas: atq; hæ quidem configurationes mensem in partes octo distinguũt, partibus (vt superius ex Galeno dicebamus) octo anni proportione respondentes, de quarum temperatura infra dicã.

27 ὥστε ἀπὸ νουμηνίας.) νουμηνία nouilunium est, ab eoq; tanquam à principio contemplationis initium sumendum esse monet Theophrastus: est enim duplici ratione principium, tum mensis, quia Græci à nouilunio mensem inchoabant, tum mutationis aëris: hinc apud Ptolemæum cap. 10. lib. 2. νουμηνία anni commemoratur; sicuti enim menstrua numinia initium mensis est, ac primus mensis dies, in quo cadit nouilunium; ita & anni numinia initium anni dicitur, ac primus anni mensis in quo nouus annus incipit:

28 μεταβάλλει γὰρ ὡς ἐπιτόπολύ.) Verba hæc sunt maxime notanda, vt potè quæ Galeni mentem de maxima re apperiant 3. de diebus decretorijs, non satis à Manardo ac Pianerio perspectam, nisi hallucinor: inquit enim hic Theophrastus lunam vt plurimum quartam terrenis rebus mutationem afferre; siquidem verbis illis μεταβάλλει γὰρ τετράδι, subaudiendum est ἡ σελήνη, vt sensus sit, lunã circa sextilem plerunq; cũ scilicet corniculans est, & falcata, statum aëris permutare; ac nisi circa quartam fiat mutatio hęc, circa octauam, per quadraturas scilicet expectandam esse monet Theophrastus; quemadmodum de mutationibus in æquinoctijs & solstitijs, ortu occasuq; Virgiliarum factis supra protulit: enimuerò quem aëris statum affert mutatio, quæ fit in nouilunio; aër eundem retinet vsq; ad sextilem, & nisi tunc temporis mutatio eueniat, durat status ille ad quadraturam vsq;, quod totũ decimotertio cap. 2. de Astrorum iudicijs Ptolemæus quoq; testatus est his verbis eleganter, vt ego interpretor.

„ ad diuturniores quàm diei vni-
„ us sint status aëris dignoscendos, configurationes lunæ cum
„ sole obseruandæ sunt, nam singulæ vt plurimum vsq; ad
„ proximas prænunciare consueuerunt; quin etiam & ante illum Aratus in Phœnomenis his carminibus.

Σήματα δ᾽ οὔτ᾽ ἄρα πᾶσι ἐπ᾽ ἤμασι πάντα τέτυκται.
Ἀλλ᾽ ὅσα μὲν τριτάτη τετάρτῃ τε σελήνῃ

Μέσφα

Μεσφα διχαιομένης, διχάδος ἥμαρ, ἄχρις ἐπ᾽ αὐτὴν
Σημαίνει διχόμηνον, ἀτὰρ πάλιν ἐκ διχομήνης
Ἐς διχάδα φθιμένης. ἔχεται δὲ οἱ αὐτίκα τετρὰς
Μηνὸς ἀποιχομένου, τῇ δὲ τριτάτη ἀπιόντος.

Quod est ex Rufi Auieni interpretatione

Non vnum deprehensa diem tibi signa loquuntur
Nec vulgo in cunctis adsunt præcepta diebus
Sed quæ signa nouo dederit mox tertia in ortu
Quarta vè, sustollit medios dum Cynthia vultus
Durabunt cœlo medio, quæ edixerit ore.
Ille aliâs trino conuoluit tramite lunam.

„ quò loco sic Theon in cõmentarijs vt ego interpretor Quæ
„ signa à tertia aut quarta sumuntur vsq; ad octauam locum
„ habent, quæ ab octaua vsq; ad decimam quartam, ab hac
„ autem vsq; ad secundam quadraturam, ab hac ad tertiam &
„ quartam apparentis, ità enim hæc ordine copulantur. ho-
„ rum autem causam Pythagorici numerum septenarium esse
„ dicunt, naturalissimum ac admirabilem illum prædicantes.

Iam verò quod attinet ad Theophrasti verba, non sunt ita quidem accipienda, vt dicant quartam lunam vt plurimum mutationem rebus inferre, quasi cum silet ac soli iungitur nullam afferat, quod sensisse Galenum citato loco eruditi illi viri censuerunt, verum sententia est, vt plurimum statum illum, quem aër à nouilunio habet ad sextilem, circa sextilem ipsum permutari; nimirum quia mutatio facta in nouilunio, non amplius quàm ad sextilem vsq; durare soleat; nam & mutari aërem circa nouiluniũ apertissimè Theophrastus testatus est, cũ dixit ab interlunio tanquam à principio contemplationis initium esse sumendum, & mox à quarta ad numinium videlicet ad coitum & interlunium esse redeundum: quo modo si Theophrasti verba accipiamus, Galeni locus ille 3. de diebus decretorijs facile enucleari poterit, qui ita Planerium, torsit vt nihil supra: verũ quoniam res magni momenti est, ac tanto autori imponitur, quod ipse nunquam sensit, mentemq; Galeni hac de re percepisse plurimum conducet nobis ad totam hanc Theophrasti disputationem intelligendam, atq; ad firmandam verita-

tem hanc, quam hic astruit autor, ingentes interlunio fieri mutationes, ideo Manardi ac Planerij explicatio diligenter afferenda est, & pro virili refellenda. Manardus igitur vir eruditissimus, acerrimusq; astrologicorum dogmatum hostis epistola 5. libri 15. Galeni mensem medicinalem euertens, ipsiusq; & aliorum omnium sententiam explodens, qui dierum crisimorum rationes naturales cũ reddere non posse viderentur, tanquam in aram confugerunt ad astra, dicit, Galenum 3. de diebus decretorijs scriptũ reliquisse, lunam dum luce caret, quod magna ex parte tribus diebus à coitù ait contingere, ea quæ apud nos sunt alterare non posse; vnde & paulò post subdit, ex hoc sequi, quocunq; morbi die nouilunium euenerit, vt nulla alteratio perpetuo triduo in hæc inferiora à luna fiet, ita,& nullum eo tẽpore posse eius virtute in morbis iudicium fieri. Planerius cum hæc legisset apud Manardum, longius rem totam persecutus in opusculo dubitationum in tertiũ Galeni de diebus decretorijs cap. 5. scribit, Galenum, licet Medicorum omnium post Hippocratem facilè principem, ei nihilominus ansam dubitandi quandoq; attulisse; sed præsertim cap.
„ 4. tertij illius operis vbi ita notatum reliquit. Plerunq; tri-
„ duo in coitu solis remorata planè inuisibilis est, quò non
„ dum hæc terrena immutare potest: cum enim his verbis duo videatur Galenus asserere, alterum lunam in coitione cum sole tribus diebus omnino, vel maiori ex parte in tenebris immorari; alterum, eò tempore quò delitescit, terrena hæc non immutare, vtranq; propositionem in dubium vocari posse vel ex ijsdemmet Galeni dictis; enimuerò quod ad primum pertinet, satis clarum esse inquit Planerius in astrologica schola, lunam non semper triduo sine lumine esse, sed aliquando citius aliquãdo serius apparere pro signiferi medietate, quam percurrit, ac pro motus & latitudinis suæ ratione: de secundo verò, de quo longe maior dubitatio est, inquit primum, falsum esse lunam, cum lumine caret hæc inferiora non alterare, ipsa enim, si non lumine, motu saltem per id temporis immutare, cum corpora cælestia lumine & motu agant 2. Cœli 42. apud Aristotelem, propterea sim-

simpliciter dicendum non esse, lunam in coitione cum sole terrena hęc immutare non posse. Secundo, capite 12. eiusdem Opusculi eadē Galeni verba rursus perpendens ostendit contraria Galenum protulisse: cum enim scripserit sic
» cap. 3. vehementiores itaq; mutationes eueniunt vbi ipsa
» cum sole coit, insuper in apparitionibus plenilunij: & mox;
» Nam validissima eorum, quæ prius erant mutatio coitu lu-
» næ & dum obscurascit comittitur: & paulò post; An in ple-
» nilunijs conuersiones, & his adhuc magis in congressibus
» proprium hoc præter cæteras habent, illæ siquidem celer-
» rimas statim mutationes faciunt, coitiones verò seu con-
» gressus inæquales & diuturnas; & tandem concludendo.
» ratione igitur breues plenilunij mutationes sunt, diutur-
» næ coniunctionales: cum inquam ita scripserit Galenus, satis est perspicuum contrarium omnino his verbis explicare; nempe in coitu lunam ingentes efficere mutationes; cum tamen id ipse negare visus sit in supra allata oratione; quam etiam sententiam cap. 9. eiusdem tertij confirmauit ita scri-
» bens: sinè enim à triginta, tres illos coitus dies in quibus
» nil de aere decernitur auferre cogites; & c. Sed nec alia cōtradictio circa lunarium aspectuū vim in hæc inferiora prætereunda est, quam Planerius eodem opusculo in Galeni dictis notat cap. 13. de curuis enim & falcatis configura-
» tionibus sermonem habens Galenus, ita scripsit cap. 3. at
» omnium extremæ obscurissimæq; aëris nos ambientis con-
» uersiones in falcatis in curuisq; apparitionibus fiunt. sed
» cap. 5. infra palinodiam his verbis videtur cecinisse. Cæ-
» terum aëra nos ambientem magnas afferre mutationes, dum
» luna primum occultatur, & rursus primum apparet, nemo
» mortalium ignorat. iam enim tum primum vel occultari,
vel apparere lunam cum gerit cornua, & falcata est, videlicet circa sextilem configurationem satis est perspicuum. Hæc Planerius; quarum sanè difficultatū priorem vt è medio tollat, primum multa ex astrologica schola adducens de causis ocyoris seu tardioris lunæ apparitionis, ita postea
» cap. 5. respondet. Non negaret igitur Galenus quin luna,
» & citius & tardius, sed si ante tres dies appareat, eius lumē

est

„ est adeo paruum, & obscurum, vt nullam omnino vel debi-
„ lem rebus mortalibus impressionem faciat; vel etiam dicen-
„ dũ, quod quum Galenus dixerit, plerunq; , & citius & tar-
„ dius, eam quandoq; apparere voluerit. Vt secundum diluat cap. 12. primò nonnullorũ responsionẽ affert; eamq; refellit, qui dicebant lunæ actionẽ, in hęc inferiora fieri plenilunio propter luminis presẽtiã, in cõiunctione verò propter eiusdẽ absentiã, quemadmodũ solis præsentia calor, absentia frigiditas producitur: confirmabantq; respõsionẽ hanc Aristotelis autoritate 2. phy. tex. 30. scribentis nautæ præsentiã salutis causam esse, absentiã submersionis: argumentatur autẽ Planerius aduersus istos inquiens hanc solutionẽ nec philosophiã sapere nec tollere contradictionẽ; solẽ enim & lunã per se calorẽ lumine, ipsum verò solẽ recessu suo, lunam priuatione luminis per accidens non per se causare frigiditatem, sicuti & absentia nautæ per accidens causa est submersionis; cum vnius effectus per se, vnica sit per se causa efficiens non plures, ac si duo vnius effectus causæ reperiantur, altera semper sit per se, altera per accidens, si verò ambæ sint per se, altera vniuersalis & remota, altera particularis & coniuncta, propterea non posse lunam, quatenus expers luminis est, interlunij tempore aut crisim aut aliam aliquam mutationem in hæc inferiora per se causare; effectum enim per se positiuũ semper produci à causa per se positiua: qua explicatione in hunc modum repudiata, sic è medio tolen-
„ dam ipse censet contradictionem, vt verbis illis supra alla-
„ tis, vehementiores itaq; mutationes & c. dicamus Galenum agere de mutationibus, quæ in luna fiunt solaris luminis respectu, cum scilicet vel plena est, vel media portione diuisa, vel repente nulla; non de mutationibus illis, quæ ab ipsa fiunt in hisce inferioribus; eodem sensu alia Galeni il-
„ la tertij capitis accipienda esse inquit. At in plenilunijs
„ conuersiones, & his adhuc magis in congressionibus & c. de mutationibus enim, quæ in luna fiunt, non de his quas luna facit in hæc inferiora agi hoc quoq; in loco à Galeno arbitratur; Demũ ad posteriorem contradictionem inquit Galenum atq; ante ipsum Aratum, à quo Galenus illa om-

nia

nia accepit, non voluisse lunam simpliciter, quando apparere incipit, ingentes mutationes prænunciare, sed cum apparuerit cum aliquo illorum signorum, quæ Aratus commemorat; nimirum cornu alterum resupinatum habuerit, vel erectum, ignea fuerit vel atra; propterea Galenum, cũ scripsit, obscuras tum fieri mutationes intellexisse id habere veritatem, cum sine vllis signis se luna primò conspiciendam nobis præbet: vbi verò affirmauit, portendi per id temporis ingentes, secundo modo intellexisse. Verum ego (quod bona venia ipsius dixerim) aliá omnino Galeni mentem fuisse existimo: enimuerò quod attinet ad primam difficultatem, si ea, quæ à Purbachio in Theoricis Planetarum de causis ocyoris seu tardioris lunę apparitionis traduntur animo versemur; subtilissimè verò ab insigni artifice Erasmo Reinholdo in Commentarijs disputantur, ad quæ breuitatis gratia lectorem amandamus, videbimus lunam non diutius quàm trium dierum spatio permanere posse occultatam; ita vt quarta die in longiori mora appareat: item cum tres sint causæ ocyoris apparitionis illius, declinatio siue obliquitas Zodiaci, & horizontis; latitudo lunæ ab ecliptica; ac veri motus ipsius celeritas; atq; si tres causæ in vnum conspirauerint, eadem die etiam artificiali vt Reinoldus ostendit & noua, & vetus conspici posit; quod tamen rarissime euenit, vnde Lynceo fama cernendi exorta est, vt Plinius lib. 2. cap. 17. notatum reliquit; si verò omnes aduersentur, quatriduum desideretur, id est, vt Erasmus doctissimè explicat, sic tamen, vt totum triduum, quod pręcedit synodum, aspectu eius careamus; si duæ causę concurrant, secunda die; si vna tantum, tertia oculis notari posit; si hæc inquam omnia acuratè perpendamus, clarum erit legentibus Galeni verba capitis 4. initio, ipsum tres omnes hasce causas eleganter tradidisse, & lunamq; nõ semper eodem tempore, sed ocyus aliquando, aliquando serius apparere, pro harum causarum consensione vel dissensione, protulisse. Cæterum quoniam consilium erat ipsius ex totis triginta diebus, tres adimere dies, vt mensem illuminationis, vt ita loquar, cum periodico mense congruere demonstra-

monstraret, propterea cum superius de aspectibus lunæ omnibus disseruisset, atq; in eorum articulis mutari statum aeris docuisset, monens in coniunctione tamen incertum esse de mutatione ipsa, iudicium, quæ tunc in aere efficitur, vnde & mutationem hanc inæqualem & diuturnam appellauit, quia luna non conspiciatur, nec quidquam fit, vt ipse inquit, quod manifestò antequam luna appareat prenunciari possit: hæc inquam omnia præfatus Galenus capitis 4. initio inquit primum, totum iudicium ac certum futuri status aeris totius mensis secunda die esse, in quo prima & manifesta luna apparet; quo loco insigne interpretis erratum notare possumus, qui Galeni verba, ad morborum crisim retulit; atq; ita transtulit ipsius orationem. Tuta igitur crisis euadet, cum in toto mense status in secunda die accidet: cum tamen Galenus græcè ita loquatur ἀσφαλὴς οὖν ἡ κρίσις ἀποτελεῖται τῆς ἐν ὅλῳ τῷ μηνὶ γενησομένης καταστάσεως ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἡμερῶν, &c. atq; horum verborũ vera hæc sit interpretatio: certum igitur iudicium futuri status totius mensis secunda die promitur &c. quæ cum dixisset Galenus statim de prima die sermonem habens, docet quare incertum in ea sit iudicium, mox diem secundam, ob causas quas affert, aptissimam esse ad iudicandum confirmans, ne quis crederet lunam secunda die semper apparere, subdit aliquando ocyus, aliquando serius ipsam conspici, & causas à nobis supra ex Purbacchio allatas in mediũ profert. quibus sic explicatis ita concludit τοῦ πλεῖστον δὲ τρεῖς ἡμέρας τὰς περὶ σύνοδον ἡ ἀόρατος γίνεται τελέως, quæ verba nõ ita ego accipio, vt Galenus dicat lunã sæpissimè triduo in coitu solis remorari, quemadmodum credidit interptes, atq; quod magis mirum est, doctissimus Manardus, & græcarum litterarum scientissimus, qui epist. 5. libri xv. Galenum his verbis protulisse scripsit, lunam magna ex parte tribus diebus à coitu luce carere; quam etiam opinionem Planerius, vt vidimus, secutus est; verum arbitror ego Galenum longissimos occultationis limites exprimere voluisse; tribusq; diebus lunam luminis expertem permanere dixisse, vt mox concluderet tempus actionis ipsius, id est illumina-

tionis

tionis mensem, & tempus peculiaris circuitus, scilicet mensem periodicum in vnum ferè redire, quo pacto si Galeni locus accipiatur patet nullam esse in eo difficultatem, quamobrem & verba sic erunt interpretanda; In totum autem luna
„ tribus diebus circa coitionem inuisibilis permanet. aduer-
„ biū enim illud, τοῦ ἀπαν, significare hic, ὅλως, id est omnino & in totum, vt sæpisimè solet apud græcos autores, non ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, id est vt plurimum, quod longè minus frequens est, satis ex ijs quę diximus atq; ex tota Galeni disputatione, disputationisq; ipsius scopo fit perspicuum; cum enim quatuor sint tempora lunaris apparitionis, patet prima die, & quarta ineunte ratissimè contingere vt luna conspiciatur, quoniam difficile est omnes causas vel simul consentire vel dissentire; itaq; falsò Galenus asseruisset, sæpissimè tribus diebus sine luce lunam esse; ita enim sæpissimè quarta ineunte appareret: quin etiam & vnam tantum causam habere locū non est facile; quod verò duæ simul coeant id sæpissimè euenit, vnde & frequentior apparitionis terminus, vt Fracastorius quoq; in Homocentricis cap. 20. docuit, secunda erit dies, quemadmodum perbellè Galenus indicauit, ipsam præ alijs accipiens: cæterum his ita constitutis palā est Planerij responsionem nullā esse; enimuerò primum valde alienum est à Galeni mēte, lunam, si ante tres dies appareat, ob luminis imbecillitatem nullam omnino vel debilem rebus mortalibus facere posse impressionem; quandoquidē Galenus mutationes, quæ circa coitionem fiunt, non luminis abundantia & calore effici, sed eiusdem carentia, & frigiditate voluit vna cum Hippocrate & Aristotele; vnde lunam, cū primum apparet, magnas ostendere mutationes pronunciauit, quoquò tempore id lunæ contingat: deinde eodē loco paulò supra ante tertiam, scilicet secunda die lumen ipsius aptissimum esse ad prænunciādum de totius mensis statu affirmauit, ergo de quacunq; mutatione siue magna siue parua. demum hoc totum nil facit ad tollendam difficultatem; esto enim vt hæc omnia Planerio concedamus, adhuc remanet dubitatio, quo sensu veritatem habere possit Galeni dictum, lunam plerunq;

triduo inuisibilem permanere. Secundo quod subdit Planerius aduerbium, plerunq; , ostendere, & citius & tardius aliquando lunam posse conspici Galenum voluisse, hoc potius dubitationem anget quàm conuellat; quod enim toto triduo plerunq; careat luce luna, & solis radijs occultata maneat, hoc falsum esse superius ostendimus; ita enim sæpissimè omnes causæ apparitionem remorantes simul cõspirarent, quod valde abhorret à ratione. Ad secundam difficultatem dicimus nullo modo huius viri explicationẽ admitti posse, cum, totam Galeni disputationem legentibus, luce meridiana clarius fit, eum, vno excepto loco, videlicet cap. 2. vbi inquit lunam ex recessu, quem facit à sole, omnes habere mutationes, in reliquis semper de mutationibus, quas luna rebus impartit, non de ijs, quas ipsa patitur intellexisse; atq; (vt alia loca interim silentio prætercam) de eo, quem præ manibus habemus id satis est perspicuum; enimuerò Galenus cum 2. capite plura ad solis & lunæ vim in hæc inferiora ostẽdendã protulisset, solisq; potestatem cæteris longe esse excellentiorem demonstrasset, concludens solem tanquam regem esse maximum rerum sublunarium; easq; ex se moderari, regere, & permutare nec vllo alio sydere egere; lunam verò tanquam principem quendam non mediocrem, sed tamen in omnibus solis opè indigere, statim 3. cap. solem annum totum regere & temperare, lunam verò dies quoq; mensis gubernare subdit, ac disponere, vt quæ partic mutationis potestatem habeat, atque hanc non simpliciter sed quatenus à sole aspicitur: quibus constitutis verba statim subdit, de quibus impræsentia
» dubitamus, inquiens, vehementiores itaq; mutationes & c. quibus nemo inficias ibit, de mutationibus, quæ à luna fiunt in hisce inferioribus disputari, ob quatuor potissimum rationes, quarum prima est, quoniam inutiliter de mutationibus, quas luna recipit, fieret repetitio, cum iam superius de illis actum fuerit: secunda, quoniam ea quę superius dicta sunt ad mutationem rerum, non lunæ, spectantia, de mutatione ipsa, quæ in inferioribus fit, sermonen haberi
» monstrant; tertia, loquendi ille modus Galeni patuæ mutationis

tionis potestatẽ habens, & c. id fateri nos cogit; verba enim hæc actionem in luna ostendunt, ac vires in agendo, quæ actionis, cum lumen recipit solis, & quatenus illud recipit, nullum in luna est vestigium, quoniam tunc patiatur potius, quàm agat aliquid: quarta denum & postrema, vox illa ἀλλοιωσις, qua vtitur Galenus, dum hæc tractat, & altera illa τροπὴ, hoc idem latissimè probant, quarũ posterior hæc mutationes in aëre ab astris factas perpetuò dicit, vt apud Ptolemæum, Proclum, ac alios græcos autores videre possumus, qui de his rebus disseruere; prior verò de inferioribus rebus maximè videatur veritatẽ habere; quamobrem dicendum erit aliam omnino esse Galeni mentẽ, nempe coitu lunæ inferiora hæc magnam pati alterationem deficiente lumine, quod & ipse quoq; apertè statuit inquiens 2. cap. lunam ipsam muliebria moderari, & commouere, quod quidẽ in coitione potissimum cõtingere ob luminis priuationem & ex consequenti ob frigidiorem mensis partem Hippocrates primum libello de Natura Pueri, Aristoteles verò postea 4. de Animalium ortu cap. 2. memoria prodidit; vt nullo modo probabile sit à tantis præceptoribus Galenum desciuisse. Cum verò scribit lunam circa coitũ tribus diebus sine lumine esse, ac per id temporis non tantum habere virium, vt possit hæc nostra alterare, dupliciter verba intelligi possunt, ac vtro modo intelligantur, omnis, vt reor, tolletur contrarietas. Primum, quia tribus expletis à coitu diebus, quarta currente, sextilem efficit luna cum sole configurationem, iure tribus à coitu diebus nullam fieri à luna alterationem scribit Galenus; terrenis enim rebus luna mutationem infert vt plurimum quarta, quemadmodum superius ex Theophrasto monebamus; vnde tribus præcedentibus diebus non potest, aut minus potest aërem alterare: in aspectibus enim ipsis & dichotomijs potissimum alterationes fiunt vt superius vidimus; atq; hoc pacto sententia erit, res naturales circa lunæ coitum mutari, inde verò teris tribus diebus, quibus luna sine lumine esse solet, nullam fieri mutationem, quoniam circa quartam effici mutatio debeat: quæ tamen omnia vt plurimũ locum habere di-

cenda sunt, cum alioqui omnibus diebus mensis, non in ijs tantum, in quibus aspectus cadunt, mutari possit insigniter ob materiæ inordinationem status aëris: Secundo, quia cap. 3. de tempore coitus, Galenus sermonem habens dixit,
„ οὐδὲν γὰρ ἔχεις σαφῶς ἀποφῆναι, πρὶν φανῆναι τὴν σελήνην. id
„ est nil.n. apertè prænúciare poteris antequã luna appareat; non incongruè affirmabimus locum de quo agimus non esse simpliciter intelligendum, vt scilicet sensus sit, lunam circa coitum hæc inferiora non alterare, videlicet nullo modo alterare; sed subaudiendum erit ex superioribus aduerbium, σαφῶς, quò pacto erit sententia, lunam in coitu non alterare manifestè, quod est, adeo, vt à nobis possit, de mutatione quam portendit, indicium sumi ab ea vllum; vnde alterabit quidem luna de Galeni mente terrena hæc circa coitionem; sed alteratio illa, quia lumine caret, non poterit, antequam fiat, à nobis præuideri, qui ex lumine, & colore eius, cornuũq; figura, & conditione, alijsq; eiusmodi signa captamus futuræ mutationis, vt propterea mutatio hæc iure & meritò ἀνώμαλος, id est inæqualis, & χρονία, id est diuturna ab eo dicatur; enimuerò vt ipse subdit, nil de mutatione hac aperte prænunciare possumus antequam luna appareat, atqui apparitionis tempus inæquale est & multum variumq;, vt mox idem monstrat, quamobrem & mutatio necessario inæqualis ac diuturna; alteratio enim, quã rebus terrenis luna cum sole cõgrediens affert, vt plurimũ, postquã ipsa apparuerit solet euenire, vnde & ex signis, quæ circa apparitionis tempus in ea obseruantur, præuideri potest; Explicationem hanc posteriorem, locus, quem Planerius ex nono capite ad roborandam cõtradictionem affert, mirificè comprobat ac scrupulum omnem tollit, tantum abest vt augere difficultatẽ videatur; enimuerò loquitur græcè sic Galenus. eo loco
„ εἴτε γὰρ ἀπὸ τῶν λ βουληθείης ἀφε-
„ λεῖν τὰς τρεῖς ἐκείνας τὰς ἡμέρας τὰς περὶ σύνοδον, ἐν αἷς ἔτ'
„ ἄκριτον ἦν τὸ περιέχον. Cuius loci interpretatio est ad verbũ,
„ siue enim à triginta diebus auferre volueris tres illos dies
„ circa coitũ, in quibus ambiẽs aër sine iudicio est & c. at hic quid quæso inquit Galenus, quod modis omnibus nobis

non

non suffragetur ? quod enim aër in coitu iudicari non possit satis est perspicuum : cum enim veteres, quemadmodum ex Arato constat, ex colore faciei lunæ circa quartam diem atq; ex cornubus ipsius iudicium sumerent, manifestum est, quando lumine ipsa caret, nullum posse fieri de aëre iudicium : atqui aliud omnino est ac longè dissentaneum, nullam fieri interlunio mutationem ; quod falsò Manardus & Planerius Galeno imposuere ; neq; id vnquã Galenus ipse tanquam sensui & rationi contrarium somniauit ; aliud mutationem, quæ tunc efficitur, incertam esse, ac inæqualem, & antequam luna appareat sine indicio; quia luna radijs solis occultata conspici nequeat ; quod quidem ipse Galenus verissimè affirmauit : verum Planerius cum vidisset Inter-
» pretem ita locum transtulisse, siue enim à triginta tres illos
» coitionis dies in quibus nil de aëre decernitur auferre co-
» gites & c. arbitratus est idem esse apud Galenum nil decernere nos posse & iudicare triduo illo de futura mutatione ; & nullam rebus inferioribus lunam per id temporis mutationem inferre, quæ tamen inter se maximè distant. Quæ verò Planerius affert de causis per se & per accidens, hoc loco consultò præterimus, cum longiorem requirant indagationem ; satis enim erit si dicamus, licet luminis fortasse respectu per accidens sit, tum in sole, vt eius abscessu, tum in luna vt priuatione luminis frigiditas causetur, non tamẽ per accidens esse id beatarum mentium ratione, quæ solem ipsum ac lunam mouent, & quarum sidera hæc instrumenta sunt ad inferiora commouenda, atq; ita variè mouent, vt hisce varietatibus ortum rerum & interitum causent, reddantq; perennem ; vnde in coitu lunæ & ipse aër, & res quę eo circundantur mutationem omnino patientur, nec vlla alia ratione, nisi quia tunc lumen desit illius : neq; id cœlo ac beatis mentibus per accidens erit, quia actio artifici primò, non instrumento est tribuenda; quo quidem posito facile etiam allata tolli hoc modo potest dubitatio vt dicamus lunam, cum silet, inferiora hæc non commutare lumine, scilicet Galenum intellexisse ; non tamen ob id negasse, quin eius desinente lumine mutatio aliqua fiat: longe enim aliud

est

est dicere in coitu lunam lumine nullam causare mutationem posse, quod vero maximè non entit, cum nullum tum luna habeat; aut nullam fieri per id temporis mutationem affirmare, quod à veritate est alienum. Postremam demum contradictionem tollimus ex eo, quòd aliud omnino Galenus intelligit per nouam lunam, aliud per falcatam & cotniculantem; vnde & cap. 2. alteram ab altera distinguit; atq; mens Galeni est in falcatis apparitionibus, scilicet circa sextilem, obscuras fieri mutationes, cum autem prima luna ac noua apparet, ingẽtes fieri, quia hæ plerunq; sint coitus mutationes; iam enim didicimus ex Ptolemæo 2. de Iudicijs astrorum, in coitu & Plenilunio, lunam triduo ante, ac post obseruandã esse, quia tot diebus mutationes, quæ in articulis illis solent euenire, vel maturare posint, vel remorari: quamobrem & aliquando mutatio in sextili facta à nouilunio prouenit, atq; magna propterea esse potest, quod Galenus contuens, in sextili quoq; magnas interdum fieri mutationes pronunciauit. Verum hic finis annotationis huius esto, hac enim in re longiores fuimus, quàm decreueramus, vt optimi autoris mentem explicaremus, atque veritas hæc maneret inconcussa, quam hoc loco ponit Theophrastus, interlunio videlicet inferiora hæc insigniter affici, & alterari, nec alia vlla ratione, nisi quia lumen lunæ deest: non tamen omnia, breuitati consulentes, vt quæstio ipsa & Galeni verba requirebant, declarauimus; sunt enim plura. de quibus eo loco apud Galenum dubitare quis posset, sed iniuria quidem, vbi rectè fuerit ipsius mens animaduersa, quæ fortasse alibi fusius à nobis enarrabitur.

29 ὡς δ᾽ αὔτως (καὶ) τὰ τῆς ἡμέρας.) Diuisio anni & mensis explicata est, horumq; temporũ dichotomiæ enarratæ sunt: nunc diei partes & dichotomiæ recitantur: vt autem clarius Theophrasti mentem hoc loco assequamur, ex Ptolemæo lib. 2. de Astrorum iudicijs repetendum est, sex temporum differentias inueniri, de quorum futuro statu prænunciatur. Prima, vt ibi eleganter declarat Ptolemæus, ex deliquijs luminum pendet, ac plurium annorum potest mutationes indicare; atq; hæc generalis quædam prædicendi forma à

Ptole-

Ptolemæo dicitur. Secunda, particularis ab eo dicta, ad tempora anni quatuor spectat, & annuarum mutationum est prænuncia; sumiturq; hæc à cardinalibus punctis, æquinoctijs videlicet & solstitijs, ac proximè præcedentibus interlunijs vel plenilunijs, vt superius ex Ptolemæo declarauimus. Tertia de totius mensis futuro aëris statu decernit, quæ ἡ μηνιαῖα ἔφοδος, id est menstrua ratio cap. 12. dicitur à
» Ptolemæo, atq; sic ab eo luculenter docetur: Altera ratio
» est, inquit, menstrua qua consideranda sunt in singulis simi-
» liter signis interlunia & plenilunia. hoc solo obseruato, si
» interlunium forte antecesserit proximè punctum tropicum
» aut æquinoctiale, vt interlunijs illo toto quadrante vtamur,
» sin plenilunium vt plenilunijs. Considerandi & cardines &
» vtriusq; loci dominatrices stellæ inq; primis applicationes,
» defluxionesq; errantium stallarum earundemq; propieta-
» tes, necnon & locorum quosq; ventos, quæq; stella ac quæ-
» que signorum partes, in quibus illæ fuerint, commoueant;
» Preterea in quem ventum latitudine sua inclinet luna in ob-
» liquitate eclipticæ, de quibus omnibus notatis potioribus
» mensium generales status ac ventos prænoscere poterimus.
Quarta de mẽsis partibus indicat, ac iuxta lunæ cũ sole cõfi-
» gurationes sumitur, de qua citato loco sic Ptolemæus. Ter-
tia ratio est subtilioris cuiusdam obseruationis intensionũ
» ac remissionum. In hanc cadunt configurationes solis &
» lunæ particulares, non solum interlunij, & plenilunij sed
» etiã horum mediæ id est quadratæ. Vbi animaduertendum
» ante tres ferè dies omnium tempestatũ significationes exi-
» stere solere, aut etiam post tres nonnunquam exæquati iti-
» neris lunaris erga solem cadunt: & singulorum istorum sta-
» tus neq; istorum modo sed etiam aliarum figurarum, vt se-
» xangulæ ac triquetræ, itemq; aspectus stellarum errantium,
» nam de harum natura consequenter mutationis proprietas
» deprehenditur, respondens aspicientium stellarum, & signo-
» rum erga circundans nos cœlum ac ventos familiaritati.
» Quinta diei vnius futuram monstrat constitutionem, quæ
potissimum pẽdet ab ortu & occasu siderum innerrantium,
ad quam verba Ptolemæi spectant, quæ superius annot. 3. ad-
duxi,

» duximus, Verum horum ipsorum particularium & c." Sexta
demum & postrema ad partes diei pertinet, cum status vide-
licet aëris intra diei vnius terminum variat, atq; hęc à Pto-
lemæo καθ' ὥραν ἄνεσις καὶ ἐπίτασις, id est horaria intensio
& remissio vocitatur; nimirum quia aëris statum, non dierū
aut diei amplius interuallū, sed horarum spatium metitur;
atq; hæc deprehenditur à situ & peragratione luminum per
» singulos cardines, de qua hoc modo Ptolemæus. Idem iudi-
» candum vsu venire, vbi lumina iter per cardines fecerint.
» talem enim ad habitum illorum horariæ remissiones ac in-
» tensiones tempestatum sese conuertunt, sicuti secundum
» lunæ æstus maris ac redundationes; itemq; mutationes vē-
» torum precipuè per tales cardinationes fulgorum tales cō-
» sueuere esse, ad quales ipsa se luna latitudine sua inclinaue-
» rit. Illud tamē in hisce omnibus, vt rectè Ptolemæus admo-
net, ob oculos potissimū habendū est; plus semper posse ge-
neralem magis rationem, quàm particularem; tunc verò
certius mutationē, quæ monstratur, esse expectandam, quā-
do generalis ratio cum particulari consentit. His igitur in
hunc modum explicatis, quæ admodum necessaria erant ad
methodum, qua vsus est in hisce opusculis conscribendis
Theophrastus, percipiendam; claret hoc in loco ab eo de
sexta ac postrema ratione & specie mutationum sermonem
haberi; nimirum de horaria intensione ac remissione: quod
enim exortu solis, manè, meridiè, vespera, aut occasu eius-
dem, mutatio aliqua contingat, id totum horarium esse ne-
mo non videt: perspicuum etiam est, excepta illa prima ac
generalissima, de reliquis omnibus alijs quinq; speciebus
Theophrastum aliqua pertractasse; nam, & regulam digno-
scendi mutationes quatuor anni temporū tradidit, ex æqui-
noctijs, videlicet solstitijs & ortu Virgiliarum & occasu; itē
& partium mensis de lunæ aspectibus. de iudicando autē
totius mensis statu licet nil differnerit, nonnulla tamen si-
gna ad id pertinentia notauit, vt suo loco indicabimus; quā-
quam præcipuus horum opusculorum scopus est signa tra-
dere diurnarum mutationum, earumq; quæ per horas fiunt:
nimirum quintæ, & sextæ speciei, licet de tertia, & quar-

ta

ta non pauca habeantur. quęcunq; enim signa in his opusculis à Theophrasto traduntur, ex Meteoron & faciei cœli obseruatione desumpta sunt, quam sanè rationem ob id τῶν μετεώρων σημειώσιν. 2. lib. cap. 13. vocat Ptolemæus; hęc verò de mēsis totius ac partium eius, item de totius diei illiusq; partium futuro statu & mutatione signa præbet: de annua enim, iam mutatio facta circa æquinoctia & solstitia, & circa emersum occasumq; Virgiliarū signū est futuri status totius temporis, quod inter illas dichotomias continetur, nec potest aliter ex his opusculis futura mutatio præui-
›› deri, dicēte Theophrasto. Qualisq; pleiade occidente fuerit
›› aëris status, eundem retinet vt plurimum ipse aër vsq; ad
›› solstitium; & de reliquis eodem modo.

30 ἀνατολὴ γὰρ καὶ περὶ.) Diei partes enumerat, atq; vt subtilissimè rem doceat, easdem proportione diurnis respondentes in nocte esse accipiendas admonet. Iam verò hic memoria reuocandum est, quod superius de anni mensis ac diei diuisione dicebamus, vt rectè mentem attingamus Theophrasti. primum enim annus totus diuiditur in quatuor partes æquinoctijs & solstitijs, communiter quatuor anni tēpora dictas, quarum temperatura talis esse perhibetur: Veris, quamuis Galeno reclamante, calida & humida: Autumni frigida & sicca: Hyemis frigida & humida: Aestatis calida & sicca: de qua re abunde alibi à nobis disputatū est. iuxta horum temporū rationem & proportionem mensis tùm à medicis, tùm à philosophis secundum lunares aspectus in quatuor partes diuisus est; quarum prior ab interlunio ad primam quadraturam continetur; secunda inde ad plenilunium; tertia à plenilunio ad secundam quadraturā; quarta rursus ab hoc aspectu ad interluniū: qua in re quantum omnes consentiunt autores, tantundem dissentiunt in harum partium tradenda temperatione: ego tamen de hac quæstione, & ratione ipsa & Galeni autoritate permotus, ita statuo, vt primā partem cū hyeme, secundam cum vere, tertiam cum æstate, quartam cum autumno proportionem habere dicam: enimuerò interlunia & plenilunia solstitijs respondent; ac interlunium quidem brumali, plenilunium

 æsti-

æstiuali : sicut enim brumali solstitio sol à nobis longissimè abest ac per id temporis quasi suo lumine priuamur ; ita interlunio lunę lumen nobis deficit, quò sanè plenissime abũdat in plenilunio, sicuti & æstiuo solstitio nobis sol est propinquissimus : quamobrem à plenilunio mensis pars æstiua incipiet ; eritq; calida & sicca, quemadmodum, & anni æstiua hora ab æstiuo solstitio initium ducit ; pars verò quæ à nouilunio inchoat hyemalis erit, frigida scilicet & humida, nam & bruma dies & lux augeri incipit, sicuti & à nouilunio lunæ lumen : demũ quadraturæ respondent æquinoctijs in quibus existens sol distantiam mediam possidet, vnde & moderationem quandam in aëre affert, cum frigus per id temporis non excedat neq; calor : lunamq; circa quadraturas eundem aëri afferre statum satis est perspicuum ; vnde à secunda quadratura ad interlunium erit autumnalis mensis pars, à prima ad pleniluniũ vernalis, tempora scilicet maximè temperata in toto mense; non sentimus tamen plerũq; nos, nec sensibiliter percipimus hanc in mense varietatem, & frigoris calorisq; differentiam ; verum & multa alia animantia & inanimata eam sentiunt, multæq; nostri corporis partes ; quæ mutationem aliquam maiorem vel minorẽ perpetiuntur ; sic mulieribus menstrua circa nouilunium plerunq; apparent, quia mensis pars illa sit frigidior, vt non semel docuit Aristoteles; sic, vt cap. 5. 4. de Partibus Animalium idem monet, Echini plenilunijs vberiores sunt, quoniã noctes sunt calidiores ob lucem lunæ pleniorem, ac subinde calidior pars illa mensis ; vnde non quia felicius nutriantur pascanturq; copiosius per id temporis sunt Echini pleniores, vt Frãciscus Valesius capite septuagesimo primo sacræ philosophiæ affirmauit, in communem errorem abiens ab Aristotele reiectum, sed quoniam, vt idem inquit Philosophus, calorem sua natura desiderãtes, cum frigori pateãt, eoq; mirificè ledantur, in ea mensis parte, quæ circa plenilunium est, calore potiuntur illorum naturæ congruentissimo ; sic tandem nos his nixi fundamentis, rationi & sensui maximè consentaneis, in posteriore parte disputationũ de maris æstu, obscurissimam illam dubitationem ad naturales

naturales hasce causas retulimus; cur scilicet interlunio & plenilunio maximi accessus maris & recessus, per quadraturas minimi cernantur, quæ res adeo ingenia omnia fatigauit, vt nihil supra: causa enim agens tùm externa, tùm interna, quæ exhalationẽ & spiritum mare commouentem in mari excitat, intendit vires ac remittit pro cœli statu & ambientis temperatura, sicuti & reliqua omnia agentia naturalia: potest autem hæc plurimum plenilunio lumine lunæ fulta: potest & nouilunio, viribus, ob antiperistasim, per id temporis frigidioris, auctis & coaceruatis; vnde & ampliorem exhalationum spiritusq; copiam elicit ac gignit, quæ magis ac vehementius mare commouet, ac æstuare facit: in nobis enim virium naturalium & caloris vim augeri ob antiperistasim, hyberna tempestas ac flatus aquilonij satis ostendunt. quamobrem de alijs rebus non videtur hoc negandum, ac præsertim de mari, quod suapte natura leuissimam quanq; sentit mutationem ob temperamentum: vnde & per quadraturas, quia temperies quædam viget, debilitatur causa agens ac minorẽ subinde spiritus copiam gignit, ex quo & æstus multo imbecilliores conspiciuntur; atq; hanc quidẽ causam doctis viris potius arrisurã spero, quàm si ad occultas lunæ siderumuè aliorum vires & proprietates tanquã in aram confugiamus: quo modo facile de quæstionibus omnibus nos explicabimus. certè Aristotelis principijs & sententiæ esse consentaneam alibi demõstrauimus; ac sane opinionem hanc nostram res ipsa comprobat, fiunt enim locis frigidissimis æstus maiores nempe Aquilonem versus, quin etiam & calidissimis, vt in Suretico mari intra tropicos; & quo magis temperantur regiones minores fiunt æstus, qua de causa in Tyrrheno, accedente etiam maris illius situ & natura, nullus vel obscurus æstus obseruatur; verum hæc abundè suo loco: Quod vero ita mensem partiri oporteat, (vt ad nostra redeamus) Aristoteles quoq; testatus est cap. 2. 4. de Animalium ortu, scribens solem per totum annum hyemem atq; æstatem facere, at lunam per mensem id agere, non quidem accessu discessuq;, sed increscente luce vel decrescente; quod etiam totum Galenus

» cap. 7. 3. de diebus decretorijs his verbis docuit. Cum enim
» à mensis principio ad vsq; plenilunium tempus totius lunationis
» tris circuitus dimidium existat, eandem rationem habet cũ
» interuallo, quod ab hyeme ad æstatem vsq; intercedit. quia
» etiam à plenilunio ad vsq; occultationem tempus, spatio,
» quod ab æstate ad hyemem vsq; porrigitur, proportione re-
» spondet. Hæc ille, qui dicens, tempus mensis vsq; ad plenilunium respondere tempori anni vsq; ad æstatem, tempus vsq; ad nouilunium, tempori vsq; ad hyemem, satis aperte monstrat, hyemem à plenilunio, æstatem mensis à nouilunio esse inchoandam: neq; ab hac opinione fortasse dissentit Ptolemæus lib. primo de Astrorum Iudicijs cap. 7. si quis accuratè verba illius ponderet, dum scribit, lunam ab interlunio ad primam quadraturã humiditatis maximè esse efficientem inde ad plenilunium caliditatis, à plenilunio ad secundam quadraturam siccitatis, ab hoc aspectu ad interlunium frigiditatis: enimuero si siccitati, quam ipse inquit vigere à plenilunio, caliditatem adiungamus, quam per id temporis dominari in aëre sensus ipse docet, nec fortasse negaret Ptolemæus, temperamentum æstatis proprium, autorem nobis ob oculos satis apertè subiecisse cognoscemus; si frigiditati, quam incipere à secunda quadratura dixit, sociam faciamus siccitatem, autumnalem mensis partem habebimus; si humiditati, quam voluit dominari ab interlunio, frigiditatem adijciamus, hyemalis mensis pars orietur; demum si calori, quem statuit à prima quadratura imperare, humor addatur, ver creabitur: voluit nanq; fortasse Ptolemæus calorem à prima quadratura ad secundam, frigiditatem à secunda quadratura ad primam regnare; enimuerò, vt alibi diximus, calor & frigus annum & mensem in duas æquales partes diuidunt; atq; ab hoc non abhorret Theophrastus, qui, vt supra vidimus, mensem à quarta decrescentis vsq; ad quartam ineuntis frigidiorem esse protulit: quanquam si ea, quæ idem autor cap. nono mox scribit de quatuor anni temporibus earumq; temperamentis animum adhibeamus, vbi humiditatem veri, calorem æstati, siccitatem autumno, frigiditatẽ hyemi impartit, facile nobis persua-

suadebimus, vernam mensis partẽ ab interlunio esse ad primam quadraturam sensisse Ptolemæũ, æstiuam à prima quadratura ad plenilunium, quia tunc humorem & calorem voluerit dominari, & de reliquis eodem modo; quo sensu Ioannes Picus 3. in Astrologiam lib. cap. 14. Ptolemæi verba accipit ac interpretatur; inquiens perbellam magis diuisionem hanc esse; quàm naturalem & veram. Sed ex eodem cap. animaduertendum Pico erat, non semper siccitatem, apud Ptolemæũ sibi frigiditatẽ sociã assumere, vt autumni temperamentum necessario secundũ ipsum significet: non semper humiditatem calorem, vt veris afferat temperationem; non semper frigiditatem humorem, caliditatem vero siccitatem, vt æstatis ac hyemis temperamenta hæ duæ qualitates ob oculos ponant; quandoquidem orientalis angulus ab eo siccus esse ibi dicitur, quem non frigidum, sed calidũ facere Ptolemæũ certum est, occiduus humidus, quem frigidum præterea constituit, sicuti & venti, qui ex angulis illis oriuntur; item meridianus angulus calidus, quem facit humidum ob Austros; Septentrionalis frigidus, quem siccum ponit ob Aquilones; vnde nil prohibet, cum dixit 7. capite lunam à plenilunio ad secundam quadraturam exsiccare, quin etiam & calefaciendi vim habere tunc eam voluerit, quemadmodum de angulo orientali dicebamus, & de reliquis eodem modo: quo pacto mensis partes eam nanciscũtur temperationem, quam docuimus: quanquã neq; etiã ea in re Ioannis Pici doctissimi hominis censurã recipimus, dicentis, lunæ calorem, vtpotè valde tenuem, haud ita vnquam intendi vt exsiccet, sed intra fines eos excrescere, quibus humefacit corpora calore non arefacit; caloris enim hanc esse conditionem, vt cum est debilis humiditatem nec moueat, vt qui scilicet vix sentiatur; cum efficaciæ non nihil habet soluere adoriatur, soluatq; diffusus quo potentior est, nisi eatenus inualescat, vt quam fluere facit humiditatem absumat; tum enim exsiccare non humectare; ad quã mensuram nunquam lunę calor prouenit: vnde & paulo infra statuit, quo plus luminis habet luna, plus efficere humiditatis, veluti & plus caloris; proindeq; à prima ad secun-

dam

dam quadraturam humefacere, quia suo calore, vtpotè lumine pleniore prædita, humores fundat: à secunda quadratura rursus ad primam desiccare, vt scilicet eius humectatione cessante: Hæc enim omnia, (quòd bona venia tanti viri dixerim,) & rationi & Aristoteli mirum in modum repugnare credimus; quandoquidem satis clarè philosophi verbis suprà decreuimus, lunam in mense æstatem facere, quamobrem non calefacere tantum, sed arefacere tum eam oportebit; atq; eo potissimum tempore, quo magis luce abundabit: luna verò plena & noctes esse calidiores & dies ipsos, millies æstate obseruauimus, vt ferè ob æstuationem nullus daretur interdum quieti locus: ac ratio quidem est, quoniam non sola luna attendenda est, sed sol quoq;, vt de temporis temperamento in mense decernamus: Aristoteles enim quarto de animalium ortu sub finem, mensem, vt toties diximus, cõmunem solis & lunę periodum esse statuit; quamobrem, cum ad calorem solis accedat lunæ calor, merito pars illa mensis calidior, ac subinde siccior esse ab Aristotele statuitur; quæ profectò ea erit, in quâ plus luna calore & lumine potest; potest autem à plenilunio magis, sicuti & sol à solstitio, cuius rei causam perbelle Olympiodorus 2. Meteoron actione 12. reddit; quadam enim temporis mora opus est ad aërem contrectandum, & calefaciendum, vnde æstus ille feruorq;, quem sol aëri iam affudit in solstitio, commoratus, aërem postea magis excalefacit, præsertim cum nouus semper accedat in dies caloris fomes, ob vires adhuc solis potentissimas; atq; hæc causa est, cur maximi æstus fierent sole Leonem percurrente Aristotelis ætate, non Canis ortus, sicuti & fiunt in præsentia, licet sidus hoc multo post oriatur; de frigiditateq; eadem ratio est; quòd elegantissime Ptolemæus vir maximus lib. primo de Iudicijs astrorum his verbis expressit cap. 10. firma quidem, quę
» tropica & æquinoctialia sequuntur, Taurus, Leo, Scorpio,
» Aquarius, quod per illorum peculiaria tempora, vbi ad hæc
» sol accessit, multo vehementius sentiamus humores, calo-
» res, siccitatem & frigus: non quod tum aëris status simpli-
» cior sit natura sua, sed quia nos aliquantulum in illis tem-

„ poribus versati ipsa mora vires eorum magis experimtur. Eademq; ratio de luna est, calor enim, quem paulò ante & circa pleniluniū, ob luminis efficacitatē aëri impartit, post plenilunium, vehementius calefacit commoratus, cum præsertim pares ferè vires tū luna habeat; vt si calor solis adijciatur, possit in aëre per eam mensis partem temperamentū æstiuo simile excitari; quod calefaciendi & exsiccandi habeat potestatem; At Picus in communi eorum versatur errore, qui solem despicientes, ex lunæ tantum viribus, partium mensis expendunt temperationē; nullam enim de sole considerationem habens, luna per se ac seorsim in temperamento mensis decernendo vtitur, quod longe ab Aristotelis mēte ac veritate ipsa est alienum; atq; hoc iacto fundamento latissimè patet, diuisionem mensis supra à nobis allatam, aërisq; in se temperationem, maximè esse naturæ legibus consentaneam. Eadem methodo diuiditur ipsa dies tota naturalis, nimirum spatium vigintiquatuor horarum, in partes quatuor, anni ac mensis partibus quatuor proportione respondentes, de qua diuisione agit in presenti loco Theophrastus: verum diuisio hæc à sole tantum pendet atq; ab eius situ in quatuor cardinibus: nam cum in ortu sol est, primam partem inchoat, cum meridiem tenet secundam, in occasu tertiam, quartam in merinoctio; de quarum partiū temperamento mea opinio est, idem esse ac de reliquis anni & mensis partibus sentiendum; sicuti enim nouilunium, & plenilunium respondent duobus solstitijs, ita & meridianus angulus & mediæ noctis; cum enim sol in medio cœli est, nobis fit maximè propinquus, cum in imo reperitur, fit maximè remotus; quamobrem & à situ illius in centro medij cœli, æstiua diei pars incipienda erit; à situ in centro mediæ noctis, pars hyberna; atq; hoc modo exortiuus angulus & occiduus, quasi æquinoctia quædam & quadraturæ, tempora media creabunt, videlicet angulus orientalis ver, occidentalis autumnū. Neq; ab hac sententia recedit Ptolemæus cap. 9. primi libri, licet aliter visum sit Cardano viro eruditissimo in illius loci explicatione com. 39. enimuerò ibi Ptolemæus nōn diei partium temperamentum docet,

sed

ſed locorum terræ & angulorum horizontis, ex quibus venti oriuntur; quandoquidem, cum de temperamentis qua-
„ tuor anni temporum diſſeruiſſet, ita ſubdit. ὁμοίως δὲ καὶ
„ τῶν δ. τοῦ ὁρίζοντος τόπων καὶ γωνιῶν, ἀφ' ὧν καὶ οἱ καθ' ὅλα
„ μέρη πνέοντες ἄνεμοι τὰς ἀρχὰς ἔχουσι, & c.. i. ſimiliter autem
„ & quatuor locorum & angulorum horizontis, à quibus &
„ venti regionem totam perflantes initium ducunt, tempera-
„ mentũ eſſe ponitur, & c. voluiſſe enim Ptolemæũ iuxta peragrationẽ luminũ, ſoliſq; potiſsimũ ad quatuor cardines, vẽtos cõmoueri, & ſuperius in ãnotatione ultima in tex. 51. libelli de Ventis oſtendimus, & ipſemet rurſus ad finem
„ capitis 12. lib. 2. his verbis confirmauit. καὶ αἱ τῶν πνευ-
„ μάτων δὲ τοπικαὶ μάλιστα περὶ τὰς τοιαύτας τῶν φάσεων κεν-
„ τρώσεις ἀποτελοῦνται. quod eſt vt ego interpretor, & vento-
„ rum locales mutationes intenſiones & remiſsiones potiſsi-
„ mũ fiũt, cũ lumina cardinũ cẽtra occupãt. quamobrem non de diei partibus, vt putauit Cardanus, ſed de locis horizõtis & illorũ tẽperamentis ventorũ reſpectu, qui ex illis dimanant, citato cap. 9. apud Ptolemæum ſermo eſt, vt dicebamus; quæ quidem loca, non eſt neceſſe in temperamento cum partibus diei conuenire: Iurè autem Ptolemęus orientis angulum calidum & ſiccum conſtituit, quoniam ſubſolani, qui inde oriuntur, natura tales ponuntur eſſe; ipſe vero Ptolemæus de illorum angulorum temperatione pro ventorum decernit temperamento, qui à locis vnde ſpirant, accipiunt qualitates; cum enim vniuerſaliter quatuor ſint ventorum genera, nimirum Orientales, Occidui, Auſtrales, Aquilonij; ſintq; vt 2. Meteoron cap. 6. docemur, totieſq; à nobis fuit inculcatum, Auſtrales & Orientales calidi, Occidui & Aquilonij frigidi, cũ Auſtrales humidi ſint, Orientales ſicci ponuntur eſſe illorum comparatione; vnde Ariſtoteles citato loco inquit Eurum (ſubſolanum & orientales de mote intelligens) à principio ſiccum eſſe: rurſus cum Aquilonij maximè ſicci ſint, Occidui ad illos comparati humidi erunt: quibus omnibus intellectis nouem illę dubitationes, quas citato loco tanti Cardanus facit, nullo negocio labefactantur, vt quiſq; ex ſe ſoluere illas poſsit, quod

nos,

nos, nè à scopo nimis digrediamur, hoc loco facere omittimus; nec oportet nouas ob id auribus nostris inferre diuisiones, nouaq; principia excogitare, vt scilicet orientalem angulum & ventum, partemq; illam Cœli qualitate & actione non substantia siccam dicamus; quæ monstra sunt in peripatetica philosophia. Sed eo redeat vnde digressa est oratio: totius diei diuisionem in quatuor partes naturæ maximè esse consentaneam dicebamus: addamus modo Hippocratem quoq; multis in locis eam recepisse; nam ab Epidimion, δείλην, autumno similem esse dicit; quod etiã 6. eiusdem operis facit; quò loco Galenus com. p. part. 14. videtur asserere, noctem totam hyemi respondere, matutinum veri, meridiem æstati, vesperam autumno, quo modo nox vnam tantum partem efficeret: sanè δείλη pomeridianum tempus dicit, quod nos æstati respondere supra affirmauimus, si tamen diem totam, vt noctem quoq; comprehendit, in partes quatuor dirimamus: verum quoniam & dies in partes quatuor, & rursus in totidem nox à veteribus illis distincta est, quemadmodum ex hoc Theophrasti loco clarum est, quò modo diei totius in partes octo diuisio oritur, annuæ ac menstruæ diuisioni in partes totidem similiter respondens; propterea si dies in partes quatuor seiungatur, ab exortu solis ad mane erit hyberna diei pars, tanquam reliquis frigidior; ab ipso mane ad meridiem ver, a meridie ad δείλην id est vesperam æstas; à vespera ad occasum solis: autumnus; parte sq; tot in nocte accipi debent; his diei partibus proportione respondentes: quibus ita expositis, perspicuum est qua ratione Hippocrates pomeridianam diei partem autumno similem esse dixerit; vt iam illius autoritate, & Theophrasti locus hic, & explicatio nostra plurimum comprobetur: satisfinè nanq; patet ex superioribus, Hippocratem diuisionem illam secutum, quæ diem totam in partes octo secat, nimirum diurnum spatium in quatuor, in totidemq; nocturnum, vesperam autumno esse simile dixisse; qua in re, vt dicebamus, annus, mensis, ac dies mutuo se mirificè respondent: quandoquidem anni in partes octo æquinoctia & solstitia, mediaq; inter hæc loca punNn cta,

cta, vt supra explicatum est distinguunt; mensem aspectus omnes lunares, nimirum coitus sextilis primus, prima quadratura, primus trigonus & oppositio; secũdus trigonus, secunda quadratura, & secundus hexagonus; quam profectò diuisionem Plinius vir maximus cap. vlt. lib. 19. sic recen-
,, suit. Sunt & ipsius lunæ octo articuli, quoties in angulos
,, solis incidit, plerisq; inter eos tantum obseruantibus præ-
,, sagia eius hoc est tertia, septima, vndecima, decimaquinta,
,, decimanona, vigesimatertia, vigesimaseptima & interluniũ: demum dies tota in partes octo diuiditur cardinum ratione, cum videlicet sol eos occupat, quo modo partes diei totius quatuor creat; & ratione distantiæ mediæ, quo modo alias quatuor partes adducit; enimuerò cum in ortu est primam partem inchoat; cum medium inter ortum & meridiem situm obtinet, partem secundam, & de cæteris eodem modo; in quorum quidem omnium temporum, tum anni, tum mensis, tum diei articulis, tanquam in dichotomijs aer mutationem plerunq; patitur, ac subinde cum eo reliqua corpora, quæ ipse ambit, commutantur; nimirum quia, calor & frigiditas mutationis omnis in ambiente causæ, in articulis illis, vel dominari incipiũt, vt supra dicebamus, vel intenduntur, vel remittuntur, vel superantur, ac varijs mõdis disponuntur, vt alterari aerem sit necesse; pro varia enim harum qualitatum mensura, & ventos sedari, excitariq; & aerem ipsum commutari non semel superius affirmatum fuit: atq; hinc causa elucet, quare solstitijs & æquinoctijs aer modo flatus, modo pluuias, modo serenitates, modo alias mutationes experiatur; quod idem in mense euenit, in quo, interlunio & plenilunio in reliquisq; configurationibus mutationes aliquę potissimum contingũt; quemadmodum & in die pariter, in qua, aut ortus, aut mane, aut meridies, aut vespera vel occasus, ferè aliquã semper afferunt mutationem ac persentiunt; vt merito Hippocrates in Epidimijs non solum morborum annuas mutationes, sed diurnas etiam annotauerit; vt ex 3. lib. præcipue innotescit, quò loco omnes ferè diei partes, quas hic recenset Theophrastus, habentur: nam & in ægroto tertio de meridiana men-

» tio est verbis illis, circa meridiē frigiditas extremarū parti-
» um; itē de occasu alteris illis: tardè verò sub solis occasum
» parū friguit: & de mane & vespere illis demū: sexta mane
» quieuit; vesperi dolores maiores; quæ omnia libenter hic annotamus, vt legētes agnoscāt, maximos ætatis illius viros diuisiones istas āni, mēsis, diei, tāquā maximi pōderis in natura fuisse secutos. habētur hę diei partes cap. 2. 3. Met. quo loco Olymp. nō recipio q. δείλην matutinā quoq; partē significare scribit, verū hęc satis sint prò huius loci declaratione.

31 τ' αὐτὸ ποιεῖ τοῖς εἰρημένοις περὶ πνευμάτων.) Idem præstant diei partes, quod pertinet ad ventorum exortus, ad aliasq; aeris mutationes, nimirum ad tempestates, serenitates, pluuias, &c. quod & anni partes ac mensis: habent enim eandem potestatem; quia illarum initia dichotomiæ sunt; vnde merito subdit Theophrastus, si mutatio aeris futura est, eam maxime fieri, & potissimum in dichotomijs; sequitur enim ex his si cum ratione mutatio aeris contigerit, in partium anni mensis ac diei noctisq; initijs maximè fieri eam oportere, quia initia hæc dichotomiæ sint, de quibus supra iam est dictū: recteq; addit τῶν πνευμάτων nam vt annotatione vltima in tex. 51. libelli de Ventis scripsimus, pręcedentiq; tetigimus annotatione, mutationes diurnæ horarieq; ventorū, fiunt pro accessu solis & lunę ad quatuor Cardines, quòd etiam Ptolemæi testimonio confirmauimus.

32 καθόλου μὲν οὖν τὰς ἀρχὰς.) Vniuersalem vocat hucusq; traditam ab eo, horas ipsas & mutationes, quæ in illis fiunt, contemplandi obseruandiq; methodum; quoniam & obseruatio & contēplatio ipsa ratione nititur à dichotomijs pendens, & scientifica est, omnibusq; conuenit horis ac semper; licet singulis suo modo: atq; hic rursus notabis annū, mensem, diem, ac noctem τῶν ἀρχῶν nomine Theophrastum dignari: quin etiam & generalis obseruatio hæc dici ab eo potuit, quia de plurium mensium ac dierum statu ex regulis traditis prænunciari posit: Atq; hic quasi præfatio horum opusculorum finem habet, nunc signa particularia, nimirū quia de vnius tantum diei statu cognoscunt, aggreditur Theophrastus explicanda, quæ ex cœli facie & meteorolo-

gicis obseruationibus, item ex animalibus sumit, in quorũ enarratione numeros sequemur, quibus ea distinximus.

1 φαίνοιτο ἐπιφοίνισσον.) Primum signum pluuiarum ab exortu solis sumptum est: sunt enim potentissima & maximè significantia quæ à sole & luna accipiuntur, vt superius monuit Theophrastus: est autem ex Ptolemæo cap. vir. 2. libri hoc loco repetendum, in iudicio diurni status ac futuræ interdiù mutationis, nos solem orientem intueri potissimum oportere, in iudicio nocturni, occidétem: inquit igitur Theophrastus, si antequam sol in ortu conspiciatur, aurora cæsiumq; puniceum appareat ac purpureum, vel eadem die vel in triduum plerunq; pluuias portendi; pro eodem enim impræsentia puniceum & purpureum sumo, ac latè vocem accipiens. τὸ ἐπιφοίνισσον, purpureum sum interpretatus, licet non me lateat ex cap. 2. libelli de coloribus, & ex cap. 4. 3. Meteoron alterum ab altero distingui. Huius rei causam si assequi volumus, nonnulla prius dicenda sunt nobis de horum colorum causis & generatione, quos autor noster commemorat; neq; enim impræsentia simpliciter de colorum natura & speciebus disserendum est, id nanq; huic loco peregrinum est, atq; ante nos à Simone Portio viro clarissimo in Commentarijs super libellum de coloribus mira cum laude pertractatum: verum, cum quidam sint colores proprij, vt qui sectantur elementa aut eorum mixta, quidam verò improprij, vt lumen; propriorum rursus alij veri sint, qui scilicet mixta comitantur, alij non veri, sed qui verorum imaginem referunt, vt Iris, halo, parelia, nigror atrorq; nubium, & huiusmodi alij colores, de hac postrema specie nonnulla afferemus, vt causam assequamur, quare horum alijs pluuiarum, alij ventorum sint prænuncij, alij verò serenitatis: qua in re pertractanda ne desciscamus à Præceptore, supponendum est ex 3. Meteoron, vbi de Iride ipse disputat, quod etiam com. 18. & 21. Alexander animaduertit, lumen ab omnibus planis refrangi, præsertimq; ab aere si cogi in nubem incipiat; præterea eiusmodi nubes, quæ speculi instar sunt, si ad ipsum sensum sint indiuisibiles, & tanquam plura specula parua, non figuram, sed colorem

tan-

tantum repreſentare; adhuc ſplendidum & album nigro ad mixtum, aut ſi per nigrum aſpiciatur, puniceum colorem efficere; inſuper viſum protenſum debiliorem fieri; adhæc nigrum negationem eſſe viſus; item aquam nigram eſſe ac ſubinde vapores, quod citato loco innuit Ariſtoteles, & cla-
„ re com. 18. his verbis affirmat Alexander, ἡ μὲν γὰρ ἶρις ἀπὸ
„ ὕδατος ἤδη, ὅ ἐστιν μέλαν, γίνεται, quod eſt, Iris enim ab aqua fit, quæ nigra exiſtit: quo tamen ſenſu, autor libelli de coloribus dicere potuerit, ſi hæc vera ſunt, aquam eſſe albam, quam dubitationem non ſatis videtur Portius perſpexiſſe, alibi erit diſcutiendum: denium ſumendum eſt, quam colorũ differentiam facit varietas ſitus nubis, quia viſus protenſus debilior redditur, quemadmodum de Iride docet Ariſtoteles, eandem efficere poſſe nubem & ſpeculum ipſum, licet eandem retineat diſtantiam, ſi modo varium ſit, aut naturarum ratione, quæ illud conſtituunt, aut ſi rarius ſit, vel denſius, quanquam ex vna tantum natura conſtet, leue aut aſperum, æquale aut inæquale, ſimilium partium vel diſſimilium; vt enim docet ad finem 2. cap. 3. Meteoron Ariſtoteles, non ſolum ob viſus imbecillitatem, ſed ob admixtionem ſplendidi cum ipſo ſpeculo varij colores oriuntur; nimirum quia ſpecula ipſa varia eſſe poſſunt. His poſitis, cum ſimplices colores duo ſint albus ſcilicet & niger, ex horumq; mixtione reliqui omnes producantur, facile modo erit cauſas inuenire, quare oriente ſole aut occumbente punicei purpureiq;, nigri, & alij colores ad ortum occaſumuè conſpiciantur, & quare imbres, aut ventos monſtrare poſſint, aut ſerenitatem; cum enim ſolis lumen albi gerat vicē, ſol nanq; & ignis albus eſt, vt non ſemel dixit Ariſtoteles, nigri rurſus locum teneant vapores & denſatus aer in nubē, tanquam ad naturam aquæ propius accedentes, vt ſuppoſitione ſexta acceptum fuit, iam ſatis claret, ex varia luminis cum denſato aere & vaporibus huiuſmodi mixtione, varios colores oriri oportere, ſua natura vel ad album magis vel ad nigrum declinantes: in his tamen opuſculis octo recenſet colores autor, ſi corruſcantem & ſplendidum in idem cum albo redire dicamus, vt ratio ſuadet; de quibus omnibus

dicen-

dicendum est: atq; vt ab illis qui primatum tenent, simplicibus videlicet ordiamur, primus color albus λευκὸς dictus, si in oriente vel occidente sole, & luna appareat, serenitatis indicium est, & tranquillitatis, quia nullum in aere dominari vaporem ostendit, exhalationem nullam; vnde nec puniceus, nec halurgus seu purpureus, nec ater, aut alius color conspicitur; hunc in sole & luna λαμπρὸν & καθαρὸν appellat Theophrastus, id est splendidum nitentem & purum, quamuis coloris potius sit accidens, quàm color, vt rectè Simon Portius super libellū de Coloribus animaduertit; item in sole στίλβοντα, vt initio opusculi de Ventorum signis; est enim στίλβων is, qui coruscat, licet propriè quidem non sit color, sed luminis continuata densitas; vnde soli tantum congruit; splendidus autem color lunæ quoq; differunt enim splendidum & coruscans, quoniam splendidum, denotat claritatem solum & splendorem, at coruscans luminis continuitatem; quamobrem luna in plenilunio, quamuis splendeat, tamen non videtur coruscans, quia propter apparentes maculas lumen non est continuatum, vt acutè Portius animaduertit: qua autem ratione in nubibus interdum albedo signum sit pluuiarum, quæ alioqui in sole & luna serenitatem præsefert, dicetur infra suo loco: hactenus de albo, atq; de coruscante & splendido, qui maximè albo conueniunt. post hos sequitur μέλας dictus ater aut niger, qui & ipse simplex est, & semper imbrium prænuncius: tripliciter autem nobis nigrum apparet, si autori libelli de coloribus fidem adhibemus; aut enim omnino quod non videtur est natura nigrum; nimirum, vt explicat Portius, id quod priuatur lumine; nam, quanquam videtur aliquid quod nigri faciem ostendat in ijs locis, quæ non illustrantur; attamen quod non videtur, dicitur nigrum, quia sua natura non participat lumen, sed lumine alieno & ascititio conspicitur; atq; hoc est quod dicebat Aristoteles nigrum esse visus negationem: aut secundo à quibus nullum prorsus fertur lumen ad oculos, nam quod non videtur, cum ambiens locus videtur, nigri reddit apparentiam: tertio apparent nobis huiusmodi omnia nigra, à quibus rarum & pau-

paucum lumē repercutitur, quod potissimum euenit propter speculi asperitatem, & densitatem; vnde autor libelli de
» Coloribus: nam propter superficiei asperitatem paucis ra-
» dijs incidentibus & dissipato lumine vmbrosum nigrū ap-
» paret: cum igitur aër & vapores densantur sic in nubem & coguntur sole oriente & occidente aut luna, nigra & atra signa ad ortum conspiciuntur & occasum tertio modo; nubes enim ob vaporum crassitiem, ex quibus constant, atq; ob eorum densitatem, nubiumq; ipsarum asperitatem lumē nequit penetrare, & dissipatur, paucumq; & rarum ab illis repercutitur, qua de re nigræ necessario apparent; densati enim maximè vapores nigredinem referunt, quia proximi sunt vt vertantur in aquam, quæ vt sexta suppositione ponebatur nigra est; atq; superficiei asperitas nigrorem auget, ob luminis dissipationem; quod totum autor libelli de Co-
» loribus his verbis eleganter videtur docuisse: Propterea &
» nubes quando densa fuerit valde. eadem quoq; ratione &
» aqua & aër quando non omnino penetrat lumē, etenim hæc
» videntur esse nigra quod profunditatem habeant: eo quod
» omnino rari radij refrāguntur: intermediæ enim partes ip-
» sorum luminis, omnes videntur esse nigræ, propter tene-
» bram: tertius enim modus erat in quo rarum & paucum lumen repercutitur; at citatis verbis ait manifestè autor, omnino raros radios à nube refrangi cum nigra apparet, quamobrem tertio modo nigræ conspiciuntur nubes non secundo; quod tamen in Commentarijs super illud opusculum
» constanter Portius affirmauit, ita scribens: Impręsentia ex-
» plicat secundum modum, docens, quare nubes appareant
» nigræ: Cęterum rarum & paucum lumen idest debile & imbecille repercutitur triplici de causa, nimirum quia obliquè radij & non perpendiculariter iaciuntur, & horizontem visusq; finitorem circunstant, nondum in sublimem aëris regionem sublati; tertio quia si aër, qui inter solem orientem est ac nubem, humidus fuerit & crassus, radij dissipantur ac disperguntur, languidiq; fiunt & imbecilles propter aëris crassitiem & humiditatem, quemadmodum acutè com. 16. 3. Meteoron docet Alexander, & actione 35. Olympiodorus

dorus, vnde & debilius adhuc lumen repercutitur; posset quarta, addi nempe interuallum; nubes enim quę magis distat à sole oriēte vel occidente, nigrior apparebit, quia à debiliori lumine collustrabitur. porro autem ex his satis perspicuum est qua ratione nigra signa imbriū semper sint prenuncia; ostendunt enim aerem humidum esse ac vaporibus plenum, iamq; cogi in nubem, ac proximum esse vt in aquam conuertatur: eiusmodi verò constitutionem sequi plerunq; imbrem necesse est. Post hos veniunt mixti, inter quos sex sunt, quorum autor noster meminit, si τὸ πυρῶδες, & τὸ ἐρυθρὸν prò eodem accipiamus, vt accipiendos esse demonstrabimus: est φοινικὸς puniceus, hic vt ex tertia suppositione constat, oritur ex albi, luminis videlicet, & nigri admixtione, ex mixtione inquam luminis validioris cum exiguo nigro, vt acutè Olympiodorus 3. Meteoron actione 37. notatum reliquit; lumen enim ad sensum visus nostri accedens nondum oblanguescens punicei coloris speciem refert, vt idem actione 34. scribit; atq; hæc causa est, cur extimus interioris iridis ambitus puniceus apparet, pluuiam autem color hic merito portendit, vapores enim in aëre adesse iāq; in nubem cogi fidem facit: minus tamen significat, quàm si nubes purpurea, aut viridis seu porracea conspiceretur; ac ratio quidem in promptu est, cum enim hi tres in iride colores appareant, patet, purpureum, ἁλουργὸν, dictū maximè ad nigredinē declinare, vt ibi docet Aristoteles, & com. 21. & 23. Alexander; vnde Philosophus Iridem, quæ hyeme spirantibus austris circa lucernam apparet, non puniceam, sed purpuream apparere inquit, non solum propter aspectus qui reflectitur exiguitatem, sed etiam ob speculi nigredinem; post purpureum, ad nigredinem propius accedere porraceum, quem πράσινον Gręci appellāt, satis constat, minus verò puniceum, vt Olympiodorus actione 37. scripserit non longe à solari colore diuersum puniceum esse: quod si nubes, cum maximè densa est & aspera, ac proxima vt vertatur in aquam, nigra maximè apparet, ex quo & atror præcipuum est ac certissimum signum pluuiarum, patet, post nigrum colorem purpureum certiores ac maiores pluuias,

post

post hunc porraceum, postremo loco puniceum imbres moderatiores præmonere; nimirum quia, vt dicebamus, ingens vaporum copia & nubes maximè densa, aspera, & quæ iam in aquam conuertatur, ad nigrorem producendum sit necessaria, densitas minor ad colorem purpureum; minor ad porraceum; minorq; adhuc ad puniceum requiratur: animaduertendum nanq; est, quod pertinet ad hanc ex colorum varietate prædicendi rationem, eam causam, ob quā varij in iride colores apparent, nimirum visus protensionē, nequaquam locum hic habere posse; pluuiæ enim oriri nequeunt, nisi materia verè adsit, nec maiores fieri vel minores possunt, nisi maior aut minor vaporum copia cogatur; ea propter si nubes, quæ in tanta à sole distantia, puniceum colorem refert, exempli gratia remotior fiat, & adhuc remotior, licet viridis primum, mox purpurea, ac demum fortasse nigra appareat, eandem nihilominus imbrium mensuram spondet, quoniam colores non materiæ ac nubis speculiuè ratione, quæ res causa est vehementioris imbris, vel remissioris, sed ratione protensionis visus & distantiæ variantur: quamobrem reliquum est, vt colores hi, si modo prænunciare debent, varietatem nanciscantur à speculi nubisq; varietate, eandem distantiam ad solem, & lunam retinentis; dictum nanq; est suppositione septima, speculi varietatem, non secus ac situs, varios colores generare, quod perspicuè Philosophus de virgis sermonē habens his verbis
,, notatum reliquit. Id verò contingit, inquit, cum nubis
,, concretio inæqualis fuerit, & partim densa partim rara, &
,, vna parte aquosa magis, altera minus. Aspectu enim ad so-
,, lem reflexo, solis quidem figura ob speculorum paruitatem
,, non cernitur, color verò, quia sol splendidus & candidus,
,, ad quem fit reflexio, in re inæquabili appareat, alius puni-
,, ceus, alius viridis, alius flauus videtur. Sequitur ζόφερος, qui caliginosus dicitur, quem Galenus in Commentario tertio super 3. Epidimion φαιὸν interpretatur, idemq; ferè esse quod nigrum Aristoteli & Theophrasto consentiens docet; Aristoteles enim cap. 4. de sensu & sensili septem esse colorum species quemadmodum & saporum scribit, si tamen,

τὸ φαιὸν μέλαν τι, lucidum nigrum quoddam esse dicamus, atq; id cap. 4. sexti de Plantarũ causis confirmat Theophrastus. Post hos commemorat autor noster colorem, qui in sole & eius lumine, quasi eiusdem deficientis reddit apparentiam, vt infra videre est numero 13. atq; hic oritur ob aëris crassitudinem & humiditatem, ob quam lumen languidum redditur & obscurum, de quarè plura dicemus eo loco; atq; hæc de coloribus mixtis pluuiam demonstrantibus. Sequuntur duo colores, ὠχρὸς & χαλκώδης, pallidus & æreus, quorum meminit autor numero 5. & 12. opusculi de signis tranquillitatis, & serenitatis; quos etiam serenitatem indicare docet, verum non simpliciter sumptos, sed si apparuerint vigentibus pluuijs & tempestate; si enim dies fuerit hyemalis, & sol occumbat ὠχρὸς, pallidus, id est, si nubes, quæ solem cingunt pallescere aliqua ex parte incipiant, signum id esse, inquit, serenitatis: oritur enim color hic, cum nubes nigra existens & densa, iam rarescere incipit, quasi radijs solis exusta & dissoluta; vnde indicat iam solem superare constitutionem, & lumen penetrare nubem ipsam; notat nanq; Theon in commentarijs super Aratum, colorem hunc oriri, exustis nubibus & dissolutis ab ipso sole; atq; de æreo colore eadem est ratio: adderem ego (quoniam mixtio luminis cum nube rara puniceum facit non pallidum, vt supra vidimus) pallidum & æreum gigni, ex radiorum solis cũ nube ipsa admixtione, quatenus nubes nonnihil habet fumidæ exhalationis, quæ sua natura non tendit ad nigredinem, vt vapor, sed potius ad albedinem, & splendorem, vt mox dicturi sumus; vnde, cum ob peractam pluuiam nubes minus vaporibus abundat, iam dominari in ea incipit exhalatio, & radij nubem penetrantes, pallidum, & æreum colorem efficiunt, qui magis à nigredine dissident, & quodammodo ad album declinant, flaui coloris ferè naturam imitantes, vt quasi nubes albicare videatur: atqui cum fumida exhalatio in nube non superatur serenitatẽ gignit, tum enim pluuia fit, cum vapor ab exhalatione seiungitur, vt supra ex Aristotele annotauimus. Supersunt duo alij colores, qui in vnum redeunt scilicet ἐρυθρὸς & πυρώδης, rubrus

rubrus & igneus; atq; hos dicit Theophrastus ventos significare, vt ex numero 6. & 12. opusculi de Ventorum signis constat: sunt qui puniceum colorem rubrũ etiam interpretentur, item igneum & πύῤῥον puniceum, quod color ignis, qui propriè πυῤῥὸς appellatur, puniceus esse videatur; verum aliter sentit in his opusculis noster autor, vt cuiuis videre licebit; puniceus enim color imbres significat de illius sententia, rubeus verò & igneus ventos: arbitror igitur ego hos colores, igneum scilicet, & rubeum, eosdem esse cũ colore, quem Aristoteles ξανθὸν appellat; qui sanè color proprius ignis est, cum per fumum conspicitur, vt Alexander Aphrodisiensis cap. 2. primi Naturalium Quęstionum
» his verbis testificatur, μάλιστα μὲν γὰρ (inquit) διαφανῆ, τὰ
» λαμπρά τε καὶ λευκὰ σώματα ἧς φύσεως ἐστὶ τὸ πῦρ. ξανθὸν γὰρ
» τῇ μίξει τοῦ καπνοῦ μέλανος ὄντος φαίνεται. id est maximè an-
» tem perspicua sunt corpora splendida & alba, cuius naturæ
» ignis est, flauus enim fumi, qui niger est, admixtione effi-
» citur: atq; hoc est quod inquit Aristoteles 3. Meteoron cap. 4. igne ex lignis viridibus accenso, flammam rubram apparere, propterea quòd ignis, qui splendidus est, & candidus, multo fumo admisceatur: est autem flauus color, vt optimè Olympiodorus citato loco actione 36. declarat, albo propior quàm puniceus, ad album nanq; pertinet & reducitur, vt cap. 4. de sensu & sensili notat Aristoteles & ibi com. 33. Alexander; qui dum 3. Meteoron com. 21. scribit. Xanthum flauum scilicet, nigro esse proximiorem quàm puniceum, non intelligit id simpliciter de flauo habere veritatem, alioqui à semetipso & veritate dissentiret, sed de eo tãtum flauo, qui in Iride conspicitur; nam color hic in Iride medius inter puniceum apparet ac porraceum, atq; ob id nigro est proximior: quoniam igitur, vt non semel docuit Aristoteles, non gignitur exhalatio sine vapore, neq; vapor sine exhalatione, sed à superabundanti denominantur, est autem vapor tanquã aqueæ naturæ exhalatione nigrior, exhalatio vero nigra minus, videlicet eatenus fortasse nigra, quatenus vaporem socium habet, cum alioqui sua natura, si Olympiodoro credimus actione 36. ad splendorẽ declinet,

& vapori admixta eum lucidiorem reddat,(neq; enim materialiter fortasse terra est ipsa exhalatio, vt multi ex latinorum familia putant,) iure euenit, vt ad puniceum colorem generandum ea concretione opus sit, in quâ vapor dominatur, qui si magis superet porraceum, etiam & reliquos colores parit, vt supra ostendimus; quamobrem puniceus, & qui sequuntur, pluuiarum necessario sunt prænuncij; quoniam autem flauus color albo propior est quàm puniceus, & minori nigredine eget, non potest ex concretione, in qua vapor superat, exoriri, sed necesse est in ea fumidam exhalationem superabundare, tanquam sua natura minus nigrã, quo fit vt iusta de causa, si ad ortum vel ad occasum exoriente sole vel labente apparuerit flauus color, quem rubeum & igneum esse diximus, dicatur ventos nunciare: verum obijciet aliquis, 3. Meteoron doceri flauum ex punicei & porracei temperatura exoriri; idq; Iridis exemplo docuisse ibi Aristotelẽ & omnes Interpretes, propterea falsum esse hunc admixtione luminis gigni cum fumida concretione, vt dicebamus: pulchra quidem dubitatio, sed quæ tamen facile ex ijs, quæ Olympiodorus actione 38. docet, dissolui possit; enimuero color, vel alterius cuiusdam coloris comparatione oritur, vt flauus in Iride ex punicei & porracei temperatura, aut reflexu luminis ex nube, quo modo flauus ex nube, in qua fumida superat exhalatio, gignitur; at nos de eo quatenus reflexione oritur, sermonem habemus; idq; totum his verbis de Ammonij opinione Olympiodorus citato loco clarè docuit; At magnus, inquit, noster philosophus aliud quoq; argumentum adinuenit, quo flauum non esse reflexum probat; nam si à repercusso esset talis color, prior phœniceo colore fieret, oporteret, quia in minorem errorem vis oculorum delabitur aspectu flaui coloris quàm phœnicei, quòd flauus color albo propior est. Verum hactenus de horum colorum ortu, quos autor in his opusculis commemorat, & qua de causa alij imbrem, ventos alij, nonnulli demum serenitatem prænunciare valeant.

1 ἥ τε ἂν ἡμερῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ.) Aduerbium ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ duplicem sensum hoc loco habere potest; siquidem vel

inquit

inquit Theophrastus signum hoc vt plurimū pluuias vel eadem die, vel in triduum prænunciare; vel inquit, eas portendere vt plurimum in triduum: ita vt, cum cœlū sic in solis ortu puniceum spectatur, non eadem die pluat, sed imber vt plurimum ad tertiam diem proferatur: ac posterior hæc quidem interpretatio mihi magis placet; cum enim vapores isti, quorum interpositu cœlum ita coloratur non parum exhalationis admixtum habeant, vt superetur calor cōprehensus & vapor ab exhalatione sicca seiungatur quod ad pluuiarum ortum necesse est, vt perbelle de corona disputans docuit Aristoteles, totaq; materia pluuijs idonea reddatur, tempore opus est, quale trium dierum esse experientia ipsa rerum omnium magistra satis docuit. hanc igitur causam esse ego reor, quare Theophrastus prorogari plerunq; in tertiam diem pluuias literis mandauerit. Signum hoc fortasse Aratus in Phęnomenis expressit carminibus illis.

οὐ δ᾽ ὅτε οἱ ἐπέχοντι φαινομένῳ ἠῶθι πρὸ
φαίνονται νεφέλαι ὑπερευθέες ἄλλοθεν ἄλλη,
Ἄγραυλοι γίνονται ἐπ᾽ ἤματι κείνῳ ἄρουραι

quod est ex Auieni interpretatione

aut vbi cursum
Cum matutinos molitur Lucifer ortus,
Ebria sanguineas subuoluunt vellera nubes
Nanq; grauis cœlo fundetur protinus imber.

quo loco mea sententia, ὑπέρευθρον, id est subrubeum colorem, puniceum appellat ac purpureum, nimirum quia ad rubedinem declinant, quo modo & flamma per fumum densissimum conspecta, rubea, punicea videlicet ab Aristotele dici aliquando solet, vnde Auienus rectissime sanguineum interptetatus est; qui enim simpliciter rubeus color est, vētos non pluuias indicat, vt supra demonstrauimus.

2 ἐὰν γὰρ δὴ πρότερον τριταῖα.) Verba obscura & sic concipienda ἐὰν γὰρ δὴ καὶ δύνοντος, πρότερον τὸ ἐπιφοίνισσον, scilicet σημεῖον φαίνοιτο, τριταῖα μάλιστα, scilicet ὕδατα, σημαίνει; quod est, & si sole occumbente paulo ante puniceum signum appareat, in triduum imbres maximè prænunciat, vt expres-

expreſsimus in verſione; quo loco verba illa, τριταῖα μάλιστα, ſuperiorem noſtram explicationem mirifice comprobant, nimirum ſignum, non prima, ſed tertia exinde die pluuias plerunq; nunciare. rectè autem idem ſignum in occaſu ſolis obſeruandum monet, quod in ortu illius conſpiciendum nobis obtulerat, uam & occidens quoq; ſol prædicit, licet minus, vt hic perbellè docet Theophraſtus; certiora enim ſigna de ortu habentur, vnde rectè inquit autor, puniceum ſolem occumbentem minus præſagire, quàm ſi talis oriatur: cuius rei cauſam ex prob. 8. ſect. 26. colligere fortaſſe poſſumus, quo loco quærit philoſophus, cur occaſus puri ſint ſerenum ſignum, perturbati verò hyemale; ſic enim orditur
„ quæſtionem, διὰ τί αἱ μὲν καθαραὶ δύσεις εὐδιεινὸν σημεῖον, αἱ
„ δὲ τεταραγμέναι χειμερινόν; vt me interdum ſomniare credam, cum video Theodorum virum maximum adeo plerunq; dormitaſſe in problematum illorum conuerſione: ipſe enim ſic
„ locum hunc interpretatur Quam ob cauſam Cœlum purum
„ & placidum ſerenum indicat tempus, turbulentum hyemem
„ prænunciat? ac omnino quidem præter rem, & mentem præceptoris; quandoquidem neq; cęlum vndequaq; purum, ſed ſi ad occaſum vel ortum tantum purum fuerit, nec in quacunq; diei parte, ſed oriente ſole vel occumbente, ſignificare ſerenitatem poteſt; ac de hyeme & tempeſtate eadem eſt ratio; quamobrem Ariſtoteles ſignatè occaſum exprimit, quoniam ſol ſi purus occũbat, id eſt ſine nubibus, & ſic occaſus purus ſit, ſerenitatem promittit, licet alia cœli pars nubila ſit, vt cum totius ſententiæ ruina vocẽ illam, δύσεις, preterijſſe Theodorum ſit manifeſtum. Hoc igitur, vt ad noſtra redeamus, cum ibi quærat philoſophus, præmittẽs ad diſſoluendam queſtionem, ſi conſtitutio, ex qua tempeſtas oriri debet, valida fuerit, nimirum copia vaporum & exhalationum ingens, ac parata, ſtatim in ortu ipſo ac prima luce hyemare, ſi imbecillior ſit, nec tamen ex toto ſuccũbens, occaſum verſus conſtitutionem ipſam & materiam depelli, ac inibi manere, eo quòd aër terræ proximus & uos ambiens inſtante tempeſtate ſit craſsiſsimus; hæc inquam præfatus, ſatis monſtrat leuioris tempeſtatis, vel pluuiarum ſigna

gna

gna occaſum ſuppeditare quàm ipſum ortũ, nimirum quia propter imbecillitatem conſtitutionis, ab ortu repulſæ, & ad occaſum abeuntis, ibi appareant; ex quibus omnibus, quid voluerit diuinus Poeta Virgilius carminibus illis, quibus conſimile ſignum exprimit primo Georgicô, fit perſpicuum.

Hoc etiam, emenſo quum iam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis: nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluuiam demonſtrat, igneus Euros & c.

in quorum interpretatione duæ non leues oriri poſſunt dubitationes: primum enim quod Virgilius inquit magis prodeſſe ſigna de occaſu meminiſſe, ſi ea de cauſa inquir, quam Seruius affert, videlicet quia à ſole venientia veſpertina ſigna meliora ſunt, id eſt certiora, id profectò vt ex ſuperioribus conſtat, tanquàm falſum, atq; ab Ariſtotele, ac Theophraſto alienum admitti non debet; ſunt enim ſigna de ortu ſumpta multo meliora, id eſt certiora, & maioris rei prænuncia, quoniam à robuſtiori principio deſumuntur; quod ſi meliora hominibus commodiora interpretemur, id nihilominus falſum erit; ſigna enim de ortu ſumpta, diei potiſsimum, accepta de occaſu, noctis conſtitutionem monſtrant; at longè conducibilius eſt, diem agnoſcere, qualis ſit futurus, quàm noctem ipſam. Secundo quo modo cæruleus in occaſu ſolis vultus exiſtens pluuias denuntiare poſſit, valde etiam videtur dubium; (quod enim ventos unnciet ſi igneus appareat, id eſt flauus ac rubeus, id ab omnibus ſine vlla controuerſia receptum eſt, à nobiſq; in ſuperiori aunotatione fuſius explicatum;) quandoquidem, cum illud cæruleum dicamus, quod cœli puri ac nubibus vacui colorem imitatur; hoc modo, cæruleo ſolis vultu, purus maximè occaſus erit illius; at id ſereniratis eſt argumentum. Reſpondemus ad dubitationem primam, Virgilium non eo ſenſu dixiſſe, profuerit meminiſſe magis, & c. quemadmodum accipit Seruius, verum cum orientis ſolis indicia aperuiſſet, iam eiuſdem occidẽtis ſigna explicans, merito profuturum eſſe magis, ſi hęc etiam obſeruemus memoriaq; teneamus di-

xiſſe

xisse, quoniam ad priorem vtilitatem, quæ magna est, hæc altera accedit; cognitis enim signis de ortu diurnus status aëris dignoscitur, qualis sit futurus, quod quidem magni interest, cum opera ferè omnia, plurima saltem interdiù exerceamus; hoc enim proprium est hominis, quemadmodum & Veritas ipsa Regij Prophetæ ore psalm 103. docet.
„ Ortus est sol & cõgregati sunt: & in cubilibus suis colloca-
„ buntur; exibit homo ad opus suum: & ad operationem su-
„ am vsq; ad vesperam. intellectis verò illis quæ ex occasu solis pendent de statu aëris nocturno iudicamus, quæ res non exigua humanis vsibus commoda affert; quamobrem rectissimè addit Virgilius profuturum magis si occidentis quoq; solis signa intueamur, proderit enim multum orientis signa obseruare, occidentisq; præterea, proderit adhuc magis, quia vtilitas, licet minor, maiori adijciatur: non me tamẽ præterit Aratum ita cecinisse

ἑσπερίοις καὶ μᾶλλον ἀληθέα τεκμήραιο.
ἑσπερόθεν γὰρ ὁμῶς σημαίνεται ἐμμενὲς αἰεί. id est
occidentalibus etiam magis certa deprehenderes

Ab occidente nãq; signa sumũtur inuariabiliter sẽperverum ne descivisse à veritate Aratum fateri cogamur, dici fortasse poterit, certiora signa de occasu nos captare ipsum eo sensu protulisse, quia matutina signa plerunq; nos lateant, vnde non simpliciter certa magis, sed quoad nos dicenda erunt; plurimi enim occidentẽ solem ac omnes ferè cernunt, pauci orientem; atq; sensui huic postremum carmen mirificè arridet, vbi dicitur, de occasu semper & inuariabiliter signa sumi, nimirum quia facile sit illum obseruare, quamobrem nulla ratione audiendus est Theon, qui signa vespertina certiora simpliciter ac potentiora esse scribit.

Ad secundam dicimus cæruleum colorem, à Græcis cyaneũ dictum, ex admixtione albi & atri nigriq; constare, vt ex cap. 3. libelli de coloribus constat; aër enim cum in profundo cernitur proximè apparet colore cyaneus propter raritatem, vbi enim deficit lumen ibi tenebra interceptus apparet cyaneus, vt dicit autor; quamobrem cærulei nomine Virgilius colorem qui ad nigredinem declinet ex admixtione

ne radiorum ſolis cum vaporibus & nube prouenientem voluit ſignificare, qualem etiam puniceum eſſe diximus, quod quidem pluuiam præſagit, vt ſatis ſupra eſt monſtratum.

3 καὶ ἔαν δύνῃ χειμέριος ἢ εἴαρος.) Emendo prò, εἴαρος, ἔαρος, vt ſit ſententia, ſi ſol hyeme ac vere ſe condat in nubeculam plerunq; ad tertiam diem ab occaſu imbres prænunciare: cauſa eſſe poteſt, quoniam hyems & ver pluuia magis tempora ſunt, cum humidam temperiem nanciſcantur, vnde cũ aër ad pluuias ſit propenſiſsimus, exiguum quoduis principium, & concretio vaporum imbecilla poteſt in his temporibus imbres generare; debile verò eſſe principium hoc, de quo autor ſermonem habet, tum ex loco ipſo tum ex mole concretionis ſatis claret, quoniam enim concretio valida nõ eſt, ſed imbecillior & pauca, vt vox illa, νεφέλιον, nubeculam oſtendit, nec tamen ex toto ſuccumbens, occaſum verſus depellitur, vt ex prob. 8. ſect. 26. ſupra de Ariſtotelis ſententia monebamus; atq; propter ſuam imbecillitatem & exiguitatem non ſolum eadem die non affert imbres, ſed nec etiam ſequenti nocte, verum in triduum eos profert; quia verò aër hyemalis eſt, aut vernus, nimirum qui concretionẽ libentiſsimè retinet, & ſeruat, neq; eo die in quo ad occaſum depellitur conſtitutio, neq; duobus ſequentibus ſuperari poteſt ab ipſo ſole; vnde in aëre remanet quaſi fomes quidam, & cauſa eſt vt amplior materia cogatur, indeq; ad diem tertiam pluuiæ fiant: quod ſi æſtate vel autumno ſaltẽ in prima ſui parte id contingat, imbecilla hæc conſtitutio ab aëris ſiccitate & calore facile ſuperatur, quamobrem non eſt vt timeamus tunc vllum fieri pluuiarum apparatum. Iam verò duo interim hoc loco maximi momenti notanda ſunt, primum eſt, tempus quoq; anni, quale nam ſit, in quo ſignum cadit obſeruandum eſſe: ſecundum, non ſemper eadem die vel nocte, quæ ſignum ſequitur, mutationem eſſe expectandam, cum in ſequentes dies differri poſsit: Aratus pluuias, tempeſtates, huiuſq; generis mutationes in diem vſq; quintam proferri poſſe notatum reliquit carminibus illis,

Ἄλλοτε μὲν τρίτον ἦμαρ ἐπιτρέχει, ἄλλοτε πέμπτον
Ἄλλοτε δ᾽ ἀπρόφατον κακὸν ἵκετο.

Quæ Auienus ita latina reddidit

Nanq; alias cælo tum tertia lumina Phæbus exerit.
Crebro quinta dehinc lux commouet amphitritem
Sæpe inopina mali clades ruit.

4 καὶ ἐὰν ῥάβδοι.) Virgæ ad latus semper gignuntur vel australe vel aquilonare, vt 6. capite 3. Meteoron docet Aristoteles, nunquam ad ortum aut ad occasum; item apparent cum ipse sol ascendit vel descendit, rarissimè cum tenet cœli vmbilicum, sed cum descendit sæpius; suntq; virgæ vt parelia, coronæ & Irides, pluuiarum indicia, quemadmodum citato loco cap. 3. idem monet (quanquam horũ aliqua magis, aliqua minus) quoniam reflexione quadam visus oriuntur, aëre & vapore in nubem concreto; vnde aërem ad aquæ ortum preparatum esse monstrant, ac vaporum plenissimum; subindeq; mox futuros imbres nunciant: talem enim concretionem fieri indicant, ex qua continenter densata ad aquam venire necesse sit, vt citato loco docet Aristoteles: verum sicuti parelium australe pluuias magis indicat, vt 6. capite Philosophus acutè docet, quàm aquilonare, quoniam aër austrinus, vt ipse inquit magis quàm qui ad septentriones positus est, in aquã mutatur, ita & de virgis sentiendum videtur; Olympiodori nanq; expositio, qui non ad situm sed ad ventum Austrũ Aristotelis verba refert, ex hoc Theophrasti loco penitus reijcitur: inquit enim Olympiodorus parelium australe dici, quod à vento Austro existit, licet ad Septentriones conspiciatur; flante enim Austro, Septentrionem versus pelli ab eius flatu ibi vapores, ac refrigeratos ob loci naturam, in nubem densari, pareliumq; generari; propterea aërem austrinũ ad pluuias aptissimum esse, cum alioqui ratione situs suo in loco ob solis cursus ardentissimos nequeat in nubem cogi: verum Theophrastus hic manifestè inquit virgas ad Austrum conspectas, si mox ad Septentriones transferantur pluuias, imbecilliores nunciare, vt omnino ad situm verba sint referenda: loquitur enim Aristoteles 3. Meteoron vt rectè Vicomercatus in Olympiodorum inuehens com. 40. animaduertit, nostri habita ratione, atq; in nostro tractu aërem Austrinum magis

in aquam mutari intelligit, nimirum quia magis vaporibus abundet ob ventum Austrum: qua verò de causa virgæ tricolores sint supra annotatione prima monstratũ est, ob speculi enim inæqualitatem, à quo lumen repercutitur, vt dicit Aristoteles, varij illi colores oriuntur; Cæterum his ita explicatis sententiam huius loci satis nunc perspicuam esse reor, & qua de causa scripserit Theophrastus, virgas ex australi latere ad septentrionale trãslatas, pluuias quidem, sed imbecilliores significare: virgæ enim vbicunq; fuerint signant pluuias, sed ad septentriones conspectæ imbecilliores ob causam ex Aristotele explicatam: res tamen hæc tãquam insignis & de qua nihil 3. Meteoron Aristoteles differuerit non est oscitanter pretereunda, quandoquidem credendum non est eandem virgam, quæ apparet ad austrum, mox ad septentriones transferri, sed potius materiam gignendis virgis idoneam ad septentriones generari, ex qua mox virgæ oriantur, ea consumpta, quę ad austrum apparebat.

5 καὶ ἴαν ἄνοχων μέλαν.) Cum tria signa simul iũgat Theophrastus, nempe solis orientis nigredinem, aquosarum nubium concursum, ac radiorum ipsius ante ortum apparitionem, meritò dubitare quis posset, vtrum tria hæc in vnum coire voluerit autor, ita vt sententia sit, cum hæc tria signa sole oriente conspirauerint, & aquam & ventum die illa esse expectandum, an potius separatim sint accipienda, vt quale alterum eueniat, commune signum pluuiarum & flatuum sit reputandum: Ego quidem, ne mancus videatur autor, priorem interpretationem omnino amplector, nam & nigrum signum per se sumptum semper aquam portendit, vt annotatione prima demonstrauimus, quod idem significant aquosæ nubes orientis solis comites; quamobrẽ si tertium signum non concurrat, non poterint fortasse ex duobus prioribus, nisi imbres prænunciari, vnde falsò dixisset Theophrastus communia esse illa duo venti & pluuiæ indicia. Verum tres pulchræ dubitationes oriuntur: prima est quo modo si tria hæc signa eodem tempore euenire vult autor, possit tamen primum cum tertio conuenire: nam si

otiens sol nigrescat, iam tunc radij illius apparentes, non
" ante ortum sed in ortu spectabuntur; atqui Theophrastus
" dicit, & si ante illius ortum radij se ostendant &c. Secunda dubitatio est, quo modo possint radij eius, antequam ipse sol lineam orientis attingat, in nostro hemisphęrio apparere: Tertia, qua ratione possint ex his signis venti prę-monstrari: breuiter ad primam respondemus, dupliciter Theophrasti verba intelligi posse; enimuerò vel cum dicit, ἀνίσχων, non intelligit, quòd sol sit exactè in ortù, scilicet in linea horizontali, sed satis est si fuerit illi proximus: atq; hoc modo nigredo illa non in solari corpore sumenda erit sed in ea parte aëris, quæ splendens magis, illius ortum euidentius designat, atq; hoc pacto tertium signum cum primo eodem temporis puncto locum habebit; vel si voce illa, ἀνίσχων, designat solis situm exactè in horizonte orientali, tunc dicendum est, tria hæc signa fieri quidem matutino tẽpore voluisse Theophrastum, sed non omnia eodem instanti, licet alterum post alterum non longa temporis intercapedine; atq; hoc modo tertium signum primò oculis notabitur, mox primum, postremo loco secundum; nam & paulo ante illius ortum scilicet antequam solare corpus attingat horizontem, à nobisq; videri possit, radij eius apparebunt: mox sol niger in ortu conspicietur; postremo nubes aquosę illum obsidebunt: atq; hoc modo nigredo ipsa in solari corpore erit animaduertenda. De secunda dubitatione quid dicendum, satis constat ex 3. Meteoron; cum enim ex concretione vaporum exhalationumq; in nubem quandam, tanquam ex quodam speculo reflexio radiorum solis & lunę reliquorumq; Syderum, sed solis potissimum fiat, speculum ipsum artificiale satis docet, quo modo ante ortum illius possint radij in nostro hemisphęrio videri: notum nanque est vel pueris, solis lucem in speculo receptam indeq; reflexam, admota manu, pelli quoquo versus mouenti placuerit, & quasi eiaculari; vnde apparitio hæc radiorum paulo ante solis exortum, non potest nisi ex nube quadã, quę speculi vicem gerat caussari: quoniam autem concretio hęc, quę nubem efficit vel infra, vel supra horizontem esse potest, nõ
in

incongruè supra horizontem illam collocabimus: obseruauimus enim nos, lapso iam sole, ita vt nec etiam altissimorum montiũ vertices lumen amplius attingeret, radios eius à nube quadam sensibiliter reflecti; verum quoniam nullam de nube radios reflectente Theophrastus facit mentionem, dicendum est, concretionem, quæ reflectit ex fumida constare exhalatione oportere, adeo vt ea aeris pars, in qua reflexio efficitur, densior ob exhalationis huius præsentiam reddita fuerit, ac subinde idonea reflexioni, non tamen in nubem nostris oculis sensibilem coacta, cum enim fumida exhalatio sua natura ad splendorem declinet & facile luminis induat similitudinem, nisi vehementer fuerit densata & in magnã copiam, latere in aere poterit, etsi reflectat, quod de vapore nequit affirmari; qui veluti sua natura nigrior nõ delitesceret; vnde hoc pacto ante solis ortum radij apparebunt, nec vlla tamen reflectens nubes conspicietur. Ad tertiam dico ex tertio signo ventum portendi; cum enim radij solis, eo modo quo loquitur hic Theophrastus, eius ortum anteuertere tantum videantur, quando fumida concretio in aere est, quæ eos possit ad nos reflectere, nempe sicca exhalatio; exhalatio verò ipsa venti sit causa, non incongrue tertium signũ de vento vaticinabitur: quin etiam & secundum signum, videlicet magnus nubium concursus, poterit ventum indicare; vt enim cap. 9. 2. Meteoron, docet Aristoteles, exhalatio duplex est, altera humida altera sicca, & concretio ipsa ambo hæc potestate habet; quod si, vt idem eo loco monet, nubes ad extremum terminum densior fit, iam poterit concretio hæc solem sequens, ipso oriente aut nuper orto, in parte densitati contraria, facta expresione, (vt citato loco perbelle docet Aristoteles) vehementes maximè ventorum flatus ad nos mittere: sequi enim eiusmodi concretiones sidera ipsa, ac solem potissimum testis est Aristoteles cap. 8. primi Meteoron locupletissimus, ac res ipsa docet: cum nubes, quæ, coronas repræsentantes, solem, & lunam ambiunt, lumina ipsa, quamuis locum mutantia, sequi videantur. licet non me lateat, doctos viros non moueri constitutionem hanc, nec sequi solem aut lunam asseruisse,

uisse, sed perpetuo aliam atq; aliam coronæ speciem in aere representari: de qua re aliàs dabitur nobis occasio disserẽdi: sed ne à scopo nimis digrediamur, tertium hoc signum ab Arato sic fuisse expressum satis constat

Μὴ δ' αὔτως ἔτ' ἐόντι πέρην, ὁππότε πρὸ τοκεῖο
Ἀκτῖνες φαίνονται ἐπίσκιοι ἠῶθι πρό,
Ὕδατος ἢ ἀνέμοιο κατερχομένου λελαθέσθαι.
Ἀλλ' εἰ μὲν κεῖναι μᾶλλον κνέφαος φορέοιντο
Ἀκτῖνες, μᾶλλόν κεν ἐφ' ὕδατι σημαίνοιεν.
Εἰ δ' ὀλίγος τανύοιτο περὶ δνόφος ἀκτίνεσσιν
Οἷόν που μαλακαὶ νεφέλαι φορέουσι μάλιστα,
Ἦτ' ἂν ἐπερχομένοιο περιδνοφέοιντ' ἀνέμοιο. id est

Neq; pari modo adhuc existenti inferne quãdo pretẽsi
Radij, apparent obscuri ante auroram,
Pluuiæ aut venti irruituri obliuiscere.
Porrò si illi magis caligine inuoluantur
Radij, magis certe de pluuia monerent.
Sin autem modica extendatur caligo circum radios
Qualem nonnunquam teneræ nubes ferunt maximè
Certè adueniente obtenebrari solent vento.

Ex his autem carminibus perspicuum est, Aratum, signa hæc diui à sumere, non coniuncta, ita vt non aquæ simul & venti indicium præbeant, sed secundum colorem radiorum de pluuijs aut vento futuro indicetur; si enim obscuriores sint & atri magis pluuias, si emarcescentes & obscuri minus, vt exponit Theon, ventos portendere. Virgilius primo Georgicon versibus illis tertium hoc signum, nisi fallor, attingit vna cum secundo

Aut vbi sub lucem densa inter nubila, sese
Diuersi erumpunt radij:

elucescente enim iam die, ante solis scilicet exortum, radios apparere scribit. Plinio vigesimum quartum signum, hoc tertium Theophrasti, est in prognosticis tempestatũ cap. vltimo lib. 19. vbi sic legitur, si ante ortum radij se ostendunt
„ aquam & ventum:

6. καὶ ἐὰν καταφερομένου τοῦ ἡλίου.) Signum hoc ad solem occidentem spectat, ac potissimum de nocturno aëris statu

decer-

decernit qualis sit futurus: si enim sol nubilus mergatur ac radij à nube scindantur, hyemale indicium est, nimirum quemadmodum clarius precedentibus verbis dixerat commune signum aquæ & venti: esse enim tempestatem propriè, cum duo hæc in aere locum habent, non semel fuit superius demonstratum: dixit ὑφίστηται νέφος, nos, si nubes incumbat, quoniam potest nubes vel solem circumcludere & ambire, vel incumbere potest, posterior verò significatio huic loco quadrat nostra sententia: de priori Plinius eleganter in decimosexto signo, si nubes solem circumcludent, quãto minus luminis relinquent, tanto tardior tempestas erit: quorum verborum explicationem annotatione prima Opusculi de signis Tempestatũ habes; de posteriori in signo decimonono. Si non ambibunt sed incumbent, à quocunque vẽto fuerit eum portendet; si à meridie imbre: ex cuius verbis causam etiam elicimus, quare venti hoc signo portendantur; nubes enim quæ incumbit, propellente vento incumbit, vnde & à quocunq; fuerit vento illum maximè flaturũ significat: ostendit enim iam quidem incepisse ventum, sed non tamen adhuc adesse; motum nanq; venti è supero ortum ducere, ac prius moueri partem aëris superiorem, quàm flatum nos sentiamus, iam pridem in annotationibus super libellum de ventis Aristotelis ac Theophrasti autoritate ostendimus: Cum verò Plinius addit, à meridie imbrem, intelligendum est, imbrem quoq; simul cum vento fore, non imbrem tantum: Austrum enim ventum nubes à meridie incumbens oriri monstrat, qui semper ferè pluuias affert. Potest etiam & secundum signum, nempe radiorum scissio & diuisio ventum indicare; sicuti enim cum corona distrhaitur ac dissipatur venti est indicium, quoniam diuisio illa à vento efficitur iam iam è concretione ipsa erũpente, quæ coronam gignit, vt cap. 3. tertij Meteoron docet Aristoteles; ita & radij diuelluntur, quia nubes incumbens ac solem totum tegens, iam distrhai aliquo ventorum flatu incipiat, qui intra ipsam generatur, ac locum dare penetrationi radiorum in aliqua sui parte; vnde radij necessario finduntur: Aratus de hoc signo & de radiorum diuisione

ne circa solem.

> *Καὶ δὴ δυομένου τετραμμένος ἠελίοιο*
> Ην μὲν ὑποσκιάησι μελαινομένη εἰκυῖα
> Ηέλιον νεφέλη, ταὶ δ' ἀμφί μιν ἔνθα καὶ ἔνθα
> Ακτῖνες μεσσηγὺς ἑλισσόμεναι διχόωνται,
> Ητ' ἂν ἔτ' εἰς ἠῶ σκέπαος κεχρημένος εἴης.

Quod est ex Auieno

> Et cum declinant radij, sed partem in vtranq;
> Lucis in occasu, nox vt ferat algida rores
> Imber erit.

Iam verò pretereundum non est signum hoc de nube in solem vesperè incumbente illustrissimum esse, tanquam Domini nostri Iesu Christi ore decantatum, nam & illud idem
» hoc est, quod Lucæ 12. his verbis explicatur ὅταν ἴδητε τὴν
» νεφέλην ἀνατέλλουσαν ἀπὸ δυσμῶν, εὐθέως λέγεται, ὄμβρος ἔρ-
» χεται. καὶ γίνεται οὕτω. quod est: Cum videritis nubem o-
» rientem ab occasu statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit: nubem enim de occasu oriri, nil aliud est mea sententia, quàm in solem iam iam labentem nubem incumbere; hęc enim signa circa solem & lunam considerantur, vnde 3. Regum cap. 18. nubes illa de mari ascendens, ex qua pluuias Regi Achab Elias augurarus est, sole iam labente ascendis-
» se colligitur, nam & paulò supra habetur; postquam autem
» transijt meridies; vt altaris erectio, sacrificium, & pseudoprofetarum occisio; & alia, quæ exinde gesta fuisse narrat scriptura, non antea perfici potuerint, quàm sol laberetur; certissimum autem erat signum hoc Iudeis pluuiarū vt Didacus eo loco rectè animaduertit, quanquam non Iudeis tantum id est proprium, vt idem sentire visus est, sed omnibus commune, cum scilicet sol nubilus occumbit, pluuias portendi; verum Iudeis potissimum, quoniam Palestina ab occasu habet præsertim equinoctiali & æstiuali, Aegyptiacū pelagus & Mediteraneum; vnde atræ nubes ad illos cœli maximè angulos conspectæ pluuiarum illis certa sunt indicia, atq; hoc est quod 3. Regum scribitur tanquam maximū
» pluuiarum signum. Ascende & prospice contra mare: &
» mox Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascēde-
bat

bat de mari, sol enim in tractu illo occasum petens, potest suo calore ingentem vaporum de mari copiam attrahere, quorum aliqua pars ob antiperistasim densata in nubem, solem ipsum labentem obsidet ac signum certum dat pluuiarum.

7 καὶ ὅταν καυματίας δύεται ἀνατέλλῃ.) Legendum δύη. καὶ ἀνατέλλῃ, & fortasse καυματίους vt sententia clara sit; solis autem insolitum calorem orientis præsertim & occidentis, aut ventum aut pluuiam præsagire ratio ipsa demonstrat; crassiorem enim iam reddi aerem, aut vaporum, aut exhalationum copia, vehementior ille calor ostendit: atq; hic locum habet, quod diuinus vir prob. 17. & 20. sectionis 25. luculenter disserit, docens quare serenum cælum frigidius sit, quàm nubilum: per serenitatem enim nihil est quod calorem circa terram à sole genitum arcere contineréq; valeat; cũ verò aër crassior redditur & nubilus, sua crassitudine caloris diffusionẽ prohibet, vnde meritò calor augetur: atq; hec causa est, cur in austrino aëris statu calidior sit dies, quàm in aquilonio, etiam si cælum fuerit serenum, vt nos abundè alio loco demonstrauimus; redditur enim aër à vento Austro crassior: insolitus igitur orientis, vel occidentis solis æstus pluuiam, aut ventum necessario his de causis indicabit; ac pluuiam quidem, si crassitudo ex vaporibus, ventum, si ab exhalationibus in aëre ortũ habebit: pluuiam tamen fortasse magis, si calor fuerit vehemens, quoniam crassiorem reddunt vapores aërem, quàm exhalationes; quò verò crassior est, eò & calidior efficitur: quod quidem acutè indicat Theophrastus dicens, si non ventum certè pluuiam signum hoc esse allaturum: quanquam & ipsa quoq; exhalatio, si dominatur, potest calorem augere, quia vt 2. Meteorõ docet Aristoteles, de terremotibus agens, vim habet aerem calefaciendi: sed cur calorem hunc ortus vel occasus tempore obseruandum precipit Theophrastus? sanè quia ortus & occasus sunt diei partes & dichotomiæ vt supra annotatione 30. planũ fecimus; vnde in illis variat causa agens, quæ si materiam in aëre paratam inuenit, aut ventis gignendis, aut pluuijs idoneam, ventum quidem ipsum

aut pluuiam gignit.

8 *ἐὰν μὲν ᾖ γυρώδης, σημαίνει τὸν μῆνα.*) Prò γυρώδης, emendo, πυρώδης, nam vox hæc alteri respondet, ζοφώδης, & significant hæ duæ voces, igneum seu rubrum & flauum colorem; item fuscum seu nigrum apud autorem nostrum, vt annotat. prima explicauimus. Præterea sententiæ ratio exigit, vt prò alijs illis, τὸν μῆνα, legamus, τὸν ἄνεμον, vel relinquentes vocem hanc in contextu, subaudiamus, ἀνεμώδη; quod mihi magis probatur; cæteroqui orationem fore mancam nemo non videt; signis enim ad solem pertinentibus explicatis, nunc eadem & lunam afferre scribit Theophrastus; ac primum in plenilunio eam esse spectandã monet & meritò; per id enim temporis & maximũ lumẽ & vires maximas habet: atq; sententia est, si ignea & rubra fuerit, ventis perflatũ mẽsem prænunciare, si atra & obscura pluuiũ; vt iam vox illa, ἀνεμώδη, omnino in contextu videatur reponenda: rubra autem signa ventos monstrare, nigra pluuias, & quam ob causam antea docuimus; rectè autem addit Theophrastus, si imbecillior facta & c. densato enim aere debilius lumen redditur illius, vt quod minus per illũ possit penetrare: dicit rursus lunam plenam portendere mensem aut ventis agitatum aut pluuijs, non diem; quoniam aspectus hi de mense, ac mensis parte, de pluribus videlicet diebus, tanquam dichotomiæ, decernendi habent potestatem.

9 *σημαίνει δ' ὅτι ἂν σημαίνει τριταῖος ὢν ὁ μεὶς.*) Mutilam hoc loco & conturbatam esse orationẽ satis patet: vnde nisi fallor, subaudiendum est, σημαίνει δὲ, scilicet σηνοδῳ, aut si magis placet, τετράδι, vel tale quid: sententia nanq; est, nisi hallucinor, lunam, non solum cum plena est, signa dare, sed etiã cum nona est, ac primum sese præbet conspiciendam: enimuerò si tunc rubea & flammea, ventum, si atra fuerit pluuiam identidem indicabit. Hoc totum diuinus poeta Virgilius sic primo Georgicon elegantissimè exposuit.

Luna reuertentes quum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëre cornu,
Maximus agricolis pelagoq; parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem

Ventus

Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Significat autem dies menſis tertius ſcilicet à numinia, & nouilunio, quia ſextilis configuratio vera tunc poteſt contingere, media enim circa quartam fit ſemper, & poteſt primum luna tum apparere: antequam enim oculis notari poſſit, nullum ſignum ſumi quit ex ea, atq; vt ex Galeno annotatione 28. dicebamus, dies tertius longiſsimus eſt limes apparitionis eius: Aratus de ſigno plenilunij.

Σκέπτεο δ' εὖ πληθῦν τε, καὶ ἀμφότερον διχόωσαν,
Ἠμὲν ἀεξομένην, ἠδ' ἐκ κέρας αὖθις ἰοῦσαν.
Καί οἱ ἐπὶ χροιῇ τεκμαίρεο μηνὸς ἑκάστου.
Πάντῃ γὰρ καθαρῇ, καὶ μάλ' εὔδια τεκμήραιο.
Πάντα δ' ἐρευθομένῃ, δοκέειν ἀνέμοιο κελεύθους
Ἄλλοθι δ' ἄλλα μελαινομένῃ, δοκέειν ὑετοῖο. id eſt

Aſpicè item ad plenamq; & vtrinq; dimidiatam
Tum creſcentem, tum ad cornu rurſus euntem,
Atq; eius ex colore ſigna capeſſe menſis cuiusuis:
Omnino enim pura cum ſit, ſerenitatem obſeruato:
Omnino verò rubens, conijcito venti meatus:
Alias aliter nigricans, coijcito pluuiam.

„ Plinius: Si plenilunio per dimidium pura erit dies ſerenos
„ ſignificabit, ſi rutila ventos, nigreſcens imbres: item Aratus de ſigno nonilunij.

λεπτὴ μὲν καθαρή τε περὶ τρίτον ἦμαρ ἐοῦσα,
Εὔδιός κ' εἴη. λεπτὴ δὲ καὶ εὖ μάλ' ἐρευθὴς,
πνευματίη. παχίων δὲ καὶ ἀμβλείῃσι κεραίαις
τέτρατον ἐκ τριτάτοιο φόως ἀμενηνὸν ἔχουσα,
ἢ νότῳ ἀμβλύνεται, ἢ ὕδατος ἐγγὺς ἐόντος. id eſt

Tenuis quidem puraq; circa tertium diem exiſtens,
ſerena fuerit: tenuis verò & probè admodum rubens,
Ventoſa: craſſa autem, & obtuſis cornibus
Quartum à tertio lumen debile habens
Aut Auſtro hebetatur, aut pluuia propè exiſtente.

„ Plinius: proxima ſint iure lunę præſagia. Quartam eam
„ maximè obſeruat Aegyptus. Si ſplendens exorta puro nito-
„ re fulſit, ſerenitatem: ſi rubicunda ventos: ſi nigra, pluuias
„ portendere creditur: Ptolemæus in extremo ſecundi libri

„ de vtroq; aſpectu eleganter; Lunam obſeruabimus in itine-
„ re ſuo dierum trium ante vel poſt interlunia, ac plenilunia,
„ & medium tempus quò erga ſolem quadratur. Nam tenui
„ putaq; luce nitens, ſiq; nihil illam circundet, ſerenitatem
„ ſpondet, ſin tenui rubeat luce, ſiq; totus perſpicuus ſit or-
„ bis illius etiam qua parte non illuſtratur, & tremere videa-
„ tur ventos maximè declinationis ſuæ ciet: nigra, pallida,
„ ſpiſſa, hyemes ac imbres minatur:

11 ἀστέρες πολλοὶ διάττοντες.) Mirum alicui videri poſſet, qua ratio e Theophraſtus hoc in loco audeat affirmare, ſydera, ſi crebra diſcurrant, non ſolum ventos, ſed etiam pluuias denuntiare: quod enim frequens hæc eiaculatio ventos monſtret, hoc certe & cum ratione conſentit, & omnium fulcitur autoritate: quòd verò pluuiæ ex hoc ſigno ſint expectandæ, id omnino & teſtes, vt videtur, & ratio deficit; ab exhalatione enim ſicca fieri diſcurrentia aſtra docet 5. cap. primi Meteoron Ariſtoteles: quamobrem quò fuerint crebriora, eò & maiorem exhalationis huius copiam demonſtrabunt; hæc verò ventũ non pluuiam gignit. præterea Ariſtoteles prob. 22. ſect. 26. & quòd magis eſt ipſemet Theophraſtus libello de Ventis tex. 36. aſtra, cum proſiliunt, venti indicium dari, ſicuti teſtatiſsimum faciunt, ita & de pluuijs nullam habent mentionem; ponuntq; cauſam ac potiſsimũ Ariſtoteles, propterea quòd à flatu feruntur, qui prinſquam ibi, quàm apud nos, excurrit: atq; huic ſententiæ ſine vlla diſſenſione omnes ſe ſubſcribunt. Aratus.

Καὶ διὰ νύκτα μέλαιναν ὅτ' ἀστέρες ἀΐσσωσι
Ταρφέα, τοὶ δ' ὄπιθεν ῥυμοὶ ὑπολευκαίνωνται,
Δειδέχθαι κείνοις αὐτὴν ὁδὸν ἐρχομένοιο
Πνεύματος. id eſt
Item per noctem atram cum ſtellæ præcipites ruant
Crebrò, à tergo verò tractus ſubalbeſcant,
Accipito per illas eadem via venientem
Ventum.

Virgilius Aratum immitatus
Sæpe etiam ſtellas vento impendente videbis

Præci-

Præcipites cœlo labi.

„ Plinius. Tertio loco ſtellarum obſeruationes eſſe oportet.
„ Diſcutrere ex videntur interdnm, ventiq; protinus ſequun-
„ tur, in quarum partibus ita præſagiuere: & mox, ſi volitare
„ plures ſtellæ videbuntur, quò ferentur albeſcentes, ventos
„ ex ijs partibus nnnciabnnt: aut ſi curſitabunt certos: ſi id
„ in pluribus partibus fiet, inconſtantes ventos effundent.
„ Quod totum ab Arato ſumptum eſt ita canente

εἰ δ' ἄλλοι ἐναντίοι ἀΐσσωσιν
Ἄλλοις ἐξ ἄλλων μερέων, τότε δὴ πεφύλαξο
Παντοίων ἀνέμων οἵ τ' ἄκριτοι εἰς μάλιστα.

quod eſt ex Auieno

Quod ſi diuerſis ſe paſsim partibns ignes
Excutiant: verret pelagus ſine fine modoq;
Turba procellarum.

„ Demum Ptolemęus; Iaculationes ſtellarum ſi ab vno angu-
„ lo prorumpant, inde quoq; ventum emittunt. Sin occur-
„ rent inter ſe, ventorum prælia ſuſcitant: ſin verò de quatuor
„ plagis ruant, hyemes varias fernnt, atq; etiam fulmina, to-
„ nitrua, & quæ alia huiuſmodi ſunt. Atqui omnes hi autores diſcurrentia ſydera ventos præſagire dicunt nullatenus pluuias: quâ ergo permotus ratione ſummus vir Theophraſtus pluuiarum quoq; eſſe indicia hoc loco affirmanit? quaſi ab his omnibus diſſentiens, & à ſemetipſo? Reſpondemus, iaculationem aſtrorum duplicem eſſe, ac duplicem cauſam & locum habere, vt cap. 5. primi Meteoron autor eſt Ariſtoteles; nam alia fit accenſione quadam, exhalatione videlicet motu accenſa, alia excretione potius exhalationis ipſius, quæ fit eliſione quadam: prior in ſupero magis loco generatur, in quò ventns nullus fit teſte Ariſtotele; vnde non poterit hæc nedum pluuias, ſed neq; ventos etiam indicare, niſi quatenus exhalationem dominari trndiq; ad hæc noſtra monſtrat: poſterior in inferiore loco gignitur, quòd exhalatio, vt docet diuinus vir, qua humidior eſt cogatur atq; refrigeretur, cum vero cogitur ac deorſum inclinat denſata, quod exhalationis calidæ in ipſa eſt in motu illo accenſum, propellit & in locum inferum iaculatur. Hoc igitur

fide-

ſyderum diſcurrentium poſtremum genus poterit ventos non ſolum præſagire (quoniam eo in loco venti fiunt in quo coguntur in nubes exhalationes ipſæ & vapores, vt monuit quarto capite primi Meteoron Ariſtoteles, vnde ea in parte incipientes, atq; huc & illuc ſuo flatu accenſas exhalationes illas ferētes, iam iā eū ad nos appropinquare indicium præbent) ſed & commodè poterit pluuias etiam portendere; cum enim, vt de Ariſtotelis mente docuimus, ex denſatione & refrigeratione humidioris exhalationis ortum ducant eiuſmodi ſydera diſcurrentia, ſi crebra diſcurrant, vt ſignatè exprimit, & acutè admodum Theophraſtus, pluuiarum quoq; erunt indicia; non exiguam enim humidæ exhalationis ac ſubinde vaporum copiam in aëre cogi & refrigerari demonſtrabunt; quamobrem & talem parari concretionem indicabunt, ex quā tandem denſata ad aquam venire neceſſe ſit; vt rectiſsimè prodiderit Theophraſtus ex intimis naturæ & peripateticę philoſophię arcanis rationem ſumens, eiuſmodi hoc ſignum poſſe etiam imbres præmonſtrare.

11 καὶ ἐὰν ἀκτῖνες ἀθρόαι.) Aratus ita hoc ſignū expreſsit

Εἰ δὲ οἱ ἀνιόντος, ἢ αὐτίκα δυομένοιο
Ἀκτῖνες συνίωσι καὶ ἀμφ' ἑνὶ πεπλήθωσι,
Ὕδατί κεν κατιόντι παρατρέχει ἤματα κεῖνα.

quod eſt ex Anieno

Ecce alias primo naſcentis ſolis in ortu,
Vel cum præcipites pelago Deus inſerit ignes
Si coeunt radij,
Omnibus his ſignis in terram defluit imber.

quibus carminibus, ſignum hoc pluuiarū eſſe, apertè teſtatur: idem enim eſt Theophraſto, niſi fallor, ἀκτῖνες ἀθρόαι, quod Arato, ἀκτῖνες συνίωσιν, quamobrem voci illæ, σημεῖον, ſubaudiendum erit, ὕδατος, vt ſententia ſit, ſignum hoc eandem habere in pluuijs prænunciandis cum ſuperioribus „ ſignificationem. Plinius ſic; ſi in ortu aut in occaſu con„ tracti cernentur radij, imbrem; cauſa autem manifeſta eſt, nam radiorum hæc in aëre coaceruatio, monſtrat aërem factum eſſe denſiorem: reflectuntur enim radij ad perpendicula-

cularem, & vniuntur, si medium crassius inueniant, & densius, vt perspectiuis satis est notum; verum aër, vt toties dictum est vaporum copia crassior redditur, quamobrem, cum radij, si confertim porrigantur, plenum aërem iam vaporum esse moneant, & subinde redditum humidiorem, iusta de causa pluuias timendas esse indicant.

12 καὶ ὅταν ἀνίσχοντος.) Aratus sic de hoc signo.

Ἀλλ' ὁπότ' ἠελίοιο μαραινομένῃσιν ὁμοῖαι
Ἐξαπίνης ἀκτῖνες ἀπ' οὐρανόθεν τανύονται,
Οἷον ἀμαλδύνονται ὅτε σκίησι κατ' ἰθὺ
Ἱσταμένη γαίης τε καὶ ἠελίοιο σελήνη
Ἄβροχοι γίνονται ἐπ' ἤματι κείνῳ ἄρουραι. id est
Verum quando solis marcescentibus similes
Extemplo radij à cœlo protenduntur
Sicuti euanescunt quando obumbrat ex directo
Stans terræq; & solis luna,
Arida non fiunt in die illo arua.

Signum verò hoc eandem habet causam cum superiori: aër enim densior factus, ac vaporum plenus, & propterea humidus ad pluuiasq; paratus, solis radios minus lucere finit, vnde lumen hæbetatur, fitq; debile quasi solis deficientis statum imitetur; quòd subtili disputatione docet summus Peripateticorum Alexander 3. Meteoron com. 16. ita scribens
„ vt ego interpretor; Hæc igitur causa est, quare quæ per eius-
„ modi media cernuntur maiora apparent: quin etiam, & hæc
„ altera, quia diffunditur motus, qui à sensibili efficitur, in
„ diaphano secundum actum, quando humidum fuerit & cras-
„ sum: quod autem præter rationem non fit, quod dicimus,
„ discet aliquis ex literis, quæ scribuntur in chartis humidio-
„ ribus & crassioribus; diffunduntur enim ac simul maiores
„ ob id apparent, & fiunt obscuriores, ac minus sinceræ; quo-
„ dammodo enim vt literæ in chartis, sic & colores eorum,
„ quæ cernuntur, in diaphano secundum actum imprimuntur:
„ & voces quidem & soni per humidiora transeuntes grauio-
„ res redduntur, quæ autem grauiora sunt, cum maiori mo-
„ le mouentur: porrò autem hoc totum quod dicitur, illud
„ comprobat, quod circa solis lumen euenit; videtur enim

pluuia-

„ pluuiarum esse signum cum eo oriente radij disperguntur
„ & diffunduntur, & cum sublati fuerint, vix ad terram per-
„ tingunt & obscuri: ob crassitudinem enim & humiditatem
„ omnia hæc contingunt: si autem solis lumen ob aëris humi-
„ ditatem dispergitur, & diffusum, obscurum efficitur; eò ma-
„ gis arbitrandum est id euenire circa eorum motus, quæ cer-
„ nuntur, quò & imbecilliores sunt, motu illo, qui à sole ad
„ nos vsq; peruenit; atq; ipse quidem sol in hoc radiorum af-
„ fectu, cernentibus maior apparet. Hæc Alexander, qui ma-
nifestè inquit solis lumen in humido & crasso aëre diffundi, hebetari, ac fieri propterea obscurius, vt deficere ferè videatur, ac sol quidem deliquium pati, quemadmodum hic notat Theophrastus: quamobrem meritò signum hoc pluuiarum indicant apparatum: atq; hoc est quod tertio assumpto ponit Olympiodorus 3. Meteoron actione 35. quod cer-
„ nitur splendidú (nempe lucem ipsam) ἀμαυρὸν διὰ τὴν περι-
„ κειμένην ἀχλὺν, obscurum & imbecille reddi ob circunfusum vaporem. Quo autem modo verum esse possit, lumen ac radios diffundi per medium densius transeuntes, cum tamen ad perpendicularem fiat refractio, vt proponit. 47. 2. libri Opticæ probat Vitellio; atq; ipsemet Alexander cap. 17. 2. de Anima dicat lumen in densiori & crassiori medio colligi & coaceruari, quod in superiori annotatione dicebamus, vt hac in re à se ipso manifestè dissẽtire videatur, id alio loco discatiendú est, cum longiorem requirat indagationem.

14 καὶ ὅταν νεφέλαι πόκαις ἐρίων.) Restituendum, πόκοις, vt arbitror. Circa solem orientem & occidentem quatuor consideranda sunt, color, puritas, nubes, & radij: puritas in colore & radijs significat serenitatem: color in nubibus, & radijs ater, purpurascens, viridis, & puniceus pluuias; rubeus, ventos: nubes vt plurimum imbres, aliquando flatus vel serenitatem pro horum colorum varietate: radij refracti, reflexiq; vt in corona, virgis, parelijs, & ventos & imbres, & serenitatem; quin etiam & colorati: dixerat igitur superius de colore, nube, & radijs quatenus hæc ad solem referuntur; quoniam autem & nubes & colores in nubibus per se possunt considerari, ac seorsum sumi, hoc in loco si-

eo signum vnum à nubibus sumptum recitat, quod fuit ab omnibus decantatum. Aratus,

Πολλάκι δ' ἐρχομένων ὑετῶν νέφεα προπάροιθεν
Οἷα μάλιστα πόκοισιν ἐοικότα ἰνδάλλονται. id est
Sæpenumerò item venientibus pluuijs nubes prius
Vt plurimum velleribus similes apparent.

Virgilius.

Tenuia nec lanæ per cœlum velleta ferri.

quò loco Petri Rami nullatenus probo explicationem, qui putat Poetam de floccorũ lanę volatu verba facere;ita enim
» Ramus locum expendit. Tertium signum de floccorum vo-
» latu; est autem floccus particula lanæ diuisa à velleribus in-
» utiliter euolans. nam & signum hoc de particulis lanæ diuisis à velleribus neq; apud Aratum, neq; apud Theophrastum, neq; apud Plinium inuenio; Virgilium autem, quæ cecinit, ex Arato sumpsisse satis est manifestum; Item neq; illorum, qui de lanugine populi aut spinæ locum interpretantur, recipio explicationem; lanugines enim illæ vellera inconcinnè dicerentur: demum cœlestia signa narrat Poeta & πόκοι ἔριον propriè sunt lanæ vellera de quibus loquitur Theophrastus: Exprimit igitur, vt reor, doctissimus Vates signum de quo hic agit autor, appellans poetica figura nubes velleribus lanæ similes, vellera ipsa; cum enim nubes ita feruntur per aera, videlicet similes velleribus lanæ, pluuias portendunt: vnde si non ferantur nec appareant, serenitatem nunciabunt, quod citato loco dixit Virgilius:
» Plinius sic: Si nubes vt vellera lanæ spargentur multæ ab
» oriente aquam in triduum præsagient. Item Ptolemæus,
» Nubes in quibuscunq; finibus conspectæ assimiles velleri-
» bus lanæ nonnunquam hyemes afferunt. Causam autem quare signũ hoc pluuias minatur, talem affert Cardanus su-
» per Ptolemæum ex Arabum monimentis: Causa est, vt Haly
» benè dicit, vapor humidus valdè crassus, & copiosus: nam
» flocci illi crassitiem ac spissitatem ostendunt: Verum si ita res est, malus omnino Philosophus Virgilius fuit, qui tenuia vellera illa appellauit, cùm alioqui densa maximè debuerit ea dicere; quod etiã videtur voluisse 3. Meteoron'

actione 40. Olympiodorus, qui causam adducens ex Ari-
stotele, cur parelia pluuiarum magis sint indicia, ita scri-
„ bit; propter quam causam? quoniam in crassa, & aspera
„ nube efficitur, vt validissimus reflexus indicat. Semper
„ autem crassæ nubes magis quàm tenues & raræ generandis
„ imbribus aptæ existunt; nubem enim ex qua fit parelium
densiorem esse ea, ex qua virgæ oriuntur, paulò supra his
„ verbis affirmauit. De parelijs autem illud maximè scire
„ nostra interest, radiorum visus à nube ad solem fieri refle-
„ xum, sed ab eiusmodi nube, quæ densior sit, plusq; solidi
„ in se habeat & plani, quàm eę nubes, in quibus virgæ gi-
„ gnuntur. Ob hanc enim maximè causam candida facies pa-
„ relij est, quia in denso & leui facilè sæpius ac sępius & com-
„ pendio acies reflectitur; à plano autem corpore vnus & idē
„ color retinetur & conseruatur: ex quibus omnibus elici-
mus, nubes ipsas, quæ velleribus lanæ simillimæ dicuntur,
id est albæ, densissimas esse iuxta Olympiodori decreta o-
portere; vt propterea albæ esse videantur; quæ quidem om-
nia Virgilium magis ac magis arguunt, non enim debuit,
tenuia vellera illa, sed densissima potius appellare: Dici-
mus tamen nos, diuinum Poetam subtilissimum se hac in
rè philosophum gessisse, & maxima causa permotum, vel-
lera hæc tenuia dixisse: cum enim primo capite libelli de
coloribus scribat, causas nigredinis perquirens, autor ille,
nubes quando densę valde fuerint, nigras omnino apparere
si superficiem asperam habuerint; enimuerò hęc sunt verba
„ illius, καὶ τὸ νέφος ὅταν ᾖ πυκνὸν ἰσχυρῶς μέλαν φαίνεται διὰ
„ τοῦτο. id est & nubes cum fuerit vehementer densa, nigra
„ apparet ob eandem causam. Causa verò est quoniam pro-
pter superficiei asperitatem paucis radijs incidentibus &
dissipato lumine vmbrosum nigrum apparet, vt annotatio-
ne prima dicebamus; cùm, inquam, hæc quam verissimè do-
ceantur, videtur etiam nubis densitas, præter asperitatem,
nigredinis in ea esse causa: quamobrem cum contrariæ con-
trariorum causæ sint, rarior nubes & tenuior, cæteris pari-
bus alba magis apparebit, nimirum quia maius lumen reci-
piat: vt igitur rem hanc totam optimè teneamus, candoris
in

in nubibus istis causa inuestiganda est, de quibus impræsentia disputamus; quæ profectò tum satis nobis nota fiet, si causam à præceptore 3. Meteoron addiscamus, quare parelia alba appareant: videntur enim nubes istæ velleribus lanæ similes, quia albæ sunt, colorem solis, pareliorum instar, representare; quandoquidem, vt citato loco docet Aristoteles, nubes cum soli propior fuerit, in eam quidem inspicienti nullo colore infecta videtur, sed esse candida; nubes enim per se spectātibus & per directum, vt ipse infra subdit, coloris expertes esse videntur, nimirum albę: atqui parelium albnm spectatur non ob nubis quidem reflectentis densitatem, sed ob maximam illius æqnabilitatem; atq; cum æquabilitatem dico, tam ratione superficiei, quàm materiæ, quæ nubem constituit, eam intelligo; etenim Aristoteles parelium esse album scribit, quia nubes ομαλος est, nimirum, vt ego interpretor, non asperæ superficiei, sed leuis, item πύκνος ὁμοιως, .i. similiter densa, quia vt de virgis disputans dixerat, potest nubes partim esse rara, partim densa, & vna parte aquosa magis, altera minus; vnde quoniam similiter densa & æquabilis est reflectens nubes, idcirco parelium album apparet: sol enim colore albus est, specnli verò æqnabilitas, quemadmodum subdit præceptor, efficit, vt vnus color appareat nec ementiatur: quod si nubem hanc densam quoq; esse oportere dicimus, non simpliciter densam esse intelligimus, ita vt nube iridem & virgas gignente sit densior; si enim maximè densa esset, nimirum iam aqnosa, non posset, licet superficiem habens leuem, non esse obscura, vel certe alba minus appareret ægrius lumen admittens: quod enim lumen non recipit, nigrum apparet vt libello de coloribus docemur; ac virgæ quidem, & Irides colores habent ad nigredinem maximè declinantes, non solum quia inæquabilis est nubes & constitutio, ex qua fiunt, sed quia vna parte aquosa est maximè, nimirum densissima, vt ego interpretor; aquosam enim magis nubem densiorem esse nemo negare potest; quamobrem si parelij nubem cum aquosa præsertim harum nubium parte conferamus, & minus densam esse, & crassam minus, demumq; illarum respe-

ctu tenuiorem, dicere eam poterimus: quæ quidem omnia contuens summus peripateticorum Alexander, nubem,quę parelium efficit, minus aquosam esse, & quod in idem redit, minus densam oportere 3. Meteoron com 32. ita scri-
„ bens,satis docuit. Album autem parelium apparet,eo quod
„ ob densitatem æquabilitatemq; constitutionis simul visus in
„ ipsam incidens,& inde ad solem reflexus, cũ nondum aquo-
„ sa & nigra constitutio sit, licet aquæ proxima,colorem,qui
„ in sole est, facit in constitutione apparere: & sane ipsemet Olympiodorus parelij albedinem ab æquabilitate potissimum nubis causari non à densitate verbis illis citato loco
„ fassus est ἀπὸ δὲ ὁμαλοῦ ἓν καὶ ταυτὸν τὸ χρῶμα διασώζεται.
„ id est ab ęquali enim vnus & idem color conseruatur. quod si vrgeas, Alexandrum addere ab ære leui & polito propter eius densitatem speciem ἀθρόαν, id est simul totam reflecti; ob vnitam verò hanc ac simul totam reflexionem, sincerum maxime & verum colorẽ ab eo reddi; vt constitutionis quoque densitas omnino ad albedinis in parelio apparentiã facere videatur; respondeo, primum, in ære superficiei quoq; adesse ęquabilitatem: deinde non parem esse de nubis ac ęris densitate rationem; densitas enim æri nullam affert nigredinem, nubi verò affert, quia vapor quò densior euadit, eo proximior efficitur, vt in aquam conuertatur, quam nigri reddere apparentiam Aristotelis ac Alexandri autoritate superius sanciuimus; atq; hoc est quod dicebat Alexander;
„ cum nondum aquosa & nigra sit constitutio: quamobrem densitas aliqua in parelij nube est necessaria, alioqui enim lumen solis ab ea reflecti non posset; densitas vero aut ęqualis aut maior densitate nubium, quę Irides & virgas gignũt, nequaquam: ita enim ob speculi naturam parelium, aut nigrum aut minus album appareret; splendidorum nanq; colorem aliquando splendidum & album videri, aliquando verò diuersi coloris faciem exhibere, cum videlicet speculi colori admisceatur iam diu 2. cap. 3. Meteoron docuit Aristoteles. Porrò autem ab eadem ęqualitate pendet, quòd subdit Aristoteles, parelia magis esse pluuiarum signa, quàm virgas ipsas; cum enim nubes parelij tota sit æqualiter den-

sa,

sa, ampliorem vaporum copiam parari indicat; vnde merito pluuias maiores minatur; nubes enim ex qua virgæ oriuntur, licet ea parte, quà aquosa est, magis posset imbres nunciare, tamen quia non tota aquosa est, neq; tota æqualiter densa, idcirco minus eos promittit, quia minorem esse in aëre densationem factam ac minorem adesse vaporum copiam omnino ostendit: quod enim æqualitas ipsa densitati adiuncta causa sit, vt parelia pluuiarum magis sint prænuncia, ,, perspicuè eodem loco docuit Alexander ita scribens; Ob ,, eã dem autem ait causam parelium magis esse pluuiarum si- ,, gnum, quàm virgas, eandem causam intelligens densitatẽ ,, & equalitatem constitutionis; eiusmodi enim constitutio ,, indicium est quod aër dispositus est ad mutationem & ge- ,, nerationem aque: dispositus enim magis est, quia maior pars illius est densata; quamobrem male tutum fortasse erit quod inquit Olympiodorus, nubem, quæ parelium efficit ijs esse densiorem, quæ virgas gignunt; cum omnino rarior sit simpliciter, quia aquosa minus; item quòd addit, parelium magis imbres portendere, quàm virgas, quia nubes, ex quo oritur, crassior sit ac densior: id enim facit parelium, vt vidimus, quia densa nubes tota sit æqualiter; quo loco dum addit καὶ σκληρόν, Camorius verò asperam nubem interpretatur, pessimè Olympiodori mentem latinè reddit; dura enim fortasse parelij nubes dici potest, quia densa; aspera verò, si Aristoteli credimus, nullo modo: qui in contrariam affectionem esse positam, pluribus ostendit; docens & planam & equabilem habere superficiem: Iam verò his, longiuscula quidem, sed maximè necessaria disputatione explicatis ad nostra redeuntes, satis modo clarum est, qua ratione Virgilius nubes illas velleribus lanæ similes, tenues appellauit; cum enim hæ sint alijs nubibus rariores, quæ nigræ magis apparent, iurè tenuiores dici potuerunt; significant tamen hæ imbres, & magis quàm reliquæ, quoniam equabilem factam esse densationem monstrãt, ac subinde maiorem vaporum copiam in aëre densatam: atq; hæc satis sint, pro loci huius explicatione; modo tamen hoc addiderimus nubes istas nõ esse necessario ab oriẽte spectã-

das,

das, vt Plinius voluit, ſed vt Theophraſtus Theon & Aratus inquiunt, quibus cum Virgilius conſentit, in quacunq; cœli parte, & quacunq; diei hora : cũ enim apparent, vbicunq; appareant, & quandocunq; pluuias prænunciant. item illud alterum preterire nolo, ex his quæ ſuperius diſputatã ſunt, ſatis eſſe manifeſtum, quare albedo in huiuſmodi nubibus pluuias promittat, quæ alioqui in ſole & luna ſerenitatem ſpondet, quod annotatione prima hoc loco enucleandum propoſueramus.

15 πομφόλυγες ἀνιστάμεναι) Bullæ, ſi ſuper fluuios appareant, ingentes imbres prænunciant : pulchrũ ſignum, pulchriorem cauſam habens, licet in obſcuro maximè deliteſcentem. Bulla, vt definit Ariſtoteles problemate quarto ſectionis 23. conſiſtit efficiturq; humore ab aëre & ſpiritu de imis ad ſupera pulſo; quamobrem cum plurimæ ſupet fluuios enatarint, iam in imo ac intra fluuios aërem & ſpiritum aut genitum eſſe, aut, aliqua impellente cauſa ibi protruſum, penetraſſe, indubitanter oſtendunt : verum nulla alia fingi poteſt, quod pertinet ad præſentem tractationem, niſi duplex; vel enim concipitur ab aqua aër, quia verberatur, & iacitur in ea aliquid, cum quo & aër delabitur, vt citato problematé docet Ariſtoteles; vel aër ſpirituſq;, qui in terræ viſceribus eſt, motus ab aliqua cauſa & pulſus, meatus terræ penetrans, ad fluuiorum ima perductus, cum ſurſum, vt ſua natura eſt, conſcendit, bullas gignit. prima cauſa in hoc ſigno, quod refert Theophraſtus, locum non habet; ſupponit enim ipſe, vt ſatis eſt perſpicuum, bullas huiuſmodi in fluuijs nullo externo opitulante, per ſe gigni & apparere : poſterior verò cauſa qualis ſit, quo modo agat, impellaturq; ad agendum, vt cognoſcamus, id longiori eget diſputatione, quàm intra terminos breuis ſcholij comprehendi poſsit; reſq; tota ad viuum reſecata eſt in libris noſtris de maris æſtu: quamobrem dicamus breuiter impreſentia antiperiſtaſim caloris & frigiditatis, quæ in aëre ac terra tam ſæpe efficitur, & bullarum huiuſmodi cauſam eſſe, & plurimorum naturæ operum, quæ adeo vulgares homines admirantur, quorumq; cauſa videtur eſſe ignota; de quâ

quidem

quidem antiperistasi tam multa Aristoteles, vt citare loca, vel ostentatio vel superstitio esse videatur: cum enim duo hæc elementa contrario modo semper in antiperistasi dispo-nantur (nam si aër frigidus est, terræ interiora flagrant, & cum terram dico mare quoq; intelligo, si verò aër calidus est, eadem illa frigoribus horrent) euenit sæpisimè vt coaceruato calore intra terram exhalatio aërq; conclusus vehementisimè moueantur, ac admirabiles effectus pariant. Hæc vna prçter alias causa est, quæ marinos æstus nouilunio & hyeme reddit vehementiores; item maiores in locis illis quæ magis vergunt ad septentriones, vt supra annot. 30. tetigimus, & citato opere abundè ostendimus: atq; hæc eadem causa, nisi fallor, bullas in fluuijs interdū gignit, quod profectò signum maximorum imbrium est indicium; cum enim pluuiæ, ac præsertim ingentes, oriri nequeant, nisi maxima fiat in aëre densatio vaporum, hæc verò non nisi insigni aëris frigiditate generetur, frigidoq; demum maximè aëre, quin etiam & principijs seminibusq; frigiditatis huius in eo existentibus, interiora terrç mox iure candeant, fit necessario vt, si aër spiritusq; inclusus in terræ visceribus, moueatur agiteturq;, ampliorem locum quærens, per terræ meatus penetret, & ad ima fluuiorum perductus, exeundo bullas excitet. Verum dicet aliquis, sequi ex his quotiescunq; pluit, saltem insigniter, bullas illas nasci & cōspici oportere; quòd tamen non videmus: respondeo, primū, eas sæpius fortasse gigni, quàm quis credat, licet non obseruentur: deinde dico non esse necessarium, vt semper gignantur, cum multis de causis posit earum ortus impediri; nam & internus aër ac spiritus potest non esse aptus vt recipiat motionem, aut calor non esse tantus, aut fluxus impetusq; aëris non ad eam moueri partem, vt ad fluuiornm ima perueniat: sexcentisq; alijs modis potest tolli effectus. Et quid si diceremus, cum aër infrigidatnr ac densatur, iam iam pluuia imminente, calidiorem ipsius partem, quæ circa terram est ac nos ambit per antiperistasim leuiter detrudi, & aquæ superficiem verberare, eamq; sic in bullas erigere?

16. ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ ἔχει.) Aristoteles tertio Meteoron

de

de Iride quæ circa lucernam fit, ac de causis ob quas appa-
» ret, ita subtiliter cap. 4. disputauit: Nam si eiusmodi ne-
» bula, qualis aquæ, aut alterius cuiuspiam nigri, vt diximus,
» esse solet, cogeretur, Iris profectò integra, vt quæ circa lu-
» cernas fit, appareret: circa enim illas hyeme, spirantibus
» austris, vt plurimum Iris efficitur, quæ his potissimum ap-
» paret, qui humidioribus sunt oculis, quorum videlicet a-
» spectus ob imbecillitatem celeriter reflectitur. Oritur au-
» tem,& ab aëris humiditate & à fuligine quę à flamma deflu-
» it,eiq; admiscetur. Tum enim speculum fit, idq; ob nigro-
» rem: siquidem fumida fuligo est. Ac lycni lumen non albū,
» sed purpureum in orbem, Iridi simile: nec puniceum appa-
» ret. Nam & aspectus qui reflectitur, exiguus est,& specu-
» lum nigrum. Hæc ille ex quibus satis patet quare lucerna-
rum Irides pluuias austrinas nuncient; iam enim humidum crassumq; reddi aërem ostendunt & austrinum, qualis hyeme, Austro dominante esse, solet; quo tempore potissimum hę Irides circa lucernam conspiciuntur: quæ constitutio imbres omnino affert.

17 καὶ οἱ μύκητες, ἐὰν νότιος ᾖ.) ἐὰν νότιος ᾖ scilicet ἡ κατάστασις, tale enim quid ad sententiæ integritatem subaudire oportet: fungos autem huiusmodi per austrinam & maximè humidam constitutionem concrescere in lucernis ratio satis docet; crassiori enim reddito aëre calor euétari nequit, nec flamma libere fluit, subindeq; nec fuligo, quæ de ea defluit, vnde concrescit in fungum necessario, quem humiditas ipsa aëris continuum facit; omnia enim continuantur humido, vt 4. Meteoron & alibi sæpe docuit Aristoteles: at humescente aëre pluuias timendas esse, rationi est consentaneum: neq; enim humescit nisi concrescant plurimi vapo-
» res in eo, & coacervuentur. Addit autem Theophrastus, si
» austrinus fuerit aëris status & c. quoniam hi fungi Austros
etiam denuntiare possunt; vnde libello de Ventorum signis
» num. 51. ita scriptum inuenitur. Fungi in lucernis, vel au-
» strinum ventum, vel aquam minitantur: quamobrem si non
fuerit concrescente fungo austrina constitutio, ea quidem expectanda est, si fuerit, insuper imbres sunt timendi, quan-

quam

quam & Auster quoq; sępe veniens pluuias creat. Aratus de hoc signo

Ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρονται περὶ μύξαν
Νύκτα κατὰ σκοτίην.

quod est ex Auieno

Et si nocturnis ardentibus vndiq; testis
Concrescunt fungi.

quod pluuiarum tantum, non venti Austri signum esse commemorat: quo loco Theonis non probo opinionem, qui, causam ob quam fungi concrescant, si græca latina faciamus
» talem affert in commentarijs; Ignis, inquit, ponitur esse
» sicca substantia, humidus verò aër; qui frequenter hyeme in
» ignem incurrens huiusmodi igniculos atq; fauillas parit:
» duę enim substantię contrariæ vicissim incursãtes hoc per-
» ficiunt: ignis nanq; cum difficile patiatur humidi aëris in-
» gressum igniculos quosdam & fauillas à se dimittit, quod
» cum Callimachus probè intelligeret dixit.
» Quando, lucerna abunde epulante, fungi cõcrescebant.
» animum igitur oportet intendere quãdo fungi circa lucer-
» nam colligunrur, quòd quidem euenit ob aëris crassitudi-
» nem; videtur enim velle Theon ex continua fauillarum emissione fungos concrescere; crassitudine aëris, humiditate videlicet, magis ac magis igni fomitem ad fauillas emittendas suggerenre: neq; enim eius crassitudinē fauillarum egressionem prohibere ponit Theon: Cæterum humiditatem ipsius aëris quatenus talis est, aërisq; propria, & siccitati ignis contraria, fungos efficere haud facile mihi persuadeo; si enim hac de causa producerentur, semper fieri eos necesse esset, cum nunquam in aëre desit humor; itaq; humiditatem aëri aduentitiam ascititiamq;, & quæ in eo ex vaporum concretione oritur, quatenus aerem crassum reddit, & hoc pacto fuliginis deflexum prohibet, fungorũ ortus causam esse reor; quod quidem ipse Theon ab ipsa edoctus veritate postremis verbis fateri videtur, inqniens lucernę ob aëris crassitudinem id contingere; quod & Plinius Sernio referente acutè vidit, scribens, cum aër humidus esse cæperit, fauillam, quę cum fumo egredi solet, pro-

 hibi-

hibitam aëris crassitate in lucernis residere, & quasdam veluti fungorum imitari imagines; vnde quia non demittit fauillas, quæ nil aliud sunt quàm fuliginis accensæ particulæ, non quia eas emittit, vt aiebat Theon, concrescere fungos in lucernis asserendum erit: nec aliud crediderim Challimacum significasse, cum dixit, ex copioso lucernarum pabulo hos fungos oriri; cum enim humor sit ignis pabulum; humorem in aëre redundare adscititium, abundanti illo suo pabulo satis clarè significauit: atq; hinc patet, cur Virgilius de hoc eodem signo primo Georgicon elegantissimè sermonem habens, hosce fungos putres appellauerit carminibus illis

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nesciuere hyemem, testa cumardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

„ Plinius citato loco: pluuiæ etiam (scilicet nuncij) in lu-
„ cernis fungi.

18 σμικροὶ καὶ κεγχρώδεις.) Fungus lucernarum si continuatus non fuerit, sed in grana quasi distractus milio similia, ac splendida, non solum pluuias, sed ventum quoq; monstrat: dominari enim in aëre vna cum vaporibus siccam exhalationem hoc modo ostendit: cum enim humore omnia continuentur, distinctio illa sicciorem esse constitutionem fidem facit; præsertim si accedat splendor, qui in eiusmodi concretionibus à sicca exhalatione causatur, vt annotatione prima dicebamus; quamobrem simul cum pluuijs venti merito expectandi sunt; forte tamen in Versione nostra irrepsit error, negatio videlicet pro affirmatione: legendum
„ nanq; est, & ventum indicant, quemadmodum græcũ quoq;
exemplar habet.

19 καὶ ὅταν χειμῶνος τὴν φλόγαν.) Aratus sic hoc signum expressit,

μὴ δ' ὅν ὑπὸ χείματος ὥρῃ
λύχνου ἄλλοτε μέν τε φάος κατὰ κόσμον ὀρώρει
ἄλλοτε δ' ἀΐσσωσιν ἄπο φλόγες, ἠύτε κοῦφαι
πομφόλυγες. id est.

Neq; si sub hyemis tempore

Lucer-

Lucernarum aliàs quidem lumen debitè moueatur.
Aliàs verò delabantur flammæ, ceu leues.
Ampullæ.

Virgilius carminibus supra citatis:
Testa cum ardente viderent
Scintillare oleum.

qui tamen non per hyemem tantũ, sed semper & omni tempore pluuiam præmonstrare dicit. Plinius quoq; locum
„ hunc, vt arbitror sic attingit: Et lumina cum ex sese flam-
„ mas elidunt aut vix accenduntur. Item cum in eo penden-
„ tes coaceruantur scintillæ. quod tamen ventum prænuncia-
„ re voluit. Porrò autem notandum est verba Theophrasti dupliciter posse interpretari; nam sententia esse posset, lucernas, vel flammas id est fauillas scintillasq; quasi bullas mittere, à se discutere, & eiaculari, licet ardeat; quò sensu Arati, Virgilijq; carmina sumenda sunt: vel flammas ipsas elidere ita vt eas expellant, nec accendi patiantur; quem sensum secuti sumus in versione. Pliniusq; hunc eundem exprimit in priori verborum parte: pertinent tamen ambo signa ad pluuias, vt Aratus, Virgiliusq; testes sunt, atq; hoc loco Theophrastus; nec toto anno, si Theophrasto & Arato credimus, locum habent, quod animaduersione dignum est, sed vel hyeme tantum, vel potissimum: quoquo enim modo verba accipiamus, & vtrum signum exprimatur, indicium est ingentem in aëre dominari humiditatem; quod hyeme præsertim euenire potest, aut veris initio, alijs temporibus difficillimè: si enim dicamus lucernam scintillas ac fauillas quasi bullas discutere, & ex se emittere; huius rei causa est ex Theonis sententia in commentarijs super Aratum, vt ex verbis ipsius supra allatis constat, quoniam magna incurrit humiditas in lucernam ipsam; humiditas inquam aquosa, vt potè à vaporibus proueniens: vnde non secus ac si in eam inspergamus aquam, statim flammulas istas à se excutit, ita & incurrente humiditate illa ignis, fiunt circa lucernam non sine aliquo sono quasi bullę quædam: quamobrem pluuias hyeme expectare oportebit cum signũ hoc euenerit: monebit enim aërem præter modum hume-

ſcere, quod non niſi denſatis plurimis in eo vaporibus fieri poteſt: non probo tamen Theonis opinionem, qui tam fungos quàm fauillas, ac bullas iſtas hyeme obſeruandas eſſe dicit; enimuero fungi omni tempore anni locũ habere queunt. Virgilius huius rei cauſam in oleum reiecit, dixit enim, ſcintillare oleum, quod ſummam habet probabilitatem: ſcribit nanq; Ariſtoteles 4. Meteoron externum frigus partem olei aëream in aquam conuertere; cum ergo iam infrigidatur aër ob vapores humidos & frigidos, qui in eo dominari incipiunt, frigus in oleum agens, aeream illius partem aquoſam reddit, quam cum attrahit flamma, non ſecus ac iniectam aquam à ſe diſcutit. Quod ſi poſteriore ſenſu Theophraſti verba accipiamus, clarum omnino eſt lucernam oſtendere, maximam in aëre vigere humiditatem, cum non poſsit accendi, ac flammam reſpuat: quod etiam hyeme potiſsimum euenire cenſendum eſt: verum ambo hæc ſigna nõ ventum, vt Plinius voluit, ſed pluuias, ſatis eſt perſpicuum nunciare.

20 καὶ ἐὰν πηδῶσιν αἱ ἀκτῖνες.) Aratus ſignum hoc ita ad verbum expreſsit

μηδ' εἴκεν ἐπ' αὐτόφι μαρμαίρωσιν
ἀκτῖνες. id eſt ex vulgata interpretatione;
Neq; ſi ad ipſam lucernam ſplendeant
Radij.

Quod enim dixit Theophraſtus, πηδῶσιν, Aratus, μαρμαίρωσιν, maximè propriè interpretatus: quamobrem interpres non omnino attigit Arati mentem: ſententia nanq; eſt radios in ipſam lucernam ſalientes vibranteſq; reflecti & quaſi euolare; quod etiam indicium eſt magnæ humiditatis, & craſsitudinis ipſius aëris, in denſiore enim medio coaceruari lumen ac ſplendidius reddi nemo negare poteſt; quia denſius redditur: vnde ignis in ſua ſphera, vt philoſophorum dogma eſt, propter maximam raritatem non lucet; nec tamen diſſentit à veritate Alexander, dum affirmat in craſsiore, & humidiore medio ſolis radios hebetari, vt annot. 13. dicebamus, de qua re ſuo loco latè à nobis diſputabitur: item à denſiore ſubiecto lumen magis reflecti id etiã

eſt

est manifestum: cum ergo aër lucernam ambiens benè crassus fuerit, (talis autem esse nequit nisi maximè sit humidus) radij è flamma exeuntes in densiore medio coaceruãtur, ac splendidiores necessario apparent, quin etiam & in lucernã ipsam reflecti videntur, à denso illo aëre repulsi, vnde salire vibrantes corruscantesq; in lucernam ipsam & quasi euolare apparent; quo sensu dictum fuisse arbitror 2. Apotelesmaton à Ptolemæo, radios interdũ in solem ipsum reflecti, idq; signum esse pluuiarum: vt non mirum sit & idem circa lucernam cõtingere posse & pluuiarum esse indicium; quod si ita res est, quàm recte Theon Aratum exposuerit, ita scri-
» bens, aliorum esto iudicium: Crassitie (inquit) & humi-
» ditate vehementer inualescente, & dominante, lucerna vn-
» diq; & ad debitam distantiã lucere nequit, sed radios emit-
» tit tenues ac dissipatos, quos etiam cernimus quasi longè à
» lucerna seiunctos, ac tenues quidem ex ipsa emanantes, quia
» non possunt ex subiecto aëre vndiq; sese effundere: ita enim non splendidi & corruscantes salientesq; sed obscuri omnino, languidi, & imbecilles apparerent.

21 καὶ ἐὰν τρεῖς νύκτας ἐπὶ γενῶνται ὄρνιθες.) Dictum est superius annotatione decimaquinta in proemium huius opusculi insitum esse animalibus mutationum futurarũ sensum, vnde mirum non est, si lotrices aues, ex solitis paludibus & locis fugientes, nec vt solent, degentes in aquis, pluuiarum sunt prænunciæ, vel tempestatis, id est non pluuiarum tantum, sed ventorum præterea, ac maioris plerunq; iniuriæ. Aristoteles lib. 9. de Historia Animalium cap. 49. notatum reliquit, anium alias esse puluerατrices, lotrices alias; lotricesq; eas esse, quæ circa fluuios, aut paludes, aut mare versantur: de lotricibus igitur sermonẽ habet Theophrastus, quas natura quidem humoris esse amantissimas satis est perspicuum; vnde cum solitas sedes deserunt, & sicca alioqui loca aquarumq; expertia petunt, id profectò eas tùm efficere rationi cõsentaneum est, cum aërem humidissimum sentientes, eo ferè aquæ loco vti possunt, ad propriam explendam cupiditatem ac indigentiam; qua de re iam iam aduentantem pluuiam expectantes, in sicco versantur: atq;

id

id etiam maximarum pluuiarum esse indicium ratio persuadet, quales plerunq; sine ventis esse nequeunt; vnde iurè aues illæ tempestatem quoq; possunt præmonere: nec fortasse multum aberraret qui crederet ob terræ antiperistasim commota aqua, aut tetro ex ea spirante odore, vel simili alia de causa notam sedem aues deserere.

22 καὶ φρῦνη λευομένη.) Hoc & causam eandem habet cum superiori, vnumquodq; enim animal, cum statum aëris suæ naturæ consentaneum percipit, gaudet; vnde alia cursu, alia saltu, alia volatu insolito, alia vocibus signa dant: quamobrem mirum non erit, si ranæ humiditatem aëris sentientes, vltra solitum fuerint vocales: neq; hoc abhorret à ratione; sicuti enim aër semper alterationem aliquam antea passus, nimirum humidior, frigidior, calidior, siccior, tarior, densior factus, mox futuram monstrat spirationem, vt diuinè Theophrastus tex. 34. libelli de Ventis notatum reliquit, ita etiam & imbres & tempestatem, omnemq; aliam cœlestem iniuriam; verum alterationes eiusmodi plerunq; nos latent, sentiunt optimè illas animalia multa, neq; id vllam habet admirationem; non fit enim sensatio nisi proportione facultatis ad sensibile, vt secundo de anima docemur; vndè quæ ita temperata sunt eas possunt percipere alterationes, quas nec nos nec alia multa; non secus ac videmus alium hominem acutiore visu præditum, alium auditu, alium demum tactu, qui audiet cernet ac sentiet ea, quæ non alij multi: quemadmodum & canes ea odorantur quæ nec nos, nec alia multa; vt iam omnia signa, quæ animalia dant, in alterationem ipsam aëris, quam percipiunt, persentiuntq; & à quâ sentiunt vario modo commoueri, tanquam in causam propriam sint nostra sententia referenda: his enim de causis pluuia imminente ex latibulis Salamandra exit, vt humidiorem aërem, quo delectatur plenius hauriat, cum ob antiperistasim, qui intra terram est, & antea humidior, siccior tum euadat. Sic Delphini tranquillo mari lasciuiunt, Fulicæ matutino clamant, Grues in mediterranea festinant, Mergi maria, aut stagna fugiunt, Corui singultu quodam latrant, carptimq; vocem resorbent, alia-

aliaq; multa animalia signa alia dant pro sua vnumquodq; natura & proprietate: quorum quidem omnium causas diuinus poeta Virgilius mirabiliter primo Georgicon docuit his carminibus.

Haud equidem credo, quia sit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.
Verum vbi tempestas, & cœli mobilis humor
Mutauere vias, & Iupiter humidus austris
Densat, erant quæ rara modo: & quæ densa relaxat:
Vertuntur species animarum: & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

quò loco nullatenus Rami probo explicationem, qui species nomine intelligit affectiones; vt enim ex cap. 5. libelli de Animalium motu satis claret, aliud omnino species est, quam τὸ εἶδος vocat Aristoteles, aliud affectio; quam πάθος & ἀλλοίωσιν dicit; atq; affectionis quidem concepta species causa est; aliquo enim modo, vt illustrissima sententia subdit Aristoteles, species intellecta calidi aut frigidi, aut iucundi aut terribilis, talis quidem est, qualis & rerum vnaquęq; quapropter & horrent & timent intelligentes solum: hęc autem omnia affectiones & alterationes sunt: quæ cum Virgilium tanquam optimum peripateticum non laterent, eleganter post species, motus addit, nimirum post causam effectum ipsum, affectiones & alterationes perbellè motus vocans; ac rectissimè quidem inquit Virgilius verti animorum species, cum caput & spiritus, qui in eo sunt, in quibus sedes habent rerum species, aliter atq; aliter sint prò ambientis ratione disposti: de qua re tota elegans exstat Galeni disputatio in commentario primo, primi Epidimion part. 8. vbi animalium corpora prò status aëris ratione affici & disponi, & quam ob causam perbellè docetur; ostenditurq; interdum innatum spiritum similem reddi aut nebulæ aut caligini ac omnino ambientis constitutionem imitari; vt rationi consentaneum sit prò vario aëris statu animorum verti species, quemadmodum doctè Virgilius asserit: quo etiam

etiam in loco de nubibus Galenus agens rariores nubẽs splendidiores esse, quia maius lumen recipiant; densiores nigras magis, quia nullus sit luci transitus manifestè affirmat: quod ideo hoc loco adnotamus, vt, quæ à nobis annot. 14. dicta sunt, tanti viri auctoritate comprobentur, ex qua quidem Galeni disputatione, atq; ex ijs, quæ supra diximus, facile erit causam inuenire, quare animalia multa, prò cuiusq; natura & viuendi ratione, signa futurarum mutationum afferre possint; nos enim hac ferè vna annotatione contenti, in posterum (quod ad animalia pertinet) nil amplius dicemus, nisi peculiare aliquid videatur nobis admonendum, aut Arati Virgilij Plinijq; notanda consensio; quòd & impræsentia præterire nolumus; Virgilius enim sic de hoc signo.

Et veterem in limo Ranæ cecinere querelam.

„ atq; idem apud Aratum legimus. Plinius Raneq; vltra soli-
„ tum vocales; quod tamen tempestatis esse indicium, voluit à Theophrasto & Virgilio dissentiens.

24 καὶ χλωροῖς βάτραχος.) Lego χλωροὶς.

25. χελιδόνες τῇ γαστέρι.) Mirari quis posset iusta de causa, quo modo hirundines sua natura pluuium cœlum ac frigidum fugientes, serenum & calidũ perpetuo quærentes pluuiarum aliquod signum valeant afferre: dicamus igitur licet id verum sit, cum tamen hirundo sit naturaliter valde siccũ animal & calidum (vnde Tobiæ 2. illius stercus Tobiam excecauit) moderatas interdum pluuias auem hanc amare; excedentes enim corporis habitus, contrariæ maximè temperant qualitates, vt cap. 13. de Respiratione monstratum est; cum ergo iam humescere aërem sentiat hirundo, humiditatis illius cupiditate excitata, lacus petit & amnes, ventreq; aquas verberat, vt plenius illis fruatur. Aratus

Ἠ λίμνην περὶ δηθὰ χελιδόνες ἀΐσσονται
Γαστέρι τύπτουσαι αὔτως εἰλυμένον ὕδωρ.. id est.
Aut Paludem circum hirundines agitantur
Ventre verberantes incassum conuolutam vndam.

Virgilius

Aut arguta lacus circum volitauit hirundo.

Plinius.

„ Plinius. Hirundo tam iuxta aquam volitans, vt penna sæ-
„ pe percutiat. quanquam secus, quàm Theophrastus & Aratus, signum hoc ad tempestatem pertinere velit.

26 βοῦς τὴν πρόσθεν ὁπλήν.) Alteratus aër ab aliqua quatuor qualitatum, non solū species varias in animantibus excitat, ex quò & ad varios affectus effectusq; eos promouet; verum si aliqua illorum pars in corpore, vel natura, vel morbo imbecilla ac læsa fuerit, statim eam vel dolore, vel tremore, vel aliquo alio symptomate afficit; quam rem quotidie partes nostræ corporis experiuntur, in quibus aut callus obduruerit, aut vulnus aliquod fuerit inflictum; cum enim imber instat, vel tempestas, vehementer nos excruciant; non igitur mirum si Bos, pedes ac vngulas imbecillissimas habens sua natura, imminente mutatione illis in partibus aliquo dolore affligatur; quē, vt quoquo modo potest reddat mitiorem, sicuti mos animalium est, locū affectū lambit, id est vngulas ipsas: cum enim aut incurrente frigore in affectas partes, aut ob antiperistasim calore, carnem, neruos, spiritus, aliasq; partes vel densari cōtingat, vel rarefieri, vel intendi vel remitti; in motu isto continuum solui necesse est, ac subinde dolorem exoriri. hanc igitur arbitror ego causam esse, vt Bos vngulas lambat imbre instante, vel tempestate: hoc nanq; animal articulorum dolore in pedibus maxime laborare cap. 21. sexti de Animalium Historia & cap. 7. octaui satis docuit Aristoteles; quo loco scribit, cum dolore articulorum laborant Boues, vngulas non amittere, sed tantummodo intumescere vehemēter; item vngulas habere imbecillissimas ex eodem Aristotele perspicuè elicitur, scribēte, quod in hac specie in lucem præcurrit tempus ei à natura præfinitum, etiam si paulo maturauerit partum, id abortiuum esse, & minimè vitale, quia præmolli imperfectaq; vngula prodeat. vt non alienum sit à ratione pedes omnes dolore affici posse, non magis vnum quàm alterum, proindeq; omnes Bouem posse lingere, vnde Theophrastus hic anteriorem vngulam lambere eum dicit, Aratus posteriorem carminibus illis

ἢ ποὺ βοῦς ὀπωπότε χηλὰς

Γλώσσῃ ἰσπομένοιο ποδὸς περιλιχμήσονται, & c. id est
siquidem boues quando vngulas
Lingua posteriorum pedum circumlingunt, & c.
quod signum exprimere volens Plinius nescio quo modo ad
» pilum illud transferat. sic dicens: & Boues cęlum olfactan-
» tes, seq; lambentes contra pilum.

27 ἢν δὲ εἰς τὸν οὐρανόν.) Aratus sic
Καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο,
οὐρανὸν εἰσανιδόντες, ἀπ' αἰθέρος ὀσφρήσαντο. id est
Etiam boues iam ante pluuiam cęlestem
Cęlum intuiti, ab æthre mox sentiunt.
sed & elegantissime Virgilius causam attingens
Aut Bucula cęlum
Suspiciens patulis captauit naribus auras.
quod etiam & ante ipsum Varro sic dixit referente Seruio.
Et Bos suspiciens cęlum (mirabile visu)
Naribus aerium patulis decerpsit odorem.
cum enim animal sit bos, quod maximè humore & aquis gaudet, vnde semper ferè iuxta fluuios degit & pabulatur, vt sensuum fide quotidie experimur, iam iam humescente aëre patulis naribus eum captat, vt humiditate illa magis fruatur: bibit enim quasi aërem illum humidum, & sorbet, & ore & naribus sorbendo dum cœlum aspicit, inde qui vident, odorare illum credunt: bibere enim sorbendo boues 8. capite sexti Historiarum monuit Aristoteles: sequentia vero signa de Cornice, Coruo, Monedula, Accipitre, ac similia nulla egent explicatione, ab ijsdem enim omnia causis pendent, quas annot. 22: superius tetigimus.

28 καὶ περίπτομένη.) Lego καὶ πετομένη.

32 καὶ ἐὰν τε εὐδίας, ἐάν τε ὕδατος ὄντος.) Vide quomodo εὐδίαν imbri opponit Theophrastus.

34 καὶ ἐπιφοιβᾷ.(Lego ἐπιβοᾷ ex superioribus.

36 οἱ βιοτεύουσιν ἐν νήσῳ.) Pendet hoc fortasse ex natura loci, quod de his auibus narratur. sequétia signa Auiũ, Gallinacearum, Galgulorum, Anatis, Ardeolæ, habent easdem causas, quas enarrauimus; maiores enim aut minores voces ædunt, vt de Ardeola narratur, variasq; eiusmodi res alias ope-

operantur, prò constitutionis aut frigidioris aut calidioris aut ficcioris aut humidioris varietate: prò cuius ratione variè vertuntur animorum species vt Virgilius aiebat: vnde aut ventos modo, modo imbres præsagire possunt, prout lōginqui temporis periclitatione compertum fuerit, ac obseruatum.

40 ἀς ὕον.) Fortasse ὡς ὕιν.

45 καὶ ὁ πίλος.) Lego πίπος de qua aue apud Aristotelem cap. 3. 8. de Animalium Historia mentio est, alijsq; in locis illius operis, licet neq; id mihi satisfaciat.

καὶ χύτρα σπινθηρίζουσα.) Ollas ebulliendo vapores quosdam emittere, qui scintillarum quandam gerere videantur similitudinem, non est omnino præter rationem: si enim aër crassior factus fuerit, particulæ illæ exeuntes, crassiores redditę splendorem quendam ex vicino igne concipere possunt, vt olla scintillare videatur; quod quidem pluuiarū est argumentū, quia crassitudinem aëris ostendit.

48 ὑμηττὸς ἐλάττων.) Hymettus est mons Atticæ, vt Plinius cap. 7. libri quarti scribit, non longo interuallo ab Athenis distans: is in valle nubeculam habens, quo modo imbrem possit prenunciare, satis cōstat ex superioribus Theophrasti verbis, vbi dixit, si nubes fuerint humidiores delabi ob grauitatem, in campestribusq; & cauis locis considere. nubes igitur in cauo Hymetri loco delapsa, & considens humidiorem aërem reddi monstrat; & ex consequenti pluuiam iminere. verum qua ratione ἄνυδρος dictus fuerit hic mons, id est aquarum expers, non video: certè apud Strabonem, Solinum, Plinium, nulla de re hac mentio est, qui etiam vnum Hymettum nominant, neq; aliquam de maiore ac minore faciunt distinctionem: fortasse quoniam, vt Strabo lib. 9. Solinus cap. 12. Plinius lib. 11. cap. 13 narrant, in Hymetto optimum mel conditur, vnde scribit Solinus, inter omnes Atticæ montes Hymetro merito ac iure attribui principatum, quod apprimè florulentus, eximio mellis sapore & externos omnes & suos vincit; non potest autem tāta florum copia, odores suauissimos emittens, gigni nisi in aliquo loco ficciori; (requiritur enim ad odo-

Tt 2 rem

rem ſiccitas, vt cap. 5. libelli de ſenſu & ſenſili docemur, ſ dixere veteres Hymettum minorem aquarũ expertem, quia minus pluuijs forſitam ob ſitum, quàm reliqui abundaret. verum ſi nubes in eo coguntur, non video quo modo aquarum expers omnino poſsit appellari: niſi dicamus locum corruptum eſſe ac prò ἄνυδρος, legendum eſſe ἀργύρειος: ſcribit nanq; Strabo citato loco, argenti fodinas in Attica quõdam fuiſſe; melq; atticum quod ad argentarias gignebatur; cuncta bonitate ſuperare, idq; longe præſtantius eſſe, quo fit vt Hymettus minor tanquam mel optimum gignens, argenti fodina fortaſſe non careret, & ea quidem inſigni; vt inde nomen ducens, non ἄνυδρος, ſed ἀργύρειος argentarius videlicet dictus fuerit.

49 καὶ ἐὰν ὁ μέγας ὑμηττος.) Nubes, alba quare pluuias magis ſignificet, ſuperius annotatione 14. dictum eſt: æquabilitas enim denſationis illius oſtendit, ingentem vaporum copiam cogi & parari: addit autem, æſtate, Theophraſtus, fortaſſe quoniam, cum æſtas ſit ſua natura minus pluuia, maiore ac potẽtiore conſtitutione opus eſt, vt pluuię in ea cadant, qualis per nubem albam repreſentatur; imbecilla enim conſtitutio à ſolis calore vehementi ſtatim diſſoluitur, & abſumitur.

51 καὶ ἐὰν περὶ ἰσημερίαν.) Huius rei cauſam affert Ariſtoteles problemate vigeſimoquinto ſect. 26. ſiue iuxta Theodori partitionem problemate vigeſimo octauo; vnde ad locum illum lectorem remittimus.

52 αἱ δὲ βρονταί.) Verba hæc obſcura ſunt, cum enim cõparatè loquatur Theophraſtus, vt aduerbium, μᾶλλον, ſatis oſtendit, non continuò clarum eſt de quibus faciat comparationem. dicendum igitur mea ſententia, tonitrua quadrupliciter hoc in loco conſiderari; vt hyberna, & matutina, vt hyberna & veſpertina; Item tanquam æſtiua, & matutina; aut tanquam æſtiua, & meridiana & veſpertina: quę omnia ſimul confert elegantiſsimè Theophraſtus, atq; inquit, tonitrua hyberna, ſi matutina fuerint, pluuias magis pręnunciare, id eſt imbrium eſſe indicia certiora, eoſq; maiores ſpondere, quàm ſi fuerint veſpertina: enimuerò hoc

totum

totum ad sententiæ integritatem subaudire oportet: Tonitrua æstiua si meridiana fuerint, ac vespertina, signa esse magis certa pluuiarum, easq; promittere vberiores, quàm si fuerint matutina; siquidem hoc totum est subaudiendum: „ quamobrem cum inquit Theophrastus. Tonitrua hyberna, „ & matutina imbres potius prænunciant, intelligas quàm „ vespertina: cum subdit, æstiuaq; meridiana & vespertina; „ addas, magis præmonent imbres quàm si fuerint matutina. Huius rei causam non omnino difficile erit inuenire, si memoria repetamus, à Præceptore in extremo secundi Meteoron edocti, tonitrua, fulgura, ecnephias, fulminaq; ac si quid aliud eiusmodi est, tunc generari, quando natura, quæ ex sicca & humida exhalatione cōstat, amboq; hæc potestate habet, in nubem cōcrescit, ad extremūq; terminū densior facta, & frigidior, non secus ac nuclei è digitis eliduntur, partem siccam quæ in cōdensatione illa excernitur, ad inferiora iaculatur, ac trudit; vt non minus verè quàm eleganter postremis verbis concludat philosophus, exhalationem hanc, super terram ventum esse, intra terremotum, in nubibus tonitruum, omniaq; hæc essentia idem esse, aridam videlicet exhalationem: quæ modo quodam fluens ventus est, alio modo facit terræmotum, cum verò in nubibus mutata excernitur (illis in aquam concrescentibus) tonitrua, & fulgura: enimuerò ex his omnibus habemus fulgura & tonitrua (vt de illis nunc loquamur) pluuiarum esse signa, quoniam nubibus in aquam coeuntibus, generantur. atq; hæc de priori parte verborum Theophrasti, quare videlicet generaliter tonitrua pluuiarum signa esse dicantur. superest modo causam venari, cur hyberna, & matutina; æstiua meridiana & vespertina, maiores & certiores pluuias præsagiant. Dicō igitur, quod etiam supra ex Aristotele annotatione 3. monui, constitutionem simpliciter sumptam, si valida fuerit, statim prima luce cogi & ad angulum orientalem; nā vtrunq; voluit citato loco Aristoteles: & si id hyeme contingat, quo tempore sol imbecillissimas habens vires minus eam discernere, atq; euincere potest, certius pluuias expectandas esse: cum minus timendum sit constitu-

tio-

tionem ipsam interdiu à pugnante sole superari; quamobrē hyberna tonitrua, quia matutina sunt, constitutionem esse validam ostendunt; quia hyberno tempore fiunt, minus posse à sole concretionem vinci docent: itaq; & firmius indicant, quàm si fuerint vespertina & ad angulum occidentalē; eo enim tempore facta, & loco illo, imbecilliorem esse constitutionem monstrant. rursus æstiua tonitrua si matutina fuerint, licet validam esse moneant constitutionem, tamen quoniam per id temporis sol est potentissimus, & sæpe, & facile dum supra terram fertur, eam vincere potest, suisq; radijs aërem discernere, ac illustrare, minus pluuiæ timendæ sunt; nam & ob id, vt 3. Meteoron scribit Aristoteles, coronæ magis circa lunam fiunt, quàm circa solem, quia sol calidior cum sit, aëris concretiones dissoluit; pareliaq; & virgæ ex lateribus non propè admodum, quoniam propinquam constitutionem sol dissipat, ac dispergit; & idcircò constitutio ab eo dissipata euanescit. quod si tonitrua æstiua meridiana fuerint, aut vespertina, id est pomeridiana, tūc magis imbres reformidandi erunt, licet ob causas longe diuersas: si enim nubes meridie concrescat, fiantq; tonitrua, quo tempore solis radij & calor maximas habētes vires, maximè superare deberent constitutionem, firmissimum hoc argumentum est, validissimam quidem esse constitutionem ipsam, ac profectò talem, quæ solem superet, non ab eo superetur: sol enim vt perbellè citato problemate octano di-
„ cit Aristoteles, si aërem superat διακρίνει καὶ αἰθριάζει αὐτόν,
id est discernit illum, ac serenum reddit; si verò superatur
„ ἐπινεφῆ ποιεῖ, nimirum nubilum eundem facit: calor nanq; solis circunstans, frigus vaporū, qui concrescunt in nubem coaceruat, ac subinde illud multò reddit efficacius: ex quo discere etiam possumus, quo modo nubes à sole generantur; quod acutissimè demonstrauit Aristoteles, scribens, nubes ipsum quoq; efficere si superetur; quibus innuit concurrere solem tanquam causam efficientem, quanquam per accidens, & celeriorem, vehementioremq; reddere concretionem antiperistaseos ratione: vnde frigus est quod per se cogit, per accidens solis calor: atq; hinc solutio habetur cu-

iusdā dubitationis, quę ex Theophrasti verbis oriri possēt; nempè quare de æstiuis tonitruis sermonem habens, expressērit meridiana, quod non fecit loquens de hybernis: meridie enim sol parum potest hyberno tempore; vnde, ex hybernis tonitruis matutina potius, quàm meridiana erant eligenda; & constitutio ipsa quantum est in se, quò tardior concrescit, eò se imbecilliorem ostendit. quod si æstiua tonitrua vespertina fuerint, certiora imbrium signa quantum est meritò solis afferre dicuntur, quoniam sol iam properat ad occasum, ac vires longè minores habet, ob idq; non est verendum, vt constitutionem posit superare, qui æstiuo tempore suo calore potentissima causa est serenitatis. Verū de his hactenus, hoc tantum addendum est Plinium, nulla vel de hyeme vel de ęstate mentione habita, ita rem hanc at-
» tigisse. Tonitrua matutina ventū significant, imbrem me-
» ridiana; sed Theophrasti sententiam & rationi consonare magis & experientię satis constat; vt quisq; periclitando facilè cognoscet.

54 ἀστράπαι δὲ.) De tonitruis dixit. nunc ad fulgura sermonem conuertit: atq; hoc idem signum repetitum inuenitur in opusculo de Ventorum signis numero 42. quò loco scriptum est, cœlo vndiq; fulgurante aquas expectandas esse, & vnde crebriora fulgura ceciderint, inde etiam vētū vel aquam demonstrari: potest enim & alterum horum, & vtrunq; euenire prò concrescentis materiæ ratione, ac partis humidæ, vel siccæ, copia & qualitate: siquidem pluuiæ expectandæ sunt, quia vapores in nubem, nubes in aquam concrescit, cum fulgura generantur: venti, quia fulgura, expressa exhalatione sicca, in vehementi illa coagulatione, & elisa, oriuntur; quæ quidem exhalatio ventum facit: vnde si multa vtraq; pars erit, et si apta, pluuiæ & venti esse
„ poterint. Plinius rem hanc ita tractat. Cum æstate vehe-
„ mentius tonuit quàm fulsit, ventos ex ea parte denunciat.
„ contra si minus tonuit imbrem. quod quidem optime congruit cum ratione, atq; ingenij acumen diligentissimi doctissimiq; hominis, quo maiorem inter latinos ethnicos nō inuenio, ostendunt: quicquid Cardanus audacter nimis

com.

com. 64. in secundum librum Ptolemæi de tanto viro dixerit, purũ gramaticũ eum appellans; fiunt enim tonitrua, cũ elisus spiritus nubis concauitates verberat, id est & inclusum aërem nubis & densas partes, quæ concauitatem finiunt, cumq; nubem frangit: vnde tonitrua multa & magna plurimum cauitatis habere ipsas nubes fidem faciunt, proindeq; aquę minus posse generari; imbrem enim copiosiorem oriri necesse est ex nube tota introrsum etiam æqualiter densata, quàm ex illa, quæ cauitates habet, ac eas quidem & magnas & plures; æstatem verò exprimit Plinius, quoniam æstate potissimum tonitrua fiunt; licet hyeme nõ semel ea oriri sentiamus; præsertim si hyemis nomine primam ac postremam illius partem intelligamus, quemadmodum in superiori signo intellexisse Theophrastũ arbitramur. Aratus tamen æstiua tonitrua, & fulgura pariter ventos significare carminibus illis docuit,

Καὶ θέρεος βρονταί καὶ ἀστραπαὶ ἔνθεν ἴωσιν
Ἔνθεν ἐπερχομένοιο περισκοπέειν ἀνέμοιο. id est
Etiam æstatis tonitruaq;, & fulgura vnde eant.
Inde aduenientem obserua ventum.

Addit autem Theophrastus παντεχόθεν, quod est, ex quatuor cœli cardinibus, & regionibus; quod quidem iusta de causa Aratus, Virgilius, Plinius sæuissimæ tempestatis esse indicium voluere. vnde Aratus,

Αὐτὰρ ὅτ' ἐξ εὔροιο, καὶ ἐκ νότου ἀστράπτῃσιν
Ἄλλοτε δ' ἐκ ζεφύροιο, καὶ ἄλλοτε πὰρ βορέαο
Δὴ τότε τὶς πελάγει ἔνι δείδιε ναυτίλος ἀνήρ.

Quæ Virgilius sic expressit eleganter.

At boreę de parte trucis quum fulminat, & quum
Euriq; Zephirique tonat domus, omnia plenis
Rura natant fossis: atq; omnis nauita ponto
Humida vela legit.

„ Plinius. Cum sereno cœlo fulget, pluuię erunt, & tonitrua,
„ & hyemabit. Atrocissimè autem cum ex omnibus quatuor
„ partibus cœli fulgurauit. Cum ab Aquilone tantum in po-
„ sterum diem aquam portendit. Cum à Septentrione vętum,
„ eum. Cum ab Austro vel Coro, aut Fauonio nocte serena

fulgu-

» fulgurauerit, ventum, & imbrem ex iisdem regionibus de-
» monstrabit.

55 καὶ ἑσπερινὰ ἀσαύτως.) ἀσαύτως scilicet pluuiam, aut ventum. Cum autem vox ἑσπερινὰ duo posśit hic significare, nempè aut partem diei vespertinam, aut cœli plagam occiduam; quoniam aduerbium illud, πανταχόθεν, loca cœli designat; occiduum etiam cardinem, non diei tantum horam vespertinam significare eam arbitror: vt prætercam ob rationes allatas supra anaot. 52. fulgura vespertina, si hyberna fuerint, minus posse hæc portẽdere, vnde paulò post, æstiua esse vespertina fulgura oportere monet Theophrastus, vt vim habeant efficacius prænunciandi. Erit ergo sententia; si non vndiq; fulgurauerit, ab omnibus videlicet cardinibus, sed de vno tantum, idem significare, præsertim si is fuerit occiduus cardo, vel meridianus; vnde, & mox notat fulgura meridiana ventos, ac imbres decernere.

57 καὶ ζέφυρος εἰ ἐγχατεῖν.) Si fulgur non solùm de parte occidua venerit, sed simul comitem Fauoniũ habeat, (quod vt significaret Theophrastus dixit eleganter Fauonium fulgurare) erunt insuper pluuiæ, & tempestates ab aquilonari parte etiam expectandæ: mouet enim Fauonius in diurnã περίστασι Aquilones, vt suo loco in annotationibus super librum de Ventis dictum est; vnde, & Fauonio dominante, qui etiam sua natura ad Aquilones reducitur, vt 2. Meteoron notatum est, haud erit difficile Aquilonem quoq; excitari, atq; ex ea parte imbres fieri, ac tempestatem.

58 καὶ θέρους εἰ ἑσπέριαι.) Locus hic, quæ superius dicebamus annotatione. 55. mirificè comprobat, cum moneat Theophrastus, vespertina quidem fulgura non simpliciter & omni anni tempore facta, sed æstate tantum, ingruentem mox pluuiam indicare, vel in triduum; vnde vox ἑσπερινὰ, hoc quoq; in loco partem diei vespertinam, & cœli occiduã omnino significabit; causaq; eadem est, quæ & de vespertinis tonitruis æstate contingentibus supra annotatione 52. à nobis allata fuit.

59 καὶ ἐσπέρας βρέχει.) Quanquam verissimè dictum est 3. Meteoron à Præceptore austrinum aërem, magis ac facili-

cilius quàm qui ad ſeptentriones poſitus eſt in aquã mutari; vt propterea, & fulgura, & tonitrua, & coronæ, & parelia meridiana, certiores, ac vehementiores pluuias nuncient: tamen, ſi Oporæ tempore ad ſeptentriones horum aliquod oriatur, magis quàm ſi in reliquis temporibus ibi contingant, pluuias eſſe expectandas admonet: quod quidem de fulgure hic notat Theophraſtus, non ſine magna ratione Oporę tempus nominatim exprimens; etenim cum Oporã Veteribus Canis exortus inchoaret, qui tùm ſole leonis initium ingrediente efficiebatur, vt in Apologia demonſtrauimus, proindeq; ad ſeptentriones vapores multi ob maximũ æſtum, ſoliſq́; ſitum congruentem per id temporis oriantur, vt 2. Meteoron abundè docuit Ariſtoteles, vnde tunc Eteſię propterea ſurgunt, vt idem probat; ſatis ex his clarum eſt Oporæ tempore, partem cœli aquiloniam vaporibus plurimis abundare, & exhalationibus; quamobrem ſi Opora ab Aquilone fulgeat, ſignum certum erit pluuiarum, quoniam tunc non deſint vapores, ex quibus valida conſtitutio denſari poſsit.

60 ἡ εὔβοια ὅταν διαχωσθῇ.) Diuidi Eubœam, puto intelligendum à nubibus ipſis, quemadmodum, cum videmus montes quoſdam, ita nube aliqua præcinctos, ac diuiſos, vt pars vel ſumma tantum, vel ima conſpiciatur. id autem indicium eſſe pluuiarum ſatis initio huius opuſculi monſtrauit Theophraſtus, docens, nubes, ſi grauiores fiant, delabi ob grauitatem, in campeſtribusq; & cauis, locis conſidere; qualis ſanè Eubœę ſitus eſſe perhibetur. Poteſt, & altera huic loco aptari interpretatio, & ea quidem mea ſententia congruentior. ſcribit Ariſtoteles 3. Meteoron, Iridis cauſas inquirens, aſpectum ab omnibus leuibus reflecti, proindeq; ab aëre, cum concreſcere eum contigerit; proptereaq; & promõtoria in mari reuulſa, & Euro ſpirãre maiora omnia videri; de qua re egregie Alexander eo in loco com. 16. Olympiodorus ad finem actionis 36. inter recentiores Vicomercatus com. 19. diſputarunt. ſicuti igitur ea omnia accidunt, quoniam aër craſsior redditur & humidior; ita, & eadẽ ob cauſam Eubœa diuiſa poteſt apparere; quod ſignũ

eſſe

esse pluuiarum nemo non videt.

61 καὶ ἐὰν ἐπὶ τὸ πέλιον.) Hic vnus mons est, de eorũ numero, quos σημαντικοὺς nominauit initio huius opusculi Theophrastus; de quibus certissima captari indicia monuit ad futuras aëris mutationes prædicendas: quandoquidẽ aërem, & vapores, qui vna cum eo semper fluunt, primum ad montium vertices, vbi concrescere inceperint, detineri, ratio ipsa suadet, vt tex. 7. libelli de Ventis dictum fuit: quamobrem ingruente iam mutatione, montes, qui maximè ob situm vim habent significandi, certissima signa dabunt, nubibus ad eorum vertices considentibus, & coacervatis.

62 ὅταν ἶρις.) Dictum est supra non semel, Coronas, Parelia, Virgas, Irides, pluuias, aut ventos nunciare, & quã ob causam: ex eadem enim constitutione, licet aliquã ex parte varia, cuncta hæc oriuntur: verum Iris potissimum id facit, quoniam, vt 3. Meteoron docet Aristoteles cum pluere incipit, iamq; aër, qui in nubibus inest, in guttas concrescit, nondum tamen pluit, gignitur: vnde Olympiodorus actione 37. notat Iridem à Poetis ὑετομαντιν dictam esse, id est futuri imbris prænunciam; propterea quòd stillicidia humorum in eam aëris partem congressa, in quibus arcus figura cernitur, nõ dum partu aquam ediderunt: atq; si plures fuerint Irides, maiores pluuias decernunt, quoniam copiosiorem esse concretionem monstrant, quod sequenti signo monet Theophrastus: non possunt tamen plures, quàm duę, vel tres ad summum apparere, quarum tertia languidissimis est coloribus; ita vt vix appareant: quòd si Vitellio, Pataui cum esset, quatuor obseruasse scribit, deceptũ illum fuisse, ac Irides non fuisse illas, perbellè com. 31. docet Vicomercatus. Aratus duplices arcus pluuias indicare voluit ita scribens.

Ἢ διδύμοι ἕλισσε διὰ μέγαν οὐρανὸν ἶρις. id est

Aut gemina circumcingit magnum cœlum Iris

» quem Plinius his verbis secutus est. Arquus cum sunt du-
» plices, pluuias nunciant. A pluuijs serenitatem non perinde
» certam: nimirum quoniam si appare, antequam imber inci-

 piat,

piat, iam materiam in principio esse concretionis, ideoq; tum pluuiã minatur. si à pluuijs, id est postquã imber ceciderit, vt ego interpretor, materiam ipsam in fine concretionis esse monstrat, iamq; nubes fieri rariores; propterea serenitatem promittit;non perinde certã, quoniam & nulla adhuc materia adest pluuijs gignendis idonea. Virgilius Theophrasto consentiens vnum sufficere arcũ ad imbres significandos ita docuit.

& bibit ingens, Arcus.

quem locum Seneca p. lib. Naturalium quæstionum cap. 6.
» ita expendit. Inter cætera argumenta,& hoc erit,quod nun-
» quam maior arcus dimidio circulo apparet, & quod eo mi-
» nor est quò altior est sol. vt ait Virgilius noster,Et bibit in-
» gens Arcus,cum aduentat imber,sed non easdem,vndecunq;
» apparuerit, minas affert. A meridie ortus magnam vim
» aquarum vehet, vinci enim non poterunt vehementissimo
» sole, tantum est illis virium. si circa occasum refulget rora-
» bit, & leuiter impluet. si ab ortu, circaue surrexerit, serena
» promittit. Hæc Seneca. cuius verba Matthæus Fortunatus in annotationibus expendens, aut conuulsa ea, ac truncata esse, dicit, aut Senecam omnino ineptum; dum autoritate & testimonio Virgilij vtitur ad ostendendum arcum nunquam dimidio circulo esse maiorem, vel etiam esse minorem sole altiore: cum id nullis machinis ex Virgilij verbis erui posse videatur. Verum si accuratius rem perpendamus, aliter fortasse, (quod pace illius dixerim) erit sentiendum; neq; enim Virgilij testimonium, meo quidem iudicio ab eo aduocatur, vt ostendat, arcum nuuquam dimidio circulo esse maiorem, aut eo minorem sole altiore: sed tantum ad hanc in arcu indicandam varietatem; nimirum, quòd maior, vel minor interdum esse possit; id autem perbellè facit Seneca Virgilij carmen adducens, in quo arcus ingens appellatur. enimuerò alia fortasse, scientissimi omnium rerum vatis his in verbis sententia est, ac ea quidem abstrusior, quàm quis facilè sibi persuadeat; quando Poeta non simpliciter arcum dicit ingentem, quasi omnis cœlestis arcus ingens sit, & dici mereatur, sed arcum imbris magni,

præ-

prænũcium, qualis est de quo sermonem habet, ingentem esse oportere monstrat, vt talem imbrem possit nunciare: ita, vt arcus cum ingens bibit, tum verè ingentis imbris indicium afferat. nam & hoc sensu verba accipit Seneca illa " addens, cum aduentat imber, nimirum magnus, quæ licet Virgilij non sint, Senecæ tamen conueniunt, nec sunt suppositititia vt putauit Fortunatus; ex quibus clarum est Virgilij autoritate sequi, arcum modo maiorem modo minorem esse posse, quod eiusdem probare testimonio consilium Senecæ erat: neq; id caret ratione; ostendit nanq; 3. Meteoron Aristoteles, vt com. 9. exponit Alexander, Arcũ nunquam circulum fieri aut semicirculo maiorem, sed si sol in ortu fuerit vel in occasu, semicirculum tunc fieri, minoris tamen circuli; si fuerit sublatus, minorem semicirculo apparere; verum tanquam maioris circuli portionem: quibus intellectis, satis constat, qua ratione arcus maior, vel minor dici possit; neq; enim, vt arbitror, vocari in dubiũ debet, eum arcum maiorem nostris oculis apparere, qui maioris circuli sectionem representat, licet semicirculum exactè non expleat; maiorem enim cœli partem hunc occupare necesse est: at id tantum euenit cum sol altior fuerit, vt probat Arist. itaq; meridie maximus, aut nõ lõgè à meridie hac ratione arcus apparebit; æstiuis .n. tẽporibus nunquã meridie fit arcus; vt 2. Meteorõ docet Arist. alijs verò temporibus effici potest, vt verè tunc ingens dici mereatur. atqui arcus à meridie ortus, aut non longè, vt subtiliter docet Seneca, Virgilij verba enarrans, magnam vim aquarum vehet; si enim tum fit arcus, validissimam esse constitutionem, ex qua oritur, ostendit; vt non potuerit à vehementissimis etiam solis viribus superari, quemadmodum ipse addit; eadem enim ratio est de meridiano arcu, quam in meridianis tonitruis supra locum habere diximus. quid ergo mirum, si doctissimus Vates Aratum immitatus dixit, ingentem arcum ingentis imbris esse indicium? nam, & propterea cecinit Aratus, magna instante pluuia, per magnum cœlum, geminum se arcum cingere; quod est, magnam cœli partem arcum occupare, atq; vt Virgilius expressit, ingen-

gentem sese oculis conspiciendum offerre, magno imbre ingruente. Verum dicet aliquis Senecam meridianum ar-
» cum minorem appellare, scribit enim, & quod eo minor est,
» quò altior est sol. respondemus, non absolutè his verbis Senecam arcum meridianum minorem dicere, sed minorem se-
» micirculo; inquit enim, quod eo, scilicet semicirculo minor
» est: & dixerat superius, quòd nunquam maior arcus dimidio
» circulo apparet: quamobrem nil hoc nostrę officit interpretationi; cum aliud omnino sit, arcum arcu simpliciter maiorem dicere; quòd omnino à circuli magnitudine pendet, cuius sectionem arcus repræsentat: aliud eum semicirculum explere; vel eò fieri minorem. Quod si ita res est nō inepta Senecæ aut dura videbitur à superiori transitio, vt contendit Fortunatus: cum enim ex eo quod arcus, aut fieri semicirculus potest, aut eo minor, alterum hoc sequatur, maiorem aut minorem illum nostris oculis apparere, ac maiorem quidem, cum semicirculo minor est, minorem verò, cum semicircularis efficitur; appositè ad hanc magnitudinis differentiam, & varietatem animum Seneca intendens, operæ pretium duxit eam doctissimi Vatis testimonio comprobare, vt rem hanc ei non fuisse incompertam demonstraret: aptè omnino, & congruenter vna explicans, quare ingentem arcum ingentis imbris indicium esse dixerit. Illud potius mouet mè vehementer, quod addit hic autor, arcum, si ab ortu circauē surrexerit, serena promittere; cum iam probatum sit de Aristotelis mente, matutinam omnem concretionem longè esse vespertina potentiorem: nisi dicamus Senecæ verba simpliciter non esse accipienda; ac idem esse de arcu, atq; de tonitruis iudicium, hybernum nanq; fortasse arcum matutinum, pluuias; æstiuum serenitatem nunciare, quemadmodum de tonitruis
» supra aiebat Theophrastus. Ptolemæus tamen in extremo
» secundi libri, rem hanc ita tractat iuxta vulgatam æditio-
» nem, sed arcus quocunq; tempore extiterit, si serenum sit,
» hyemis, sin hyemet, serenitas expectanda est; Verum ego, (pace dixerim Interpretis) aliam omnino puto huius loci sententiam esse, cum neq; arcus sereno cœlo possit appare-

re,

re, neq; quocunq; tẽpore apparens idem prẹnnnciet; Itaq;
» quoniam sic habet græcum exemplar, εἴτε καθιστάμεναι κατὰ
» καιροὺς ἴριδες, χειμῶνας μὲν ἐξ εὐδίας, καὶ εὐδίαν ἐκ χειμώνων
» προσημαίνουσιν; sic ego verba interpretor. Arcus prò ratio-
» ne temporis in quo apparuerint, ex serenitate hyemes, ex
» hyeme serenitates fieri ostendnnt. neq; enim verbis illis,
κατὰ καιρούς, quodcunq; tempus, sed proprium cuiusq; arcus
tempus designari credo; ita vt aliud matutinus arcus; meridianus aliud significet; aliud demum vespertinus; aliud si peracta serenitate, cũ iam cęlum tegi nubibus & ferè pluere incipit, appareat; aliud si post imbrem, cernatur: Semper enim meridianus arcns maiores pluuias affert; matutinus & vespertinus pro temporis anni ratione, licet qnantum est merito constitutionis, matutinus vberiores, vespertinus leuiores imbres prẹnunciet: item si ante imbrem, certiores; si post, atq; vt supra ex Plinio dicebamus, si à pluuijs, minus certa præbet signa pluuiarnm: quin etiam & serenitatem spondet. de qua re ita Cardanus in commen-
» tarijs super Ptolemęum ex Arabum monimentis. Causa hu-
» ius est, vt benè Haly inquit, quia arcns cælestis fit à nube
» rorida sparsa: si igitur succedat serenitati, signum est quod
» aër humectatur, & crassescit. Ideo significat hyemes, id est
» imbres magnos. Si vero succedat imbribus: Cnm hi fiant
» à densis nubibus, & denso aëre, cœlestis arcus significat
» vtrunq; iam rarescere. Ob id Moses scribit Deum posuisse
» Iridẽ in signũ fœderis ipsius cũ humano genere: nã cũ Iris
» fiat, vt diximus, à nube rorida, atq; disgregata, nec innũda-
» tiones, nec squalores succedere possũt. similis ferè sẽtẽtia legitur apud Arist. sectione 12. probl. 3. iuxta Gazæ partitionẽ, nisi quod magni imbres nõ concedũtur; quo in loco querẽs, vtrũ arbores reddãtur odoratæ, in quas cœlestis arcus decubuit, inquit arcũ nũquã sine aqua effici posse, quæ autẽ aquæ post arcũ solẽt incidere, nõ multas, sed sẽper penè mediocres aduenire; & si plures constiterint arcns, aquã uon largè, sed sępè & parcè accedere. Vernm hactenus de hoc signo. quod verò sequitur, ad acutos ac feruentes soles pertinens, partim superius enarratum est, partim initio

opusculi

opusculi de Ventorum signis explicabitur; eandem enim omnia causam habent.

65 *μύρμηκες*) Formicarum genus, quemadmodum & Apum officiosissimum esse præ cæteris insectis cap. 38. noni de Animalium Historia tradit Aristoteles: capite verò quarto 2. de Partibus Animalium, prudentius esse nonnullis animalibus sanguinem habentibus; eo quòd humorem tenuiorem, ac sinceriorem nactum sit, quod proportione sanguini respondet. sapientiora enim ea esse animalia, quorum sanguis tenuis sit ac mundus, & probè temperatus, sensumq; habere mobiliorem, quę humorem tenuiorem & sinceriorē habent, & ibi & plerisq; alijs in locis ab eodem inculcatum inuenimus. non erit igitur mirum, si tam multa de formica narrantur, siq; ex eius operibus plura Veteres indicia captauere: afficitur enim maximè ob temperamenti nobilitatem, quacunq; ingruente in aëre mutatione, ac mira quadam naturæ sagacitate imminentibus malis occurrit; vt propterea nonnulli dubitauerint, an formica, aranea, hirundo, ac eiusmodi alia animalia, intellectu operentur, quēadmodum tex. 80. 2. Naturalis Auscultationis notatum reliquit Aristoteles; alij vero recentiores dixerint dirigi ea ab intelligentia, quod tamen tanquam minus peripateticū repudiatur; cum in agentibus naturalibus naturaliter videantur esse insitæ qualitates ac virtutes actiuæ, per quas naturaliter ac sufficienter determinantur ad suos fines & actiones; vt non minus propria natura agantur, quàm intelligentiæ ope. Aratus de hoc signo.

Καὶ κοίλης μύρμηκες ὀχῆς ἐξ ὠεα πάντα
Θᾶσσον ἀνηνέγκαντο. id est
Etiam cauo formicæ foramine oua omnia
Ocyus efferunt.

Virgilius.

Sępius & tectis penetralibus extulit oua
Angustum formica terens iter.

atq; ante illum Varro Seruio referente

Nec tenuis formica cauis non euehit oua.

» vnde Plinius. segniterq; & contra industriam suam abscon-

ditæ

» ditæ formicæ, vel concursantes, aut oua progerentes. sed & quid mirum? maiora enim naturæ ductu agunt, quæ Simplicius 2. Naturalis Ausculationis com. 62. sic paucis perstringit. Formicæ verò alimentum recondentes & admira-
» bili quadam via & ratione vtenres ad maiora trahenda one-
» ra, & humectatum nutrimentum sæpe ad solem adducentes,
» & refrigerantes,& in incessu ordinem cõseruantes. & quod
» est his admirabilius, cũ suas cauernas quas χεῖας vocamus,
» in tres partes diuidant, in vna qnidem parte vitam agunt,
» ac comedunt: in altera verò alimenta reponunt: in tertia
» mortuos sepeliunt.

66 εὐδίαν.) Et hic rursus εὐδίαν opponit imbri, vt supra nnmero 32.

67 ἐὰν παρήλιοι.) De parelijs superius dictum est, & qna de causa pluuiarum certa sint indicia. Si ergo duo appareant, atq; coronę simul, iure & magnnm & celerrimum imbrem demonstrant: mareriam enim & plurimam redundare in aëre, & dispositam esse indicant. legoq; prò καὶ ἄλλως ἅμα, quæ oratio omnino corrupta est, καὶ ἄλως ἅμα, vt de corona sit sermo. Hinc verò discere possumus, maximè esse verò consentaneum, quod superius aduersus Olympiodorũ dicebamus annot. 4. virgas & parelia ad austrnm conspectas, verè in austrina plaga generari. Aratus, considerandũ esse scribit, vtrum parelia hęc orientem vel occidentem solem obsideãt, ab austro, vel ab aquilone, vel vtrinq;: si enim duo appareant, pluuias decernere; si boreale tanrum & rubescat, ventum illum: si australe Austrum: si guttulas emittant, imbrem. Ptolemæus non dissimilem senrentiam expri-
» mit. Itemq;, inquit, cum illas solares nubes, quæ parelia
» dicuntur, vna à parte informarit, nubiumq; figuras subru-
» bras, radiosq; in longum tendentes circum sese habuerit, ve-
» hementes tum flarus significantur, pro ijs angulis, quos
» respexerint visa illa: & mox, aut solares illæ nubes utrinq;
» aderunt, necnon radij subpallidi aut nigri, minantur hye-
» mes atq; imbres.

68 καὶ ἄλως αἱ μέλαιναι.) Cnm Theophrastus hoc loco videatnr affirmare coronas, quæ nigræ fuerint, pluniarum

 esse

esse indicia; iure quis dubitare posset, an censuerit, coronas naturam suam retinentes albas esse, de qua re altercantur Interpretes 3. Meteoron, alijs coronas tantum albas & vnius coloris; alijs insuper & nigras esse, contendentibus. quamobrem tota res hęc diligentius nobis expendenda est; perquirendumq; an coronæ albæ sint, an etiam & præterea nigræ; vtrum omnes pluuias nuncient; vel nigrę tantũ, vel solito nigriores; quibus explicatis, huius loci sententia clara erit. Quatuor visa sunt, de quibus luculenter 3. Meteoron disserit Aristoteles, coronæ, irides, virgæ, & parelia: coronæ parelijs respondent virgæ iridi ratione concretionis; ex simili enim ferè nube teflectuntur. virgæ cum parelijs consentiunt ratione situs; ad latera nanq; ambo oriuntur. coronę cũm iride in figura, imitantur enim circularem. propterea Aristoteles de corona primum, mox de iride disputat: circulum nanq; exactum exprimit corona; semicirculum iris: tertio loco de virgis post iridem sermonem habet ob concretionis similitudinem: vnde postremò parelijs manus fuit ei admouenda. atq; hæc fortasse probabilior est ratio Aristotelici ordinis, quàm ea, quę actione 34. ab Olympiodoro affertur, cuius opinio ea potissimum de causa nutabunda est, quòd ipse coronæ naturam simplicem coloris ratione esse dicat, quia vnius coloris sit; quod tamẽ falsum esse infra videbimus. coronę & parelia oriuntur ex nube simpliciter, videlicet nõdum ferè vaporis parte vlla in aquam mutata, quod Parelij potissimum proprium est; cum nanq; se parat constitutio ad pluuiam vapores in particulas diuisi, qui nubem constituunt, vertuntur in aquam; quas profectò aqueas particulas Aristoteles, ψακάδας, appellat; hæ verò particulæ guttam constituunt, quam ipse ψεκάς dicit; ac ea constituta, pluuia tunc cadit; nam & hoc est quod
,, verbis illis primo Meteoron ipse significat; ἀλλ' ὁμοίως ὥσ-
,, περ καὶ ἐν τῷ ὑπὲρ γῆς τόπῳ, μικραὶ συνιστάμεναι ψακάδες, καὶ
,, πάλιν αὗται ἑτέραις, τέλος μετὰ πλήθους καταβαίνει τὸ ὑόμενον
,, ὕδωρ, & c. quod est, sed vt supra terram exiguę guttulæ
,, concrescunt, & illæ rursus cum alijs coeunt, demum mole
,, facta pluuia aqua decidit & c. Vapores autem illos, qui in partes

partes minutissimas seiuncti, nubem constituunt, antequam in aquam conuertantur, ἀχλὺν, 3. Meteotó vocat Arist. atq; hę omnes particulę specula illa parua sunt, nullāq; ad sensū magnitudinē habentia & diuisionem, quæ non figuram, sed colorem tantum repræsentare propterea posse, ipse docet. Porrò autē hę vaporū particulę sunt, ex quibus, cū reflectitur aspectus, si circa solem fuerint, coronę oriuntur, quòd ipse ita docuit citato loco, de illarū ortu sermonem habens.
» Reflectitur igitur aspectus, aëre & vapore in nubem concre-
» to, si tamen æquabilis, & minutis partibus concreuerit. &
» mox. A caligine autem, (ἀχλὺν enim caliginem interpre-
» tantur) circa solem & lunam coacta, aspectus reflectitur. Ex eiusmodi etiam vaporibus & caligine parelium oritur, verum coactio hęc ab ea, ex qua corona gignitur, tripliciter differt; est enim æquabilis magis, & magis densa, item nulla ex parte aquosa: nam particulę illę vaporū magis sunt vnitę, vt ferè non plura specula continuata, quemadmodum de corona ipse dicebat, sed vnum speculum repræsentare videantur; item nulla earum in aquam conuersa est; æquabilitas enim maxima nubis parelium generantis vnum colorē reddit, non varium: densitas vero, & particularum similitudo, quia nulla earum aquosa est, album & præterea figuram; quoniam ex ea simul totus reflectitur aspectus: reddit enim densitas hæc nubem maximè vnā. propterea in parelio nulla nigredo est. cuius tamen vestigia cernuntur in corona, quod non semel Aristoteles affirmauit; vt nonnullos interpretes demirer coronam simpliciter albam esse statuentes, & Olympiodorum præsertim, qui act. 35. coronam albū tantum colorem recipere asserit. Iam vero si vaporum hę particulę ψεκάδες fiant; nimirum in minutissimas guttulas conuertantur, idoneum situm nactæ, arcus & virgas pariunt de sententia præceptoris; quod totum, ipse de Iride dispu-
», tans his verbis affirmauit. Ab aqua autem maximè reflecti-
», tur, & ab ea etiam magis, quæ fieri incipit, quàm ab aëre,
», queq; enim particularum ex quibus concretis, gutta ori-
», tur, magis quàm caligo, speculum fit, necesse est: atq; hoc est quod subdit, cum pluere incipit, iamq; aër, qui in nubi-

 bus

bus ineſt in guttas concreſcit, nondum tamen pluit, ſi ſol è regione fuerit, arcum oriri: quod quidem ænigma ferè eſſe videtur. nam ſi pluere incipit, ſi in guttas aër concreſcit; quomodo non dum pluit? & tamen omnia vero maximè conſonant. Si enim aqua maximè reflectit, igitur & illud, quod iam aquæ naturam induit: quamobrem guttulæ illæ & vaporum particulæ in aquam conuerſæ, & quaſi ſtillantes ex nube, magis reflectent, quàm ſi priorem naturam, vaporum videlicet & aëris retineant: tunc verò, ſole è regione poſito fiet arcus, quia pluere quidem incipit, cum particulæ vaporum in aquam conuertuntur, nam & hoc initium pluuiæ eſt, parari nanq; incipit aqua; ſed nondũ tamen pluit, non videlicet cadit deorſum aqua, quoniam nondum moles ráta facta eſt vt ψεκάς, id eſt gutta oriatur, atq; ob grauitatem delabatur. quamobrem cautè Olympiodori verba ad finem actionis 36. erunt accipienda, dum inquit, concretionem ex qua fit Iris appropinquare, vt aqua futura ſit, non dum autem perfectè verſam in aquam eſſe: quandoquidem, particulæ vaporum illæ verè in aquam mutatæ ſunt, ſed non dum in tantam concreuere molem, vt ψεκάς, guttam conſtituant, quam maximè propriè aquam appellat Ariſtoteles; nã & hoc eſt, quod dixit verbis illis. Præterea circa ipſum ſolem nulla eiuſmodi concretionis fit mora (ſcilicet qualis ea eſt, quæ Iridem gignit) ſed aut pluit aut diſſoluitur. Cum autem eſt in contrarijs locis, dũ aqua gignitur aliquod tempus intercedit. Quo in loco quod ſupra dixit ὕειν, mox ὕδατος γενέσιν videtur appellare; nimirum guttarum lapſum: ad quem profectò lapſum ab ipſa nubis rotatione aliquod tempus intercedit. tempore nanq; opus eſt, vt particulæ illæ tot ſimul coeant, vt guttam poſsint generare; quam vt diximus propriè aquam vocat Ariſtoteles, quia iam decidat: vt propterea Interpretes ad hæc animum intendentes, guttulas illas aquam verè eſſe aliquando negaſſe videantur. Atque hoc ſenſu Alexandri verba com. 17. intelligenda ſunt, vbi inquit, quod incipit fieri aqua, caligine humidius, nubẽ eſſe; vt negare videatur, particulas illas omnino in aquam eſſe conuerſas. Similem verò eſſe concretionem, alium tamẽ

ſitum

situm adeptam, quæ virgas gignit, satis ex philosophi verbis est perspicuum. Ex his autem omnibus latissimè patet, quare parelia alba appareant; coronæ præter albedinem socium habeant nigrorem quendam: arcus verò & virgę multicolores. speculi enim & reflectentis nubis situs, natura, & qualitas omnis huius varietatis causa est; quod de corona & arcu satis clare his verbis Aristoteles affirmauit. Et ,, quanquam vtrunq; reflexio est, arcus tamen colorum varietate differt. Hæc enim quidem reflexio ab aqua & nigro, & ,, è longinquo efficitur: illa verò è propinquo, & ab aëre, qui ,, natura est candidiori. ponit enim Aristoteles aquam nigrã esse, vnde cum nubes, quæ arcum gignit & virgas, aquea iam sit, ob vaporum particulas in aquam & guttulas conuersas, non tamen tota, quia non omnes conuersæ sunt, euenit necessario, vt varij colores oriantur, ob splendidi & nigri admistionem. simile enim contingit, ac si nubem in aquam ,, conspiciamus, de qua re ita statuit Aristoteles. nubes nanq; ,, per directũ aspicientibus coloris expertes videntur, in aqua ,, verò virgarum plenæ. & superius dixit, & in aquam aspi- ,, cientibus nubes atriores videntur, quam si in eas inspicia- ,, tur; idq; admodum insignitur; & paulo post. Ad hæc ne ,, illud quidem ignorare debemus, euenire, cum nubes soli ,, propior fuerit in eam quidem inspicienti, nullo colore in- ,, fectam videri, sed esse candidam: in aqua vero eam ipsam ,, intuenti, aliquem arcus colorem habere. Quoniam igitur nubes, ex qua arcus & virga oritur, inæquabilis est, & partim rara, partim densa, & vna parte aquosa magis, altera minus; aqua vero nigra, varietas in illis colorum oritur: nubes enim propter aqueas particulas, quæ eam constituunt, quasi in aqua cernitur, vnde Aristoteles de virgis loquens. ,, Quamquam cum in aqua spectantur, color nubis in aqua ,, videtur esse, in virgis autẽ in ipsa nube: idemq; de Iride lo- ,, cum habet. Splendidum enim si in nigro conspiciatur, punicei reddit, hinc porracei, inde purpurei, demumq; nigri ipsius apparentiam, pro reflectentis speculi situ, inæquabilitate, ac maiori vel minori densitate, vt superius annotauimus. Rursus quoniam nubes, ex qua corona gignitur

aquo-

aquosa non est, neq; enim particulę illę omnes vaporum cōuersę adhuc in aquam sunt, neq; pars earum maior; itē quoniam ęquabilis magis est cōstitutio, corona alba pro maiori parte apparet: nubes enim quę reflectit per se spectatur, non quasi in aqua: quia ἐσόπτρους nō habet, nisi admodū paucas: hęc verò alba est sua natura & soli propinqua nullo colore videtur infecta; aër .n. sua natura est candidior, vt asseruit Arist. verum quoniam non adeo æquabilis est, nec adeo densa, vt nubes illa quę parelium efficit, & aliquæ in ea vaporum particulæ in aquam conuersę sunt, quę ad exteriorem ambitum repelluntur tanquam frigidiores; item exterior hic ambitus è longinquo magis cernitur, his de causis nigrorem quendam corona comitem habet; puniceus enim & purpurascens ille color, qui in corona ob admixtionem splendidi & radiorum solis cum nigro oritur, nigroris naturam induit: nam sicuti puniceus iuxta viridem & nigrum albus ferè videtur; ita iuxta album niger quasi apparet, sicuti & niger color eadem de causa nigrior euadit vt inquit Aristoteles. Demum parelium, album cernitur, & quidem totum, quoniam concretio expers omnino est ἐαλίδων, & æquabilis magis ac magis densa ea nube, quę coronam gignit. Quibus ita explicatis, quorum omnium semina annotat. prima & 14. iecimus, iam clarum est, quo sensu, hic dicere potuerit Theophrastus, coronas nigras, imbres indicare; intellexit enim, si maiorem contrhaxerint nigrorem, quàm soleant, tunc pluuiarum certas afferre minas: nam &
„ hoc est, quod dixit Aristoteles, de ea agens. διὸ καὶ μελαι-
„ ναι γίνονται τὴν χρόαν τῶν ἄλλων. quod est; propterea, & hę
„ maximè inter ceteras nigræ sunt: Nigredinem enim quandam contrahere coronas omnes apertissimè paulò inferius
„ verbis illis significauit. Proximus autem hic ambitus niger
„ est; qui etiam ob illius candorem nigrior videtur. Cū enim corona ipsa, vt idem monet, simpliciter aquam prænunciet, quoniam aëre & vapore in nubem concreto, efficitur; si cōcretio non emarcescat, aut dissipetur, sed suam ipsius recipere naturam permittatur, tunc corona, quæ inde gignitur nigrior semper apparebit; talem enim fieri concretionem

nem indicat nigror, ille vt acutiſsimè ſubdit Ariſtoteles, ex
,, qua (τὸ συνεχες λαμβανούσης τῆς πυκνώσεως, id eſt vt ego ex-
plico,particulis vaporum iam ſeſe in aquam cõuertentibus,
& continuitate recepta, in guttas coeuntibus) ad imbrem
venire neceſſe ſit; quamobrem meritò corona præter ſoli-
tum nigrior,certos imbres minatur; contrahit enim nigro-
rem illum maiorem, quia conſtitutio ipſa magis fit aquoſa:
quamobrem Theophraſti verba non ita accipienda ſunt, vt
nigram coronam, pluuias afferre dicat, quaſi albæ alioqui
omnes eſſe natura ſoleant, ſed intellexit, coronam nigram
id eſt ſolito nigriorem imbres nunciare. Iam verò, quod
vera cauſa nigroris in coronis ea ſit, quam attulimus,
nempe particulę quædam vaporum in guttulas conuerſæ, ad
partemq; exteriorem repulſæ, & reflexio ob diſtantiam im-
becillior; ſatis patebit, ſi hæc noſtra cum ijs conferamus,
qui alij attulere; Alexander enim com.14. ex propinquitate
coronæ ad terram nigredinem hanc ex ipſa terra coronam
cõtrahere dicit; quod an verum eſſe poſsit, illi viderint, qui
acutius cernunt: Olympiodorus actione 36. eam tantum
coronam eſſe nigram ſtatuit, quæ imbrem ſignificat; idq;
propter concretionis denſitatem; Verum hoc quantam ha-
beat difficultatem, ſatis conſtat ex ſuperioribus; Ariſtote-
les enim omnem coronam nigredinem aliquam contrahere
ſcribit, nigrioremq; eſſe illam, quæ imbres affert: deinde ſi
vaporis craſsitudo & concretionis denſitas, nigredinis ſim-
pliciter cauſa eſt, cur ergo parelium nigerrimum non ap-
paret? craſsiſsimam enim eſſe nubem & reliquis denſiorem,
ex qua parelium oritur, ipſemet Olympiodorus actione 40.
fatetur. Auerroes hac in re omnino ſilet. Ex latinis no-
ſtris Albertus magnus 3. Meteoron tractatu quarto;cum ſe-
cundo capite de coloribus nubiũ, eorumq; cauſis diſſeruiſ-
ſet; dixiſſetq; nigredinis cauſam,nubis eſſe denſitatem, quia
lumen non penetrat, licet alia & alia ratione in terreſtri vel
humido vapore denſitas hæc cauſetur; nigredinem nanq;
omnem oriri ex priuatione luminis ab interioribus perſpi-
cui; mox capite quinto ſtatuit coronam, pro nubis, ex qua
fit, conditione, nigram apparere: cum enim denſatur va-
por

por & nubes, tum coronam nigrorem contrahere. & pluuiæ signum esse. Sed & eadem incommoda Albertum vrgent: Primum enim quod pertinet ad causam colorũ in nubibus, videtur ipse non parum à Præceptore desciuisse : deinde si nubis densitas simpliciter nigredinis esset causa, parelium, quod densius esse ponunt, magis, quàm reliquę aliæ imagines, atrum appareret. Præterea & corona omnis nigredinem quandam habet, quod Albertus videtur negare. Nec tamen à nobismetipsis dissentimus, qui annot. 1. 14. & 22. densitatem potissimam nigredinis causam posuisse videmur, quod hic constanter negamus: etenim locis illis, si quæ scripsimus, rectè animaduertantur, densitatem quatenus ab aqua prouenit, atq; vaporum propria est, qui iam in guttulas conuertuntur, causam nigredinis in nubibus esse statuimus, ac præterea superficiei asperitatem; nomenq; vaporis latè accipientes prout guttulis & caligini commune est, nubem densiorem, magis atram esse diximus, quia sit aquosa magis, id est ex vaporibus constet, qui iam in guttulas mutantur. vnde maior in nubibus densitas eatenus maioris nigredinis causa erit, quatenus à vapore magis aquoso ortum habet; atq; hoc est quod hic asseueramus densitatem simpliciter sumptam, non esse causam atroris dicendam. Gaietanus Tienis putat coronã gigni per refractionem radiorũ factam à nube subtili, quæ conuertitur in paruas guttulas, in medio verò albam apparere propter vehementẽ radiorum reflexionem ac luminis efficacitatem, quę superat nubis densitudinem: in ambitu autem exteriori nigram videri, quoniam ibi nubes densior est, lumen vero imbecillius; nigrioremq; partem illam reddi, quia nigrum iuxta album positum nigrius appareat. Suessanus eadem ferè habet, dubitans enim qua ratione corona alba cernatur, quæ alioqui rubra aut punicea ob luminis cum nube admixtionem apparere deberet, ita soluit dubitationem. Dicendum quod halo ideo apparet alba, quoniam est nubes, quæ est congregata ex guttulis, non autem permixtis exhalationi, sicuti vapores de mane, aut de sero; nubes enim faciens ipsam halo est rara & aquosa, ideo lumen in illa albescit, magis autem

„ tem in centro, quia magis obtinet stella, & quia locus ille „ quietior est. Cæterum hæc apertissimè præceptori aduersantur; densitas enim simpliciter non est causa nigredinis; nubem vero ex qua fit corona, aquosam non esse, particulasq; illas, saltem pro maiori parte, non esse in stillas conuersas, iam supra Aristotelis testimonio probauimus: nulla enim eiusmodi constitutionis mora circa ipsum solem fieri potest, circa quem tamen fit corona, ac sanè si fieret, coronæ quemadmodum & arcus colore tinctæ apparerent, vt ipse inquit. præterea quod in nube, quia aquosa est, lumen albescat, id penitus Aristoteli repugnat; sequitur enim potius obscurari in ea lumē propterea oportere. demū hęc vna differentia est, vt supra vidimus, inter nubem ex qua fit iris, & nubem illam, quæ coronam gignit. Ludouicus Buccaferra varius est, primum enim Olympiodorum secutus, coronam nigram apparere scribit, quia nubes condensatur, nam in„ quit, quæ cum magis condensatur nigra fit, & tandem con„ uertitur in pluuiā: deinde in disputationis progressu varietatē hanc colorū ob reflexionē radiorū in corona oriri statuit; intra circūferentiā enim, vt inquit quia valida reflexio est, nēpe ad perpendicularē, & plenius lumē concretio participat, luminis ipsius sincerus color potissimum apparet, nimirum albus; in circunferentia vero, quoniam reflexio ibi debilior est, & lumen imbecillius, niger color; videlicet verè minus albus, qui tamen iuxta magis album colorem niger apparet. sed prior causa iam supra explosa est. secunda multis premitur difficultatibus; nam primum quod minus album iuxta magis album nigrum appareat, id merito vocari in dubium potest; colores enim, vt iuxta se positi appareant, debent fortasse specie esse diuersi; nam & hoc modo puniceus iuxta viridem & nigrum albus ferè & flauus, albus item iuxta viridem flauus videtur, vt 3. Meteoron docet Aristoteles: deinde si vt idem tradit, Arcus, qui à luna exoritur, ideo albus apparet, quia in atra nube & noctu cernitur, quo fit, vt quod remissè album est, (nempe puniceus color) in nigro per nigrum conspectum, prorsus album appareat; rationi consentaneum est, vt quod minus album

est in corona, ob nigrorem noctis qui circunstat potius in magis album mutetur: nam magis potest nigredo noctis, quàm debile lunæ lumen: atqui contrarium prorsus cetnimus; cum tam corona, quæ circa solem fit, quàm quæ circa lunam intra ambitum alba, extra nigra cernatur. Franciscus Vicomercatus com. 16. eadem ferè profert in medium, quæ & Buccaferra, scribens externum ambitum ideo nigrum esse, quoniam densior est, vtpotè minus radijs solis aut lunæ illustratus & disiectus, & radios etiam aspectus imbecilliores reflectit, vnde, & iuxta alterum positus, qui candorem refert, maiorem etiam nigredinem exprimit, sed & hæc quoq; iisdem dubitationum vadis obruuntur: nam in talibus neq; densitas simpliciter sumpta, neq; radiorum imbecillitas causa est nigroris, sed vt ex Aristotele constat, ipsa natura aquea, vnde prob. 4. sectionis 21. scriptum est nigroris causam aquam esse. relinquitur igitur solum eam causam, quam supra exposuimus philosophi auribus consonam esse; nempè nonnullas particulas concretionis, quæ iam in guttulas conuertuntur, ad ambitum exteriorem repulsas tanquam frigidiores, exteriorem coronæ ambitum nigrum reddere, accedente etiam imbecilliori reflexione. nam & quæ causa est maioris in corona nigroris; eadē causa est nigroris simpliciter; at nigriores eas coronas esse tradit Aristoteles, quæ ex concretione oriūtur in aquā ferè concrescente, talem autem esse non posse, nisi iam roratio quædam adsit, satis est perspicuum; quod totum D. Thomas contuens 3. Meteoron ac Græcos omnes Latinósq; superans, varietatem hanc in corona contingere notatum reliquit ob speculi naturam, quæ pura non est, tum etiam ob debiliorem reflexionem: scribens, nubem, quę coronam gignit claram esse & subtilem, sed quæ tamen conuerti in aquam incipiat, quasdamq; paruas guttulas habeat: ita enim non possunt in corona colores Iridis apparere, quia nubes tota rorida non est, sed nonnullæ tantum illius particulæ: & quia maior pars concretionis propriam aëris & nubis naturam retinet, corona magis alba quàm nigra apparet; vnde quoniam omnis denominatio fit à supera-bun-

bundanti & nubes coronam gignens non rorida & aquosa; sed caliginosa dici debet, & corona non nigra, sed omnino alba; ex quo etiam fortasse Theophrastus nigriorem coronã; nigram simpliciter appellauit; & Olympiodorus coronam albam tantum esse dixit, quia albę, ob coloris huius dominium, reliquæ coronæ naturam suam retinentes dici debeant; licet nigrorem quendam comitem habeant: quibus positis & ad ea omnia responsio patet, quæ initio annotationis huius discutienda proposuimus. Corona enim simpliciter omnis bicolor est, & pluuiam significat vt 3. Meteoron docuit Aristoteles, quia non nisi concrescentibus vaporibus oritur quòd est imbris argumentum; vnde etiam si corona nigrior solito non fuerit & suam retineat naturam id prenunciat; quod monstrauit paulo supra Theophrastus dicens; coronas, nec aliud addens, vna cum parelijs imbres afferre; item quo nigriores fuerint; imbres eo maiores portendere ex superioribus est perspicuum. Verum hactenus de re hac, in qua pertractanda longiores fuimus, vt veram nigredinis huius causam de Aristotelis mente explicaremus, & quæ nã sint coronæ imbrium maxime prænunciæ ostenderemus: nã & serenitatem etiam & ventos possunt indicare, vt suo loco planũ faciemus; atq; ad nigredinis quidem in hisce imaginibus causam assequendam prob. 16. sectionis 21. & prob. 6. 9. 15. 23. 24. 25. sect. 23. legisse iuuabit. Illud nunc alterum expendendum superest, quod addit hoc loco Theophrastus; coronas si vespere appareant certiora esse indicia pluuiarum; cuius rei causam ego talem esse autumo. Coronæ à caligine circa solem & lunã coacta aspectum reflectente fiunt, vnde non è regione vt arcus, non ad latera, vt parelia & virgæ, sed sub sole, & luna, & circa hæc sidera oriuntur, propterea necesse est eam circulum esse, aut circuli partem, vt 3. Meteoron monet Aristoteles. fiunt autem sępius circa lunam, propterea quod sol, vt præceptor ait, calidior cũ sit, concretionẽ dissoluit, quod profectò cum euenit, quia emarcescit ipsa concretio, id certissimum est serenitatis argumentum, de qua re clarius infra dicemus suo loco. si igitur corona vespere appareat, quia sol tunc im-

 becil-

becillissimus existens, non potest ipsam dissoluere concretionem, iusta de causa certiora affert signa pluuiarum: loquitur .n. Theophrastus de coronis quæ circa solem fiunt, licet & circa lunam ac reliqua splendida sidera orianrur, monet tamen Aristoteles, coronas quæ alia astra ambiunt,
,, non adeo firmiter prænunciare, atq; hæc sunt verba. Circa
,, astra verò ijsdem quidē de causis fiunt, quoniam tñ concre-
,, tiones omnino exiguas & nondum fecundas indicent, non
,, æquè portendunt. Ptolemæus de corona, quæ circa lunam
,, est, sic eleganter. Non negligetur animaduersio quoq; area-
,, rum, quæ lunam interdum cingunt. Nam si vna fuerit pura,
,, paulatimq; euanescat, serenitatem, sin duæ aut tres hyemes
,, significant, atq; has, cum ventorum turbulentia, subrubræ
,, quasiq; perruptæ: cum niuibus, si caliginosæ, spissæ: si luri-
,, dæ ac nigræ & laceræ tam cum his quam cum illis, eoq; eti-
,, am vehementiores significāt illas, quo ipsę maiores fuerint:
,, De reliquis vero, quæ apparent circa reliqua sidera sic. Er-
,, rantibus ac inerrantibus splendidis circunfusę, areę de pro-
,, prietate coloris sui, portendunt ea, quæ naturæ ferunt stel-
,, larum. quò loco ita Cardanus in Comentarijs. De natura
,, stellæ & coloribus superius doctrinam habuisti, sed tamen
,, eam non simpliciter, sed quoad tempestates attentè consi-
,, derabis: nam nigra & liuida Saturnia sunt, tempestatesq; &
,, ventos significant orientales: Rutila & Martia turbulenta
,, tempora cum tonitru, & fulguribus significant. Quod si
,, composita sit natura, vtpotè circa stellam de natura Iouis,
,, area de natura Martis videatur: iuxta naturam coniunctio-
,, nis Iouis & Martis significabis. Addit præterea Ptolemæus
Inerrantium quasi turbulas esse aspiciendas, quo illæ colore quaq; magnitudine videantur. nam si splendidiores, grandioresq; solito appareant, quacunq; in plaga cæli luxerint, ab illa ventos concitare: Putat tamen Cardanus hic Ptolemæum de limbis sermonem habere ac verba græca, quæ ita
,, habent καὶ τῶν ἀπλανῶν δὲ τῶν κατὰ τὸ πλῆθος ἐγγὺς ὄντων
,, παρεχτυρητίων τὰ χρώματα καὶ τὰ μεγέθη. sic interpretatur,
,, com: 69. quæ sunt secundum ambitum intus contentæ spis-
,, sitatis: cæterum (pace illius dixerim) loquitur Ptolemæ-

us de fixis,quæ plures ſimul ſunt,vt Pleiades, Aſini, Hyades ac inquit,eorum ſiderum,quę ſecundum multitudinem proximè ſunt collocata, colores, & magnitudines eſſe animaduertendas; atq; id etiam Proclus in Paraphraſi ſentire videtur; quàm rectè .n. Cardani interpretatio contextui græco reſpondeat, iudicet vel mediocriter in literis græcis verſatus. Aratus de hoc ſigno ita cecinit.

Οὐδὲ μὲν ἠελίου σχεδόθεν μελανεῦσαι ἅλωαι,
Εὔδιοι, ἀσσότεραι δὲ καὶ ἀτρεμφὶς μελανεῦσαι.
Μᾶλλον χειμέριαι. δύο δ᾽ ἂν χαλεπώτεραι εἶεν. id eſt
Neq; quidem propè ſolem nigreſcentes coronæ
Serenæ : viciniores verò & impenſę nigreſcentes
Magis tempeſtuoſæ : duo item ſeniores fuerint.

» Plinius de corona ſolem cingente: Si circa occidentem can-
» didus circulus erit, noctis leuem tempeſtatem. ſi nebula
» vehementiorem, ſi candente ſole ventum. ſi ater circulus
» fuerit, ex qua regione is ruperit ſe, ventum magnum: De
» corona quæ lunam ambit. ſi caligo orbis nubem incluſerit,
» ventos,quâ ſe ruperit: ſi gemini orbes cinxerint, maiorem
» tempeſtatem. Et magis ſi tres erunt; aut nigri, aut inter-
» rupti atq; diſtracti. De coronis, quæ ſunt circa alia ſidera.
» ſi ſtellarum errantium aliquam orbes incluſerint, imbres;
» & mox. Circuli noui circa ſidera aliqua pluuiam.

69 *ἐν τῷ καρκίνῳ δύο ἀστέρες.*) Aratus ſic de hoc ſigno.

Εἰ δὲ μελαίνηται, τοὶ δ᾽ αὐτίκ᾽ ἐοικότες ὦσιν
Ἀστέρες ἀμφότεροι, περὶ. ὕδατι σημαίνοιεν. id eſt
Si autem nigreſcat; rurſus verò eodem colore exiſtant
Stellę ambæ,de pluuia ſanè ſignum dare ſolent.

Ptolemęus tamen non ſolum Præſepe, ſed reliquas nebulo-
» ſas obſeruandas eſſe his verbis admonet. Quin etiam nebu-
» loſi giri, qui dicuntur, vt in Præſepi & alibi propriè, ſi ſe-
» reno cęlo, aut exiles ſint, viſumq; effugiant, aut perdenſi
» eſſe videantur, aquarum lapſum, puri verò ac vibrantes,
» flatus vehementes portendunt. Quem locum Cardanus explicans com. 69. quo modo borealis Aſinus vel auſtralis, & reliqua ſimilia ſidera, ſi non videantur ventum ex illa parte poſsint nunciare, pluribus oſtendit, quæ nos breuitatis

gra-

gratia prætermus, satis esse existimantes locum indicasse: in eo tamen à Cardano toto cœlo dissentimus, quod ventus eliso vapore à regione frigida versus nos fieri velit. quandoquidem neq; ventus ex vapore constat, sed exhalatione vt 2. Meteoron docuit Aristoteles, neq; elisa ipsa à frigida aëris regione gignitur, vt pluribus rationibus in opusculo huic quæstioni dicato planum fecimus. vnde plus fortasse, quàm Cardanus conceperit, dixit Aristoteles quando id asseruit. licet ipse com. 55. literis mandauerit, Aristotelem alioqui maximum naturæ indagatorem nil aliud proferre ausum fuisse, quàm quod ventus sit exhalatio calida & sicca, quod planè an verum sit meritò quemq; dubitare posse. sed vt ad nostra reuertamur, Theophrastus, vt visum est, solum nigrorem considerat, & in Præsepe tantũ; quod verò obtutum effugiens aliquid significet, nullum facit verbum, sicuti neq; de Asellis Præsepe obsidentibus. Erat autem Præsepe Theophrasti ætate in partibus 5. scrup. ferè 40. Cancri. Ptolemæi verò tempore, in part. 10. scrup. 20. eiusdem signi. nostro autem seculo in part. 1. scrup. 35. Leonis: ac Theophrastus quidē tria signa ex Præsepe capit. vnũ hic pluuiarũ, si obscurũ atrũq; fiat, secundũ tempestatis si concrescat; tertiũ serenitatis, si purũ & splendidũ appareat. Ptolemæus tamen si purũ sit Præsepe & corruscans ita vt tremere maximè videatur ingentes véros superioribus verbis minari scripsit. Demũ & illud prætererire nolo, cũ contextus habeat, οὐ φλέγῃ καλουμένη, negatiuã particulã οὐ, delendã esse. 70. ἐὰν μὴ ἐπὶ κυνὶ ὕσῃ.) Locus hic maximè animaduertendus est: cum enim tria tempora notentur; exortus Canis, exortus Arcturi, & Aequinoctium autumnale: primo elicimus in his articulis fieri mutationes temporũ Veteres obseruasse; atq; has quidem mutationes potissimũ ad imbres fuisse. Secundo elicimus ab Arcturo ad Aequinoctium notabilem quandam temporis intercapedinem eos agnouisse, cum dicat Theophrastus, si imbres circa Arcturum non fuerint, eos circa Aequinoctium expectandos esse: quod quidem eò magis me mouet, cum supputando inuenerim, vt in Apologia constat, Hippocratis ac Theophrasti ætate Arcturi

exor-

exortum non amplius quàm dierum quatuor, aut quinq; spatio Aequinoctium illud antecessisse: vt mirum omnino videatur aliquam Veteres illos vim aëris commutandi Arcturo fuisse impertitos; cum mutatio omnis, quę exortu illius contingebat, commodè Aequinoctio notare posset, atq; huic puncto tribuenda videretur. nisi dicamus eruditissimam illam ætatem Arcturi exortum obseruasse, ac de illo ea ratione mentionem fecisse, quatenus diurnas tantum affert mutationes, ortum faciens, vel occasum, quemadmodum & sydera reliqua inerrantia: quamobrem etsi esset Aequinoctio proximus illius aspectus non debuerat propterea prætermitti: præsertim cum sydera si nobiliora fuerint, ac magis illustria, mutationem, quam afferunt, pluribus diebus perdurare posse portendant. de qua re Cardanus sic com. 64. in 2. librum Ptolemæi. Si verò sit vna stella tantum illustris puta Arcturus, vel Canicula, tunc ortus fit in vna die, sed effectus durat pluribus diebus: adeo vt Caniculæ ortus duret triginta diebus, & secundum aliquos quadraginta. Arcturi verò octo, vel decem. Occasus verò contingit in vna die, & effectus etiam finitur eadem die. hæc ille. cæterū Arcturum insignem afferre mutationem Veterum temporibus solitum fuisse satis monstrat Aratus carmine illo grauem eum appellans

Ἐφράσατ' ἢ δεινοῦ μεμνημένος Ἀρκτούροιο. id est

Animaduertit, vel vehementis memor Arcturi;

quo loco Theon in Commentarijs ob magnum splendorem, sed potissimum quia sit hyemale sydus δεινὸν fuisse dictum notat: ad cuius imitationem Horatius lib. 3. Carminum Ode prima.

Nec sæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi.

Plautus in Rudente.

Arcturus signum sum, omnium quàm acerrimum:
Vehemens cum exoriens; cum occido vehementior,

vt non immerito Virgilius doctissimus primo Georgicon elegantissimè dixerit.

Præterea tam sunt Arcturi sydera nobis, & c.

Verum

Verum, vt ad nostra redeamus, cũ tres commemoret mutationes autor, tribus punctis annotatas; videlicet pluuias circa Canem; pluuias circa Arcturum: circa Aequinoctium pluuias aut ventum: quare exortu Canis pluuię gignerentur, in Apologia iam diximus. oriebantur enim Austri per id tẽporis, quorũ propriũ est pluuias afferre. circa Arcturũ, tũ ratione aspectus tũ ratione propinquitatis ad Aequinoctiũ mutationẽ tẽporis fieri oportebat: ac eã quidẽ ad pluuias, quia præcedens tempus siccum, & pluuiarum expers sua natura cum sit, in pluuias necessario mutatio fieri debet; quoniam omnis mutatio in contrarium efficitur. de Aequinoctio eadem ratio est; circa quod, ventum timendum esse, non imbres tantum, addit Theophrastus propter Africum, qui circa autumnale Aequinoctium excitari potissimum solet, & spirans pluuias vt plurimum gignit, quemadmodum Aristoteles prob. 25. sect. 26. docet. Demum notandum est, hęc potius ad plurium dierum, quàm ad vnius statum pertinere, cum mutatio, præsertim circa Aequinoctium facta, pluribus diebus, immo toto autumno possit perdurare.

71 τὸ περὶ τὰς μυίας.) Muscæ, vt docet Aristoteles cap. 7. 4. de Historia Animalium non in aluo aculeũ habent, sed linguam eiusmodi veluti arma gerunt, qua pertingentes mordent, & cruorem mouent. Cum ergo insitum sit à natura animalibus, vt imminente tempestate & pluuijs, magis ad pastum festinent, & plus quàm solent, comedant, voracioraq; sint, parant enim se quasi monente natura, vt in Opusculo de signis tempestatum perbelle tangit Theophrastus; cuius rei causa esse potest, quoniam, infrigidato iam aere, calor eorum naturalis coaceruatur sitq; potentior, vnde maiorem in illis appetitum excitat; cum inquam hęc ita sint, Muscæ alteratione aëris permotæ ad pastum festinant, ac auidiores factę, vehementius mordent, nosq; infestant.

72 σπίνος φθεγγόμενος ἕωθεν.) Si enim Passer mane canat, constitutionem primà luce parari monstrat, iamq; vigere: vnde meritò non solum pluuiam, sed etiam tempestatem potest nunciare; à validiori enim constitutione maiorem afferri mutationem necesse est. Contraria de causa vespertino

cantu imbres tantum portendet; imbecillior enim cōstitutio minorem iniuriam affert. De nubibus verò montes occupantibus ac locis eminentibus superius diximus: lego; in signo 74. pro νεφελῶν, νεφέλη, & pro μετρίων, emendo τρίων.

76 ἐὰν ὕδατα πολλά.) Maxima animaduersione digna sunt, quæ hic narrantur; quandoquidem ex ijs, quæ Theophrastus impresentia, ac in sequétibus opusculis de temporum statu generali dicit, ars mira diuini senis Hippocratis elucet, qua in condendis aphorismis tertij secti vsus est, in quibus temporum status & mutationes explicauit: cur.n. sic scripserit, exempli gratia, aphorismo duodecimo. Si au-
strális hyems & pluuiosa fuerit, ver siccum & aquilonium & c. satis hinc patet: nam cum æquinoctijs & solstitijs; ortuq; & occasu Virgiliarum fieri debeant mutationes, quia sunt dichotomiæ, vt abundè superius monstratum est, iurè Hippocrates, cum posuisset hyemem pluuiam, & austrinam, ver siccum addit, & aquilonium; enimuerò si hyems pluuia fuerit, ver vt plurimum siccum erit, veluti monet hoc in loco diuinè Theophrastus: & ratio est, quoniam circa æquinoctium mutatio fieri debet, omnis verò mutatio in contrarium efficitur, quamobrem & ver siccum esse par est, & sinè pluuijs: vnde meritò sequenti signo subdit Theophrastus, si è contra hyems fuerit sicca, ver pluuiosum esse expectandum: atq; hinc habemus, statum vnius temporis, statum sequentis indicare, vt hac de causa inter signa fuerint huiusmodi hæc à Theophrasto enumerata: si enim videas pluuiam hyemem, ver siccum expectabis, & è contra: ac de reliquis anni temporibus idem iudicium. quæ tamen omnia vt plurimum locum habere in natura censendum est, & cum minores in aëre fiunt mutationes; cum alioqui non solum duo tempora, sed annus totus, vel pluuiosus, vel siccus; vel calidus, vel frigidus; vel austrinus, vel aquilonius præter modum esse possit. atq; hinc etiam patet (quod alibi fusius à nobis monstratū est) quare temporū alterationes, ab Hippocrate in tertio Aphorismorū secto enarratę, minores quædam, vt minus à natura recedentes, mutatio-

 nes

nes debeant appellari: naturale nanq; est vt hyemem (exempli gratia) siccam ver pluuium sequatur & è contra.

78 ὅταν χιόνες.) Intelligas si suo tempore multæ niues decidãt: quod quidẽ terrę potissimũ mirabiliter prodest, vt Theophrastus in libris de Plantarum causis notatum reliquit. Calor enim plantarum coacervatus ad radices mirè postea facit germinare, & paulatim liquescente niue aquam vberiorem radices capiunt. Item non possunt non esse corporibus humanis salubria frigora suis temporibus; qualia niues producere solent.

79 φασὶ δέ τινες.) Theophrastus magis de aliorum sententia, quàm de sua signum hoc & sequens ponit: fortasse quoniam videbatur illi, minus ea congruere cum ratione, & experientia. Sententia igitur est, cum astra colore quasi grandinem repræsentent, id est albicare videantur, grandinem esse pertimendam: color nanq; ille materiam grandini gignendæ idoneam parari fortasse indicat: atq; rerum meteorologicarum colores plerunq; effectuum ostendere qualitatem testis est Ptolemæus 2. de Iudicijs Astrorum locupletissimus; qui deliquiorum, & cometarum colores monet diligentissimè esse obseruandos. Seneca lib. 4. Natural. quest: cap. 6. recenset fuisse nonnullos futuræ grandinis speculatores, χαλαζοφύλακας, græcè dictos, qui ex colore nubium venturam grandinem prædicebant, quos plurimum ridet.

80 ἐὰν δὲ ὥσπερ κέγχροι.) Si in astris appareant multa tanquam milij grana exigua splendida; id firmissimum argumentũ est, aut dominari fumidam exhalationem, aut saltem in aëre non exiguam adesse illius copiam: dictum nanq; superius est exhalationem fumidam ad splendorem sua natura declinare; at cum superat sicca exhalatio serenitas expectanda est; quòd si ventus preterea vigeat, qui aërem discutit & concretiones aut prohibet, aut dispergit, spes certior adest serenitatis; si verò non flauerit ventus, ipse quidẽ expectandus est; quòd si non aduenerit, imbres meritò sunt timendi. signum nanq; est vinci siccam exhalationẽ à vapore: sed & hic animaduertere oportet Theophrastum

εὐδίαν

εὐδίαν cum vento coniungere, & pluuijs opponere, ita vt flante etiam vento possit esse εὐδία; quo modo nil amplius dicit hæc vox, quàm serenitatem, & nubium carentiam.

81 ἔστι δὲ ἄμεινον.) Aquiloniam constitutionem longè esse cæteris omnibus salubriorem, sed austrina potissimum, & quam ob causam, satis aphorismo quinto, & decimoseptimo tertij secti ab Hippocrate & Galeno ostensum est; à nobisq; abundè 2. lib. de Hippocratica anni ratione: idq; experimur nos quotidie. vnde & imbres aquilonij ob id erunt plantis & animalibus commodiores; cum enim salsa sit aqua austrina, quia plurimũ fumidæ exhalationis admixtum habet, vt 2. Meteoron docet Aristoteles, meritò plantis & animalibus aduersa est; dulcia enim naturæ amica, & dulcem esse aquam, vt salubris sit, oportet, quemadmodũ hic scitè admonet Theophrastus; quod ante illum diuinus Hippocrates libello de aëre, aquis, & locis memoria prodidit, scribens optimas aquas dulces esse.

82 καὶ ὅταν ὀχέωσι.) Signum hoc pertinet non ad diei vnius statum, sed ad totam hyemem; ac simpliciter quidem sumptum falsum est, vt videatur aliquid è contextu deesse. oues enim si maturent venerem, vt signo 21. libelli de signis tempestatum dicitur, maturam etiam hyemem ostendunt; & si remorentur, tardę ac lenis hyemis indicium afferunt. quamobrem verba vt sunt in græco exemplari, nimirum oues & capras, cum coeunt, longę hyemis indicinm dare, plurimum à veritate aberrabunt. Itaq; suspicor ego signũ illud hoc in loco explicari, quod sic tetigit Aratus.

Θήλειαι δὲ σύες. θήλειαι δὲ μῆλα, καὶ αἶγες,
Ὁππότ' ἀνασγραφέωσιν ὀχῆς. τὰ δὲ γ' ἄρ' ἔενα πάντα
Δεξάμεναι πάλιν αὖτις ἀναβλήδην ὀχέωνται
Αὔτως καὶ σφήκεσσι μέγαν χειμῶνα λέγοιεν, id est.
Fæminæ item sues, fæminæq; oues, & capræ
Cum redeant à pastu, maribus omnibus
Admissis, rursus mutuo coëunt:
Ex hoc & vespis multam hyemem prædicere solent.

Ex his enim perspicuum est aduerbium πάλιν deesse è contextu; & quod μακροῦ χειμῶνος, dixit Theophrastus; dixisse Ara-

se Aratum μέγαν χειμῶνα, vt consensio hęc non leue sit argumentum, ambo hæc loca eandem sententiã continere. Hoc
» igitur modo verba Theophrasti accipiens ego, sic proptе-
» rea illa interpretatus sum; cum oues, vel capræ rursus coë-
» ant & c. Et causa profectò in promptu est: oues enim, & capræ mirificè commouentur ab aëris alteratione; vnde cum excitantur ad coitũ ocyus quàm soleant, iam frigidam qualitatem dominari in aëre ostendunt, licet nobis ignotam & insensibilem; quæ calorem illarũ introrsum pellens, ad coitum mouet illas, ac robustiores reddit: nam & hoc est quod subobscure problemate 46. sectione decima docet Aristoteles, quærens cur animalium alia semel coëunt, alia sępe; idq; totum propter pabulũ, calorem, & laborem prouenire docens; vnde & oues in Magnesia & Aphrica bis parere scribit. enimuerò, cum neq; fortasse pabulum multoq; minus labor, quod ad hanc rem pertinet, possit accidentis huius esse causa, relinquitur, vt calor internus sit, qui oues ad coitum excitet; eadem nanq; causa est, quæ facit vt coitum maturent, & vt bis coeant; cum enim circa autumni finem ferè marem soleant admittere, si maturant, id interdum faciunt, quia frigus iã ambiẽtis aëris sentientes coaceruato calore interno ad venerem excitantur, ex quo & hyemes & frigora indicant: frigida enim aëris qualitas, & aquilonius flatus maximè ouibus ad coitum conducit, vt cap. 19. sexti de Animalium Historia tradit Aristoteles. quamobrem non solum venti huius flatũ pastores obseruant, sed & pabulũ & aquas ad aquilonem sitas; nec alia quidem de causa, vt reor nisi quia aquilonia tempestas insitum earũ calorem reddit efficaciorẽ, vt propterea & semẽ perfectius & abũdãtius habeant. hinc citato loco notat philosophus, quę oues aquam salsiũsculam bibunt, maturius coire. calidiores enim eas reddit aquæ illæ potus, ex quo & coitum accelerant; habet enim aqua salsa nescio quid caloris & siccitatis, vt ex problemate 39. sectionis 23. & ex prob. 29. sectionis 20. elicimus. quod enim salsius est, calidius est, vt ibi docet Aristoteles. Meritò igitur oues si coitum maturent, aut rursus coeant, ostendunt multò antea quàm soleat, qualitates

hyemem

hyemem constituentes, id est frigoris semina in aëre dominari, licet occultè; vt iurè dixerit Theophrastus signum hoc longę, Aratus magnæ hyemis esse argumentum.

FINIS.

ANNOTATIONES IN OPVSCVLVM De Ventorum signis.

ευμπτίας κἂν μὴ ἀποςίλβῃ.) Dictum est superius annotatione 7. opusculi pręcedentis, exhalarionem, cum in aëre abundat, posse etiam radios solis ręddere hebetiores, & calorem augere: vnde nil mirum si sol in ortu feruens ventos nunciat: inquit autem Theophrastus μὴ ἀποςίλβῃ, quoniã color corruscans, ςίλβων dictus, vt annotatione prima in opusculo de Pluuiarum signis dicebamus, est solis proprius, & ei cõgruit cum purus omnino exoritur: quamobrem si non corruscat, signum est ab exhalarionibus impediri, ac proinde ventum minatur: si enim vapores essent, qui obstarent, non solum non corruscans, sed omnino ater appareret.

2 καὶ ἐὰν κοῖλος.) Si quis memoria repetat, quare in hiatu profunditas appareat secundum Aristotelem, is certè statim causam assequetur, cur sol concauus in exortu cerni posit. tradit primò Meteoron cap. 6. Aristoteles, cũ splendidum corpus, quale exhalatio accensa est, à nigra aliqua concretione & cęrulea circundatur, tunc hiatus cuiusdam, & foucæ reddi in aëre imaginem & apparentiam, illius exhalationis accensę lumine per atrum & cæruleũ interrupto:

vnde

vnde miror, quo modo Portius in Commentariis super libellum de coloribus, voraginis causam ex Aristotele adducens, dicere potuerit, quando alba nubes atram & densam circumstat, voraginem fieri; cum alioqui albam id est splendidam atra circunstante, hæc in aëre reddatur apparentia. vapores igitur & exhalationes solem in ortu circundantes, eum concauum reddunt, vt iure imbres, aut venti sint expectandi. Aratus.

Ἀλλ᾽οὐχ ὁππότε κοῖλος ἐειδόμενος περιτέλλοι, id est.

At non quando cauus apparens exoriatur.

quod signum pluuiam, aut ventum portendere dicit: atq; egregiè Theon causam huius apparentiæ reddens in commentarijs, in obscuritatem & nigredinem circunstantis aëris eam refert. Virgilius videtur elegantissimè & signum hoc & causam ipsam expressisse his carminibus.

Ille vbi nascentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem; medioq; refugerit orbe
Suspecti tibi sint imbres: nanq; vrget ab alto
Arboribusq; satisq; Notus, pecoriq; sinister.

nam sol ideo concauus apparet, quia est in nube conditus; quamobrem cum medio orbe ob id refugiat, concaui reddit apparentiam. imbres autem & Austros portendi hoc signo censet Virgilius, sed Austros præsertim, quoniam sol emergens orientales, & austrinos flatus excitat vt tex. 62. libelli de Ventis admonemur: ac splendor ille circa solem apparens non exiguum exhalationis fumidæ in concretione contineri monstrat; vnde & ventus Auster expectandus est, ac pluuiæ huius flatus asseclæ: quem profectò Austrum ab alto perbellè dicit vrgere, quoniam principium motus in vento, vt toties diximus ab alto est & desuper, ac deorsum obliquè tendit; proinde dixit diuinus poeta.

Quo signo caderent Austri, & c.

quem locū Seruius, & reliqui Interpretes perperam explicantes, arbitrantur Virgilium de Austri cessatione sermonem habere; cum alioqui nullum signum, quando venti desinant, sed tantum quando surgant, in sequentibus habeatur: verum pulchrè cadere Austros poeta dicit, id est ab al-

to vigere, vt hoc in loco inquit, propterea quod de supero loco venti motũ nacti, quasi deorsum cadere videantur: ex quo & meritò in sacris literis legimus dedisse Deum Ventis pondus, (de qua re nos plura in disputatione nostra de causis motus ventorum;) Aratũmq; vt reor imitatus est Virgilius, qui surgentem ventum cadere dixit versiculo illo.

ὑδάτος ἢ ἀνέμοιο κατεισομένου λελαθέσθαι. id est.

Aquæ aut venti deorsum cadentis obliuiscere.

,, Plinius de hoc signo sic. Concauus oriens pluuias prædi-
,, cit: qui, vt patet pluuiarum tantum, non venti esse voluit argumentum.

3 καὶ ἐὰν ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας.) Dictum est supra æstũ hunc à calidæ exhalationis copia in aëre existentis prouenire: si ergo æstus pluribus diebus duret, meritò flatus & squalores promittit; quoniam ingentem esse in aëre copiam harũ exhalationum monstrat; vt enim capite 8. primi Meteoron. docet Aristoteles, cum exhalatio redundat, flatus plures & siccitates, squaloresq; fieri solent.

4 ἐὰν αἱ ἀκτῖνες.) Signum hoc ita ad uerbũ ferè expressit Aratus.

Οὐδ' ὁπότ' ἀκτίνων αἱ μὲν νότον αἱ δὲ βορῆα
Σχιζόμεναι βάλλωσι, τὰ δ' αὖ περὶ μέσσα φαείνῃ.
Ἀλλά που ἢ ὑετοῖο διέρχεται ἢ ἀνέμοιο. id est.
Neq: quando ex radijs quidam Austrũ quidam Boream
Scissi tangant, media autem lucida sint:
Sed tum vel pluuiam ostendit, vel ventum.

,, ad cuius imitationem Plinius; Si in exortu spargentur par-
,, tim ad austrum, partim ad aquilonem, pura circa eum sere-
,, nitas sit licet, pluuiam tamen ventosq; significabunt. Quorum autoritate locum hunc corupptum restitui: cum enim habeant exemplaria omnia κατ' ὄρθριον; legendum est, vt ex Arato & Plinio constat καθάρου. lucidam enim & puram serenitatem circa solem ipsum supponit hoc signum. Verum spargi radios & scindi non posse, nisi exhalationibus & vaporibus circa solem existentibus, satis est notum; qua de re iusta de causa & imbres & venti expectandi sunt.

6 τὰ δ' ἐρυθρὰ πνεύματος.) Rubicunda & ignea signa ventos

tos nunciare superius etiam in opusculo de aquarum signis annotatione prima & 8. dictum est, quo loco habetur igneam lunam flatus promittere, quod & paulo infra num. 12. confirmatur: vt mirum omnino alicui videri posit, Mizaldum in suis Ephemeridibus, nubes rubicundas vespere solem comitantes, serenitatis, non venti prænuncias esse, aduersus maximorum hominum testimonia ac rationem ipsam protulisse: quanquam & Plinium ipse patronum habet, qui si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ diei spondere notatum reliquit. sed flatuum rubedinem esse indicium, non Theophrasto tantum, sed reliquis etiam autoribus vt Arato, Virgilio, & ipsomet Plinio, Ptolemeo est receptissimum. enimuerò Aratus sic cæcinit de sole & nubibus.

Εἴ τί που ἢ καὶ ἔρευθος ἐπιτρέχει, οἷάτε πολλὰ
Ελκομένων νεφέων ἐρυθραίνεται ἄλλοθεν ἄλλα
Ηεἲ που μελανεῖ, καί σοι τὰ μὲν ὕδατος ἔσω
Σήματα μέλλοντος, τὰ δ᾽ ἐρευθέα πάντ᾽ ἀνέμοιο. id est.
Si quando vel rubor incidit, vt sæpè
Attractis nubibus rubescit alicunde aliter,
Aut si quando nigrescet: & tibi hęc quidē pluuię sunt
Signa futuræ, rubea verò omnia venti.

De luna paulò supra.

Πάντα δ᾽ ἐρευθομένη δοκέειν ἀνέμοιο κελεύθους. id est.
Omnino verò rubens conijcito venti meatus:

Virgilius de luna.

At si virgineum suffuderit ore ruborem
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.

» Plinius de luna: Si quartà orbis rutilus cingit ventos & imbres præmonebit: & paulo post: si Plenilunio per dimidium pura erit, dies serenos significabit, si rutila ventos; nigrescens imbres. Ptolemæus de vtroq; lumine & nubibus vt ego interpretor lib. 2. cap. 13. purus igitur sol & tenebrarum nubiumq; expers, non varius, si oriatur & occidat serenitatem præmonet: circulum autem varium habens vel subrubeum, aut radios rutilos effundens siue extra siue in se ipsum reflexos, vel nubes, quæ parelij dicuntur ex vno

latere

„ latere habens, aut rubras nubium figuras, & radios circum
„ sese in longum tendentes, vehementes flatus significat, pro
„ ijs angulis quos respexerint visa illa: & paulo post, luna te-
„ nuis & rubra, totumq; orbem conspicuum habens & tremu-
„ lum etiam quà parte non illustratur vẽtos maximè declina-
„ tionis suæ ciet. Sed quorsum hæc? sanè vt euangelicæ orationis veram sententiam eliciamus Matth. 16. vbi cum scriptum sit vespertinam cœli rubedinem serenitatem premonstrare, nequaquam ventum, non iniuria quis dubitare posset, quo modo id sit intelligendum: quandoquidem Creatorem omnium, & cuius nutu reguntur cuncta, cuius ordinatione perseuerat dies, vt regius Propheta cecinit, & omnia quæ sunt, ac ordinatio quidem rerum natura est, vt 3. cœli tex. 24. docuit Aristoteles, & cognouisse veritatem & dixisse in dubium vocari nequit; at vero igneum & rubeum colorem ventum prænunciare, superius & naturali ratione & grauissimorum virorum autoritate sancitum est, vt si εὐδίαν, (nam vox hæc respondet in græco exemplari serenitati) pro vt vẽto opponitur accipiamus, rubedo illa vespertina, nõ solũ non videatur potuisse εὐδίαν significare, id est venti silentium, sed contrariam omnino potius constitutionem, flatum videlicet. Primum igitur, vt scrupulos omnes euellamus, atq; obscurum alioqui locum hunc, postquam occasio fert pro virili enarremus, verba pensanda sunt, & cum ijs quæ Luc. 12. habentur comparanda, vt dominicæ orationis scopus innotescat; de cuius nexu maxima dubitatio est, qua videlicet ratione Phariseis signum adventus domini quærentibus de cœlo, serenitatis ventorum ac tempestatum signa illis offerantur. secundo, signa, quorũ Dominus meminit, explicanda sunt, & in suas naturales causas referenda. tertio ac postremo, quare posita sint inuestigandum: his enim explicatis nullus fortasse amplius relinquetur dubitandi locus. Quod pertinet ad primum caput, dico, Phariseos, ac Iudeos legis interpretes, non vulgares homines, signum è cœlo petijsse duplici fortasse de causa: tum quia plura signa de cœlo dederat antiquis Patribus Dominus, quemadmodum ex ijs, quæ Elias, Samuel, Iosuè, Esaias, &

 Moy-

Moyses operati sunt, satis constat, tum quia, cum fortasse legissent Geneseos primo, Dixit autē Deus fiant luminaria
" in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in si-
" gna, & tempora & c. Et quod magis est, Esaiæ 45. Rorate
" cœli desuper & nubes pluant iustum & similia: sensum verò
" literalem perpetuò sectarentur, qui simpliciter quidē sumptus, occidere solet; in ingenti illo versabantur errore, vt crederent, signa de cœlo expectanda esse; quæ de Messiæ aduentu eos redderent certiores: Dominus itaq; petenti-
" bus illis de cœlo signum, respondet. Facto vespere & c. quæ verba si legamus sine interrogatione, vt Nicolao Lirano placuit, non incongruè dici poterit Pharisæorum ignorationem & malitiam Dominum redarguere, simulq; eos cōmonefacere voluisse, ne de cœlo eorum signa peterent, quę nullatenus à cœlo pendent: rerum enim naturalium signa, vt aëris status, & petenda sunt, & diligenter in cœlo obser-
" uāda. atq; hoc est quod Dominus inquit, facto vespere & c. at eorum, quæ Pater posuit in sua potestate tantum, & quorum nulla est causa naturalis, fatuum simul ac impium est signa è cœlo sciscitari: nam & propterea dicebat alibi
" Dominus, non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ
" Pater posuit in sua potestate; id est in sua tantum potestate, vt nullam habeant naturalem causam, quemadmodum restitutio regni Israel erat, de qua illum discipuli interrogabāt. proinde subdit hic, signa autem horum temporū, nimirum vtriusq; aduentus mei non potestis, è cœlo videlicet, indicare. Neq; Burgensis oppositio, Liranam vt reor, infirmat enarrationem; licet Iansenio Viro doctissimo aliter omnino videatur; quanquam enim Pharisei peterent signum de cœlo supranaturale aduentus Domini, nihilominus, quæ de signis tempestatis & serenitatis dicuntur mirificè recepta Lyræ interpretatione, cōgruunt; nam docentur his Pharisei, nulla esse signa dominici aduentus siue supranaturalia, siue naturalia è cęlo postulanda: item si quęrenda vlla sunt signa, rerum tantum naturalium, ac futurarum aëris mutationum esse petenda, quarum cęlum causa esse potest; prӕterquam quòd & naturale signum potest rei supranaturalis esse argu-

men-

mentum, vt temporibus Noę cælestis arcus. duo enim sunt
quæ Dñs reprehendit in Phariseis, si euangelica verba rectè
ponderemus; primum quòd peterent signa, vnde scriptum
,, est; generatio mala, & adultera, signum quęrit; accedentę
.n. ad Deum oportet credere, nec signa postulare; nam amit-
tit fides meritum, vbi humana ratio quærit experimentum:
secundum quòd è cœlo ea peterent, tanquam è loco alieno;
quod vt ostenderet Dominus, rerum naturalium exemplò
vsus est: docens huiusmodi talium signa è cœlo esse expec-
tanda, nequaquam sui aduentus, cuius signa nec possunt sine
crimine, nec debent è cœlo quæri. sunt hæc apud Prophe-
tas & scripturas sacras piè inuestiganda; vnde scriptum est
,, scrutamini scripturas: & alibi tarditatem suorum disci-
pulorum increpabat Dominus verbis illis, ò stulti & tardi
,, corde ad credendum & c. nam & ibi congruēter signa quę-
runtur dominici aduentus, vbi fidei lumen, ea ostendit.
Quòd si legamus euangelica verba cum interrogatione, ni-
hilominus dicta enarratio mirificè quadrat; inquit enim
,, Dominus, faciem ergo cęli dijudicare nostis, signa autem
temporum non potestis? quasi diceret, signa è cœlo quæri-
tis, at vos qui faciem cęli nostis iudicare, cur ergo horum
temporum signa è cęlo noscere non potestis? nimirùm
quia de cęlo quæritis ea, quæ nullatenus de eo venire pos-
sunt; generatio igitur praua & adultera, quę & signa quę-
rit, & inde quærit, vnde non sunt quærenda. atq; hoc lo-
co notandū est Chrysostomi & Theophilacti subtilissimam
illā interpretationē, mirum in modum dominicis verbis esse
cōsentaneā, quòd scilicet de vtroq; aduētu Dominus intel-
,, lexerit, dicens signa temporum: non temporis: nam & pro-
pterea duo signa naturalia posita nos esse credimus, quę v-
troq; aduentui optimè proportione respondent, vt inferius
demonstrabimus. Verum hactenus de huius loci explicatio-
ne; superest nunc, vt eū cum alio conferamus, qui apud bea-
tum Lucam inuenitur cap. 12. Dicit igitur ibi sic conuersus
,, ad Turbas Dominus: Cum videritis nubem orientem ab oc-
,, casu statim dicitis nimbus venit: Et cum Austrum flantem
,, dicitis, quia æstus erit, & fit: Hippocritę & c. antea enim

locutus erat plurima discipulis præsertim de suo aduentu,ac de ijs,quæ venerat erudire;quæ omnia rationi consentaneû est Turbas quoq; audiuisse: vnde Petrus dixerat paulo su-
„ pra. Domine ad nos dicis hanc parabolã, an ad omnes? pro-
„ inde inquit Euangelista; dicebat autem ad Turbas & c. prædicationanq; prior præcipuè discipulos respexit, posterior verò hęc Turbas tantum;quo loco turbarum nomine Phariseos etiã oportet intelligere. verum qua ratione post prędicationem illam,Domino eiusmodi cum Turbis oratio esset,non est facile videre;neq; enim sine magna causa repetit apud Lucã Dominus ea,quæ iã dixerat Phariseis apud Matthęum; enimuerò non vna eademq; res narratur à duobus Euangelistis, vt omnes consentiunt, sed diuersæ. Quæ igitur Christus iam pridem Phariseis signum de cœlo petentibus responderat, in causa sunt,nisi fallor,vt eadem hæc à capite arceßat; dixerat eis signa aduentus sui de cœlo petenda non esse,sed tantum rerum naturalium: nunc eosdem arguit, quòd, si vbi petenda sunt, signa illius quærerent, ea citius cognoscerent ac facilius, quàm ex cœli facie futuras mutationes: alioqui hoc etiam nomine reprehendendos, quòd maiorem in temporum mutationibus dignoscendis adhiberent diligentiam, quàm in his quæ pertinent ad salutem: vnde sic eos Dominus arguit. Locutus sum plura de meo aduentu, cuius vt signum de cœlo darem, vos modo quærebatis; at ego respondi vobis,nec quærenda esse signa, nec petenda è cœlo, de quo quidem si futuras aëris mutationes diiudicare nostis,quo modo de scripturis ex vobisq; metipsis aduentus mei signa cognoscere non potestis? quasi diceret Dominus, non opus est confugere ad astra, satis enim ex vobis id noscere potestis, id est ex scripturarũ lec-
„ tione; nam & hoc est quod ipse subdit. Quid autem à vo-
„ bis ipsis non iudicatis quod iustum est? perinde ac diceret, hoc enim non à cœlo, sed à vobis ipsis, id est ex scripturis, & ex ijs, quæ ego quotidie operor, multo certius potestis addiscere, quàm ex cœli facie futuras mutationes prænunciare; naturales nãq; causæ nõ rarò fallunt, at voluntas Dei infallibiliter impletur. Sunt igitur hæc Domini verba ad prio-

priorum confirmationem, atq; ad magis magisq; Pharisæorum errorem detegendum, nostramq; vt reor, comprobant mirificè interpretationem: atq; hactenus de primo capite, nunc secundum aggrediamur, in quò de signorum veritate cognoscendum est, quæ Dominus affert; necesse enim fuit euangelicæ orationis scopum prius inuestigare, vt quę mox dicturi sumus facilius intelligantur. Inquit Dñs Matth. 16.
» vt à primo hoc signo ordiamur, facto vesperè dicitis εὐδία
» erit πυῤῥάζει enim cœlum, ita habet græcum exemplar;
» in vulgata æditione legitur; serenum erit, rubicundum est enim cœlum; ac optimè quidem verbum, πυῤῥάζει, rubedinem in cœlo significare dictum est; enimuerò idem τὸ πυῤῥῶδες, & τὸ ἐρυθρὸν valere iam annot. p. libelli de pluuiarũ signis mostrarũ est, satisq; cõstat ex nu. 8. & ex libello de signis vẽtorũ num. 12. at quomodo rubedo vel serenitatẽ simpliciter indicet, vel serenitatem tantum, id non leuem haber difficultatem, cum videatur hoc rarioni aduersari & obseruationibus; quandoquidem serenitatis potius indicium est, si credimus Aristoteli 3. Meteoron de corona sermonẽ habenti, cum eiusmodi concretiones emarcescunt, de qua re suo loco infra à nobis disputabitur; rubedinem verò ventum presagire superius & ratione & maximorum virorũ testimonijs est domonstratum. Albertus Magnus fortasse ad hæc animum intendens lib. 3. Mereoron tract. primo cap. 25. videtur asserere rubedinem quidem matutinam pluuias, vespertinam verò serenitatẽ indicare, conaturq; causam hanc
» tradere ita scribens. Alterum autem quare rubor in mane
» significat pluuiam: & in sero significat serenum: quia scili-
» cet in mane rubor est signum, quod sol vaporem eleuatum
» in inferiori hemisperio, trahit secum ad superius, & ibi ca-
» lore suo facit ascendere ad locum alrum frigidũ, vbi est ge-
» nerario pluuiarum. In sero autem rubor signum est, quod
» sol vaporem eleuatum in superiori hemisperio trahit secum
» ad inferius hemisperium, & emundat superius hemisperium
» & serenat ipsum à vaporibus ex quibus generantur pluuiæ, quanquam 3. Meteoron tract. 4. cap. 2. de causa colorum in nubibus agens, matutinã rubedinem alia ratione, nimirum

rum propter maximam vaporum humiditatem pluuias in-
„ dicare his verbis scripsit. Si autem nubes habeat in se hu-
„ midum fumosum admixtum aliquantulum terrestri adusto:
„ & recipit radios in se corporum superiorum, fiet rubea nu-
„ bes, quæ aliquando habet purpuream rubedinem, radijs in-
„ ferius venientibus ad humorē nubis in mane vel in sero: &
„ hoc significat pluuiam in eodem die futurā si fuerit in ma-
„ ne, quando vapor quem sol adducit significatur esse vehe-
„ menter humidus & iam præparatus ad conuersionem. Ve-
„ rum si Aristoteli, Theophrasto alijsq; supra allatis credimus autoribus ac rationi, Alberti opinio omnino est reicienda; nam primum rubedo nullatenus pluuiarum signum esse potest, nisi nigredo quoq; accedat, cum ob dictas alibi causas dominari exhalationem ostendat, non vaporem; vnde siue mane, siue vespere appareat, nequaquam pluuias demōstrabit. secundo, rubedo vespertina non cogit, vt credamus solem vna secum vaporem deferre; quandoquidem ostensum est in annotatione vltima super tex. 44. libelli de ventis ex Aristotelis ac Theophrasti sententia, occiduos flatus sole ad occasum accedente gigni per æstatem, quia sol labens ex inferiori hemisphaerio materiam attrahat; quamobrem poterit sol etiam cum occumbit, non solum ex nostro ad inferius hemisphaerium vapores secum ducere, sed etiam ex inferiori in nostrum trahere; proindeq; Aedipo opus erit, qui nos doceat, an rubedo illa vespertina ad nostra loca accedere vapores, aut illa deferere monstret: Nec magis tuta sunt quæ Granatensis locum hunc Matthei explicans adducit, in- „
quiens solem manè, & vesperè nubem illustrare, sed hoc ta- „
men discrimine, quia nubes mane illustrata incrassatur, & „
ideo luce consumpta tenebrescit, & in aquas dissoluitur; „
at contra nubes, quæ vesperi fulget, sensim absumitur, & „
ideo futuram serenitatem præmonstrat. videntur enim hæc esse voluntariè dicta, cum nulla appareat naturalis ratio, quare nubes manè debeat incrassari, vesperè verò emarcescere, quin potius ob noctis iam accedentis frigus, ob so- „
lisq; discessum contrarium dicendum videatur. Franciscus Valesius Vir eruditissimus cap. 85. sacræ philosophiæ locū

hunc

» hunc Matthei expendens ita scribit. huius quoq; si fieri
» potest reddenda hoc loco causa est, ea vero mihi esse vide-
» tur, quod nubes densæ tactæ sole obliquo, qualis est qui iā
» occidit, nigriciem præseferunt. Quæ ergo rubicundæ sunt,
» non sunt adeo opacæ, & densæ, sed penetrantur lumine,
» quapropter in diem posterum nullum indicant tempestatis
» apparatum; serenitatem ergo promittunt. Cum verò orien-
» te sole triste hinc inde & nubilosum se exhibet cœlum, ple-
» runq; solent ad primū orientis solis occursum dispergi nu-
» bes. Quæ tamen si densæ sunt, quales cum triste est cœlū,
» non dissipantur, sed excepti per eas radij solis videntur ru-
» tilare. Postremò verò, vesperi, cum sol, cum quo toto die
» sunt colluctata, languescit, concurrunt, densantur, fiuntq;
» imbres. Verum multa Valesius inquit, quæ non leuem habent difficultatem. Nam primum densitas simpliciter non est nigredinis causa; deinde non sufficit raritas ad nubium rubedinem generandā, quanquā si lumen penetrat, possunt nubes puniceæ & purpureæ apparere, vt sol & astra per fumum conspecta, quin etiā & debent; lumen.n. nigro admixtum puniceum gignit, quod imbres spondet nō serenitatē. quamobrem rubedinis causa erat Valesio assignanda. adhuc quæ de secundo signo addit, omnino nutant; cum matutina constitutio, quoniam valida est, nullatenus plerunq; ad primū orientis solis occursum dispergatur, sed è contra cō-crescat & imbrem non in sequentem noctem, sed mox inter-
» diù gignat, vnde dicit Dominus, hodie tempestas. præterea
» nullo modo possunt radij per densas nubes illas excepti rutilum cœlum reddere, id est rubicundum, cum nubes densæ obliquis radijs tactæ, quales sunt solis nuper oriētis, nigriciem, vel ipso teste præseferant. Dicimus igitur nos, vera vocis illius, ευδιαν, significatione intellecta, omnem tolli difficultatem, cum enim ἐυδιαν quædam sit in aëre, quam propriè Austri creant, vnde Aristoteles primo Meteoron
» cap. XI. ὁ μὲν γὰρ νοτος ἔυδιαν ποιει, id est Auster autem facit
» eudiam: certum est Dominum de eiusmodi eudia hoc loco intelligere; in qua sanè constitutione aër austri flatum perpetitur, cum serenitate coniunctum; quandoquidem rube-

do

do siue ad ortum conspecta siue ad occasum, non tantum generaliter ventũ significat, sed peculiarem quoq; ventum pro situs ratione, ad quem inclinat; nam & hoc est, quod monebat libello de pluuiarum signis Theophrastus, loca illa præsertim esse consideranda, in quibus signa obseruantur: atq; superius ostendimus ex Ptolemæo, ad quos angulos declinent hæ nubium figuræ, angulorum illorum ventos præmonstrare: neq; enim cœlum tantum, sed terra quoq; „ contuenda est; vnde Dominus Lucæ 12. Faciem terrę com- „ memorat inquiens Hyppocritæ faciem cœli & terræ, &c. atqui ipse Iudeis loquebatur ac Hyerusalem habitatoribus, apud quos potissimũ verum etiam est, vt Didacus rectè animaduertit, nubem de occasu surgentẽ pluuias minari, quãquam non Iudeis tantum id est proprium, vt idem sentire visus est, & post eum Valesius, sed omnibus commune, cum scilicet sol nubilus occumbit pluuias portendi, verum Iudeis potissimum: habet enim Palestina ab occasu Aegiptiacum pelagus & mediterraneum, præsertim æquinoctiali, & æstiuali, vnde atræ nubes ad illos cęli maximè angulos conspectæ, pluuiarum illis certa indicia erant; quemadmodum de Elia 3. Regum legimus cap. 18. qui locus infra n. 24. declaratus est diligenter: cęterum quoniam tota Africę continens Palestinæ ab occasu est brumali, exhalatio vero exterra ipsa maximè oritur idcirco vespertina rubedo & vẽtos & austrinos præsertim poterat regioni illę præmonstrare: merito igitur inquit Dominus, facto vespere, dicitis eudia erit, rubicundum est enim cœlum: spectantibus enim Iudeis ad occasum rubedinem, eudiam augurabantur, Austrum videlicet cum serenitate: est enim locis illis Auster serenus ob sui ortus propinquitatem, vt superius diximus. vulgata verò ęditio serenitatem tantum exprimit, sed intelligendũ est, illam Austri flatum cõiunctum habere; nam rubedo ventum primo ostendit; eamq; venti esse indicium Dominũ hoc loco voluisse, alterum signum ab eo allatum omnino cogit, nõ suadet tantum, vt fateamur; inquit enim & manè hodie tempestas, rutilat enim triste cęlum: atqui tempestas (χείμων dicta) tunc est, cum magnus ventus cum imbre in aëre

grassa-

grassatur; at pluuiam simpliciter, non cum rutilat cęlum, id est rubeum est, sed cum triste est, significat; habet enim græcum exemplar, στυγνάζων, quod in metaphorica significatione accipitur: quandoquidem tunc triste cęlum dicitur, cum non est serenum, sed obductum nubibus & arrũ; itaq; nigror & rubedo in exortiua parte, si manè appareant, tempestatem mõstrabunt, ventum scilicet & aquam; nigror quidem pluuias, rubedo autem ventum: nigra enim signa aquarum, rubicunda ventorum prænuncia sunt, vt hoc loco inquit Theophrastus: quamobrem iam clarum omnino est rubedinem flatus, monente etiam Domino, monstrare. non tamẽ alienum à ratione est serenitatem quoq; eam indicare, si tamen primo ventũ nunciare intelligamus; nam tunc pluit ex Aristotelis sententia, vt toties diximus, cum exhalatio superatur à vapore, tunc serenitas fit, cum è contra ipsa vaporem vincit. idcirco rubedo signum esse potest venti simul & serenitatis, quia in concretione illa exhalationem dominari monstrat: quo modo eudiam prout tantũ pluuijs opponitur non etiam vento accipiemus; quemadmodum in hoc Matthei loco sine vlla dubitatione sumi debet. Quod spectat ad reliqua duo signa Luc. 12. inquit Dominus de
» priori sic: Cum videritis nubem orientem ab occasu, & c.
» de posteriori verò sic; & cum Austrum flantem, dicitis quia
» æstus erit: ac rectè quidem omnia mirumq; in modum rationi consentanea; de nube enim ab occasu surgente ac solem ipsum vespere obsidente annot. 6. libelli de signis pluuiarum dictum est. nec Valesius scopum attingit cum affirmat signum hoc Iudeorum regioni esse propriũ, quia ad occasum mare habet; nam semper & vbiq; locorum nubes orienti, vel occumbenti soli occurentes, pluuiarum prænunciæ sunt, etiã si nullo mari regiones ad ortum, vel ad occasum alluantur; Austrum verò locis illis æstum adducere & squalorem, καύσων habet græcum exemplar, pariter est manifestum: vnde Plinius lib. 18. cap. 33. de Austro sermonẽ
» habens. Africæ quidem incendia cum serenitate affert. at squalor propriè est, cum calor ingens & serenitas in aëre vigent; quam autẽ ob causam Austri calidi sint & humidi, frigidi

gidi aquilones & sicci in annotationibus super libellum de Ventis abunde dictû est, & infra suo loco repetitû, explosaq; Valesij sententia est, qui in causis harum qualitatû tradendis, quas venti isti in aëre creant, non solum ab Aristotele, vt nos credimus, sed ab ipsa veritate plurimum aberrauit. Cæterum, his satis cognitis, quæ explicata sunt, nemo non videt (vt iam tertium caput aggrediamur) signû primum Matth. 16. explicatum, cum secundo, quod Lucæ 12. habetur, conuenire: vtrobiq; enim austrini flatus cum serenitate prænunciantur: Secundum signû Matth. 16. primo signo Lucæ 12. respondere, quibus pluuiæ & tempestates præsagiuntur. Quod si, vt Chrisostomo & Theophilacto placet, per signa temporum, vtriusq; aduentus signa oportet intelligere; iurè & meritò duo signorum genera à Domino ponuntur, quæ vtriusq; aduentus maximè gerent similitudinem: prior enim perbellè Austro ac serenitate & calore significatur, qui ob maximam Dei charitatem &
,, dilectionem factus est, dicente Apostolo, sic Deus dilexit
,, mundum & c. ac Auster quidem in sacris literis incarnationem Domini videtur significare, subindeq; aduentû pri-
,, mum; vnde legimus in Cantico Abacuc, Deus ab Austro ve-
,, niet, & sanctus de monte Pharam; quem locû explicans ma-
,, ximus vir Dionisius Carthusianus ita scribit. Deus ab austro
,, veniet; hoc ita exponit sanctus Hieronymus à meridiè à cla-
,, ro lumine, à filijs lucis veniet Deus, ad quem sponsa in can-
,, tic. ait vbi pascis, vbi cubas, in meridie: & paulo post, sed hac
,, expositione gratiosior mihi apparet quã Hieronymus asse-
,, rit se à quodã audisse Hebręo, qui dixit, quod Bethleem in
,, quo natus est Christus deus, sit sita ad austrum. Ideo in eo
,, quòd ait propheta, Deus ab austro veniet, designatur quod
,, in Bethleẽ nasceretur, & inde cõsurgeret Christus, & sanctus
,, de mõte Pharã, id est saluator, qui legẽ dedit in mõte Sinai,
,, iuxta quem Pharam est locus vicinus. Hęc ille, ex cuius ver-
,, bis satis patet, meridianã partem Deo dicatam esse in sacris literis, vt propterea scriptum sit de aquilonari, tanquam de
,, parte opposita, ab Aquilone pandetur omne malum; quę res nõ videtur fuisse ethnicis etiam autoribus incomperta; nam

Homerus

Homerus veterum gręcorum Theologus, qui, vt Bessarion Cardinalis lib. 3. cap. 7. in calumniatorem Platonis animaduertit, siue beneficio naturę, siue a Moyse propheta edoctus; Luciferi casum videtur Atis exemplo exposuisse; austrinam quoq; cęli plagam Deo dicatam esse, aquiloniã hominibus, quoniam bona omnia ex Deo, mala ex nobis ipsis prodeant, cecinit Odysseæ N. carminibus illis.

Δύω δὲ τέ οἱ θύραι εἰσὶν
αἱ μὲν πρὸς βορεαν καταιβαταὶ ἀνθρώποισιν
αἱ δ' αὖ πρὸς νότου εἰσὶ θεώτεραι, οὐδέ τι κείνῃ
ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός ἐστιν, id est.

Duæ autem ei ianuæ sunt,
Hæ quidem ad Boream permeabiles hominibus,
Illæ autem rursus ad Notum sunt diuiniores; neq; illac
Viri intrant, sed immortalium via est:

Quod verò commodè secundus aduentus tẽpestatibus procellis pluuijs & frigiditate prefiguretur, id satis est manifestum; nam charitas omnino tunc erit refrigerata, & omnia plena erroribus, ita vt etiam iusti ducantur in errorẽ si fieri potest, vt inquit Dominus. qui cum venerit in maiestate sua, & paulo ante, maxima fieri in cęlo, & in terra prodigia prędixit; vt meritò horroribus, tempestatibus, & procellis plena tunc esse omnia videantur. verum de his hactenus; satis enim erit, dominicæ orationis interpretatione, hanc, quam tractamus disciplinam, vt initio dicebamus, ornasse, sanctorum etiã ore laudatam: nam D. Hieronymus Matthei verba explicans, ita scripsit. „ Sensus autẽ manifestus est, quòd elementorũ ordine & consonantia possunt sereni & pluuij dies „ prænosci. atq; alterũ illud Ecclesię Dei lumẽ Basilius sanctũ „ Lucam exponens: Est autem notandũ quod necessarię sunt „ humanę vitę Syderum coniecturę, dummodo, quis vltra mẽ„ suram non perquirat eorũ iudicia; est enim nõ nulla de plu„ uijs futuris percipere, plura quoq; de æstibus & impetu „ ventorum, vel particularibus, vel vniuersalibus, vel violẽtis, „ vel lenibus. Quanta verò commoditas ex eorum coniectura „ vitę præstetur, quis nescit? interest enim nautę prognostica„ ri procellarum pericula, viatori mutationem aëris; colono

„fructuum copiam; Hæc maximi in Eclesia Dei Patres, vt proiectæ audaciæ esse videantur, qui disciplinam hanc tantorũ hominum autoritate firmatam, vel non recipere vel criminari audeant.

7 ἢν δὲ ὀμεῖς βορείου ὄντος.) Lunæ cornua, vt ex Arato elicio, aut obtusa esse possunt, aut prona, aut supina, aut recta; addere possumus ex Plinio etiam crassa. si fuerint obtusa pluuias aut Austros Arato significant: si non fuerint, Virgilio serenitatem: ob idq; legimus apud ipsum primo Georgicon.

Nam neq; tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radijs obnoxia surgere luna:

Si prona, vel vt Plinius mihi interpretari videtur, acuminata, quale eorum fuerit tale, aut aquilonium cornu, aut austrinũ, ventũ illum præsagit; si ambo, horum flatuum prælia & conflictus. Si fuerint resupinata, quale fuerit huiusmodi, contrarium ventum indicabit: nam superius & aquilonium ita se habens, Arato, Austros; inferius & austrinum Aquilones. demum cornua si recta appareant occiduos vẽtos decernunt: vt hic Theophrastus, Aratus in Phænomenis testificantur: cuius carmina talia sunt.

Εἰ δ' ἐκ' ἐπ' ἀμφοτέρον κεράων, τρίτον ἦμαρ ἄγουσα
Μήτε τι νευστάζοι μήθ' ὑπτιόωσα φαείνοι,
Ἀλλ' ὀρθαὶ ἑκάτερθε περὶ γνάμπτωσι κεραῖαι,
Ἑσπέριοι κ' ἄνεμοι κείνην μετὰ νύκτα φέροιντο. id est.
Sin autem in ambobus cornibus, tertium diem agens
Neq; nutet, neq; resupina luceat,
Sed recta vtrinq; inclinent cornua,
Occidentales venti illam post noctem agitarentur.

est tamen magna hac in re inter Aratum & Theophrastum differẽtia. Nam Theophrastus supponit, cũ lunę cornua directa cernuntur, Aquilonem dominari, & propterea subdit, fauonios solere ἐπιπνεῖν, vnde vult, vna cum Aquilone fauonij quoq; flatum excitari, verum de Aquilone nulla mentio est apud Aratum: item timendum esse addit Theophrastus, ne mensis totus hybernus sit videlicet frigidus, tanquã maxime frigidis ventis perflatus: quales sunt occidui, & septentrio-

ptentrionales: de qua re nec verbum quidem apud Aratum, qui noctem tãtum fauonijs agitatam expectandam esse monet. Plinius de mense toto hyemali diuersum signũ subijcit
„ ita scribens. Si ante quartam non apparuerit vento fauonio
„ flante hyemalis toto mense erit. Causa huius rei eadẽ afferri potest, quam Cardanus de Asello boreo, vel Austrino attulit; cum enim cornua, diuersam, quàm sua natura debeant, reddunt apparentiam, signum est circa illam aëris partẽ, quę cornibus respondet, exhalationem esse congregatam, quæ hanc efficit varietatem; nec quidquam officit, etiam si luna fuerit australis suę latitudinis ratione, quemadmodum nec Asini, licet quo ad declinationem, nõ solam nostri respectu, sed Aegyptiorum sint australes; vt citato loco acutè Cardanus ostendit: exhalatio nanq; adeo humilis est, vt boreale cornu lunæ, etsi luna declinet ad Austrum, significet partem eam, quæ nostro oculo obducitur, extendi ad boreã, atq; ita ab ea parte excitari ventum. Similis ratio est de austrino cornu: atq; ex eis, quemadmodum ex Asellis possunt hac via occidui etiam flatus prænunciari, de qua te Cardanum ipsũ quis consulere potest. Theon, Arati locum explicans, causam huius rei in aëtis qualitates diuersas refert atq; in eius expulsionem, quam venti faciunt, cum moueri incipiunt. cũ enim venti aëris magnam copiam quã ante se habeant surgentes pellant, quod etiam prob. 26. sect. 26. docuit Aristoteles, aërem hunc pulsum varias efficere in lunæ cornibus apparentias arbitratus est; quamobrẽ si flare incipiat fauonius, cornua ambo ad ortum prona reddi, scribit; si subsolanus, è contra resupinata, si Aquilo septentrionale cornu inflexum & curuum, si Auster australe. Item si cornua ἐπινεύει cernantur: aquilonios flatus esse expectandos; si ἀνανεύει austrinos; causamq; huius rei esse, quoniam in aquilonio flatu aër tenuior existens acutius nos cernere permittit, vnde cornua ἐπινεύοντα videmus; in austrino, vaporum plenus, ex quo & cernimus ea ἀνανεύοντα; omnia nanq; humidiora latiora apparent, vt ipse subdit. cæterum an hæc cum veritate consentiant, alij viderint: fortasse non omnino aberraret, qui crederet, ex lunæ situ varias hasce in cornibus apparen-

tias

tias causari, non solum quia exhalatio in aëre vigeat, vt Cardanus; vel quia moueatur aër, vt Theon voluit; ad austrū enim deiecta luna mouet Austros, vnde meritò austrinum cornu signum dat; si in aquilonem euehatur Aquilones; ex quo & cornu septentrionale venit obseruandum; quod si citius appareat à sole digressa, quia occasui fit proximior occiduos flatus commouere poterit. quæ tamen non affirmo, sed propono tanquam sensuum fide experienda; situs nanq; diuersitas tum respectu mundi, tum respectu solis potest fortasse cornua figuræ ratione varia reddere. Aratus si tertia à coitu die recta fuerint lunæ cornua, fauonios portendi scribit; si vero quarta etiam die talia appareant, tempestatem insuper, addit, esse timendam. Illud tandem non est hoc in loco prætereundū. cum Theophrastus dicat, mensem rectum esse, nos ad lunæ cornua id totum transtulisse; cum satis constet de illis tantum id posse habere veritatem. item notandum est vocem, χειμερινὸν, hic dicere ventos cum frigidirate sine pluuijs, Aquilones enim & Fauoij, serenin sunt ac minus pluuij, vt potissimum prob. 26. sect. 26. notatum reliquit Aristoteles.

8 ὅταν μὲν ἡ κεραία.) Verba illa quæ sequuntur, ὅταν δὲ ἡ κάτωθεν, sine vlla dubitatione ostendunt locum esse corruptum, deesseq; alterū aduerbium ἄνωθεν; quamobrem legendum est, ὅταν μὲν ἡ ἄνωθεν κεραία. quod signum ita ferè ad
» verbum expresit Plinius: Cornu eius septentrionale acu-
» minatum, atq; rigidum, illum præsagit ventum. Inferius
» Austrum. item idem autor de cornuum varijs figuris. In
» quinta cornua eius obtusa, pluuiam: erecta & infesta ven-
» tos semper significant, & mox. Nascens luna si cornu supe-
» riore obatro surget, pluuias decrescens dabit. si inferiore,
» ante plenilunium: & paulo post. Si in ortu cornua crassio-
» ra fuerint, horridam tempestatem. ac notandum quidem accuratè austrinum cornu à Theophrasto, κάτωθεν, inferius. s. appellari: quo etiam sensu vt annotatione 3. super tex. 45. libelli de Ventis diximus, australes ac meridianas orbis nostri partes τὰ κάτω appellauit. Aratus adit, si cornu septentrionale fuerit resupinatum Austros portendere; quod idem

de austrino etiam affirmare possumus; si enim acuminatum fuerit Austrum, si resupinatum Aquilonem significabit; causaq; ex superiori annotatione constat. Arati carmina talia sunt.

> Εἰ δέ κεν εἰ κεράων τὸ μετήορον εὖ ἐπινεύοι,
> Δειδέχθαι βορέαο, ὅτε δ' ὑπτιάῃσι, νότοιο. id est.
> Sin autem eius cornu superius aptè nutet,
> Expecta Boream: cum verò resupinet, Austrum.

Rectè autem addit Theophrastus mensem totum aquiloniũ, vel austrinum expectandũ esse; quandoquidem, potest aspectus hic de totius etiam mensis statu decernere, si Ptolemęo credimus, cuius autoritate iam pridem in annotationibus super libellum de Pluuiarum signis sanciuimus, in menstrua ratione, si nouilunium proximè præcesserit alterum quatuor punctorum cardinalium, eo, toto illo quadrante esse vtendum; si antecesserit plenilunium, aspectum hunc esse obseruandum.

10 ἐὰν δὲ ὀρθὸς.) Locum hunc obscurum reddunt hæc verba, ἐὰν δὲ ὀρθὸς; nam videtur autor de vno tantum cornu verba facere. item & altera illa, καὶ εὔκυκλος. siquidem possunt intelligi cum negatione; dixit nanq; paulo ante, καὶ μὴ καλῶς ἐγκεκλιμένος; & possunt sine negatione concipi; vt sententia sit, si fuerit cornu pulchrè orbiculatũ ad dimidiam vsq; lunam esse hyematurũ: Nos de ambobus cornibus autorem loqui credimus, ac in priore sensu, cum negatione videlicet, verba posteriora intelleximus. Sed obiecerit aliquis, signum hoc idem esse cum septimo: quandoquidem & in eo quoq; lunæ ambo cornua recta esse ponuntur; cur ergo illud mensẽ totũ hyemalem portendit: hoc vero dimidiam fere mensis partem, nimirum ad oppositionẽ vsq;? Respondeo plura esse, quæ duo hæc signa distinguant. nam in septimo supponit Theophrastus aëris statum esse aquilonium, item nullam facit de quarta die mẽtionem; ea propter in septimo signo & sequentibus lunam sumit, cum primum apparuerit, quod semper ante quartam diem contingit, vt in superioribus monstrauimus: at cum primum luna se prębet conspiciendam, maximas afferre posse mutationes, superius

perius etiam à nobis dictum fuit, igitur & diuturnas, itaq; & propter aspectum & propter Aquilonem, potest signum illud totũ mensem portendere hyemalem. circa verò quartam, vt diximus, sextilis fit configuratio, quæ multo esse solet imbecillior, vnde nil mirum, si hoc signo pauciorum dierum tempestas præsagitur. quartam tamen maximè obseruabat Aegyptus, vt Plinius notatum reliquit, ex quo & de toto mense tum decernere lunam posse clarissimi viri arbitrati sunt, inter quos & Virgilius carminibus illis.

Sin ortu in quarto (nanq; is certissimus autor)
Pura, neq; obtusis per cœlum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem, pluuia ventisq; carebunt:

» De quarta luna Plinius. Proxima sunt iure lunæ præsagia.
» Quartam eã maxime obseruat Aegyptus. Si splendens exor-
» ta puro nitore fulsit, serenitatem: si rubicunda ventos, si
» nigra, pluuias portendere creditur. in quinta cornua eius
» obtusa pluuiam: erecta & infesta ventos semper significant,
» quarta tamen maximè. & mox Apud Varronem ita est, si
» quarto die luna erit directa, magnam tempestatem in mari
» præsagiet, nisi si coronam circa se habebit & eam synceram:
» quoniam illo modo non ante plenam lunam hyematurum
» ostendit. Quæ autem sequuntur signa ad rubedinem lunæ & nigredinem spectantia; item quæ ad animalia pertinent; quam profectò causam habeant, satis ex superioribus constat. quamobrem ad decimumnonum explicandum, sermonem conuertamus.

19 ὁ ἄμπωτις βόρειον πνεῦμα.) Corruptam esse & conturbatam orationem hanc, vt etiam in priore parte de maris æstu cap. xi. primi libri annotauimus, facilè per sè quisq; indicare potest. Primum igitur prò ὁ ἄμπωτις legendum est ἡ & c. deinde omnia illa ἀρέχυια, & c. vsq; ad alia illa ἐὰν μὲν γὰρ, & c. amouenda sunt, tanquam in aliena sede collocata; atq; post illa sunt legenda εἰς βόρειον μεταβάλλει; quo modo continuata erit omnis oratio Theophrasti ac perspicua. Cæterum & præter loci corruptionem, tanta rei, de quâ agit autor, accedit obscuritas, vt verus huius loci sensus

pro deplorato habeatur : quod enim hic Theophrastus de maris æstu sermonem habeat, atq; de eius causis, nemo in dubiũ vocare potest : vsitatis nanq; vocibus vtitur ἀμπώτεις & πλημμύρας ; quas latini autores interpretati sunt recessum & accessum, refluxum & fluxum . est enim Græcis ἄμπωτις, quod nobis refluxus & recessus, cum mare videlicet se resorbet, vt nos latè suo loco demonstrauimus, ac demũ motus ab exterioribus ad interiora, à circũferentia ad centrum . πλημμύρα è contra Gręcis, quòd nobis fluxus, accessus, & exundatio, ac maris motus à cētro ad circunferentiam, ab interioribus eius partibus ad littus, cum scilicet exundans terram tegit; vt meritò Aristoteles cap. 8. 2. Meteoron de terremotibus agens, exhalationemq; noctu intra terram regredi significare volens, exhalationis motum
„ hunc similem esse ἀμπώτιδι, dixerit ita scribens, ὥστε ἴσως
„ γίνεται πάλιν ἡ ξύνωσις, ὥσπερ ἄμπωτις εἰς τοὐναντίον τῆς ἔξωθεν
„ πλημμυρίδος : quod est, quamobrem intro rursus fit fluxus,
„ quemadmodum recessus in contrarium accessus & exunda-
„ tionis, quæ extra efficitur. ex quibus omnibus duo maximi momenti elicimus animaduertenda ; primum Aristotelis & Theophrasti ętate hanc maris affectionem, quam nos æstũ passim dicimus, notam fuisse : secundum causam huius effectus Aristotelem tradidisse ; cum opuscula hæc vel Aristotelis sint, vel si Theophrasti sunt ; notum sit, quę hic ab eo tractantur, & alibi, ex purissimis præceptoris fontibus fuisse hausta : vt omnino ridendi videantur, qui ausi sunt asserere hunc maris motum Aristoteli fuisse incompertum, propterea; nil ab ipso inueniri traditum in Meteoris de hac quæstione : vel causam saltem ei ignotam, ideoq; tedio confectum obijsse. nam ambo hæc monstra in literatorum animis insederunt . Porrò autem & causam hic explicari huius motus satis etiam est perspicuum, inquit enim autor
„ ἐὰν γὰρ ἐκ βορείων, & c. quo loco, cum propositio ἐκ multipliciter sumi posit, vt perbellè cap. 18. p. de Animalium ortu docuit Aristoteles, nam & ex die noctem fieri dicimus, ex puero virum, ex ære statuam, ex sano ægrum, demumq; ex conuitio pugnam tanquam ex agente causa &

motus principio: latisſimè patet propoſitionem hanc cauſam hoc in loco dicere efficientem, vt videlicet ſenſus ſit, ex ſpiritu auſtrali refluxum ex boreali fluxum cauſari tanquam ex agente cauſa: præſertim ſi eam huius loci interpretationem admittamus, quam in poſteriori parte de maris ęſtu attulimus. quandoquidem Ariſtotelē ſenſiſſe ſpiritum eſſe æſtus cauſam, pręter locum hunc, qui id ſufficienter probat, grauiſsimi accedunt teſtes Plutarchus 3. lib. de Placitis philoſophorum, Galenus de Hiſtoria philoſophica, qui mira conſenſione teſtificantur Ariſtotelem maris ęſtum in ſpiritum retuliſſe, accedit demum ipſiuſmet Ariſtotelis autoritas, qui hoc idem ad finem 4. libri de Animalium ortu verbis apertiſsimis notatum reliquit: cuius hæc eſt oratio,
» ὥσπερ γὰρ καὶ θάλατταν, καὶ πᾶσαν ὁρῶμεν τὴν τῶν ὑγρῶν φύ-
» σιν ἱσαμένην καὶ μεταβάλλουσαν κατὰ τὴν τῶν πνευμάτων κίνη-
» σιν καὶ στάσιν. τὸν δὲ ἀέρα, καὶ τὰ πνεύματα κατὰ τὴν τοῦ ἡλίου
» καὶ τῆς σελήνης περίοδον, οὕτω καὶ τὰ ἐκ τούτων φυόμενα καὶ
» τὰ ἐν τούτοις ἀκολουθεῖν ἀναγκαῖον. κατὰ λόγον γὰρ ἀκολουθεῖν,
» καὶ τὰς τῶν ἀκυρωτέρων περιόδους, τὰς τῶν κυριωτέρων. βίος
» γάρ τις καὶ πνεύματός ἐστι, γένεσις καὶ φθίσις. quod eſt ſi græ-
» ca latina faciamus. Quemadmodum enim cernimus mare,
» & omnem humidorum naturam quieſcere & moueri pro
» ſpirituum motu & quiete: aërem verò & ſpiritus prò ſolis
» & lunæ periodo; ita & quæ ex his & in his oriuntur ſolis &
» lunę periodum ſequi neceſſe eſt: rationi enim conſentaneum
» eſt, rerum minus principalium & eorum quę ſubſunt perio-
» dos, ſequi rerum periodos quæ dominantur. Hæc ille: qui locus præ cæteris illuſtriſsimus eſt, & magnoperè obſeruandus, veluti qui exactè hunc maris motum vna cum ſua cauſa nobis ob oculos ponit: quandoquidem τῶν πνευμάτων nomine non ventos aut flatus tantum intelligit Ariſtoteles, vt Theodorus opinatus eſt, qui vocem πνευμάτων, flatus latinè reddidit, atq; ante illum Magnus Albertus lib. 18. de Animalibus cap. 8. quaſi mare a ventis agitari & commoueri intelligat hic Ariſtoteles; ſed potiſsimum quem paſsim ſchola philoſophica ſpiritum appellat, principalem nempe partem ex qua & plantæ & animalia conſtant, de

quibus

quibus eò in loco differit Aristoteles & , insuper spiritum, cuius mare est particeps sua natura ; nam & quis vnquam dixit animalia ex ventis constare? atqui philosophus ita argumentatur ; mare & omnis humida natura , mouetur & quiescit ad motum spiritus, spiritus mouetur & quiescit ad periodum solis & lunæ , igitur mare & omnis humida natura mouetur & quiescit ad periodum solis & lunæ . item spiritus mouetur & quiescit ad periodum solis & lunæ, animalia ex spiritu constant & ex humida natura , atq; in humida natura & mari & aëre generantur , igitur animalia ad solis & lunæ periodum quiescunt & mouentur, & quod idem est, sequuntur horum syderum periodus; ita vt ipsorum motus, ortus durationis & interitus animaliũ sit mẽsura, quod probandum sumpserat Aristoteles . nam & hoc est quod subdit, spiritum vitam quandam participare & ortum , & interitũ , ac subinde necessario crementum & decrementum . addit vero & aërem, quoniam spiritus cum aëre summam habet consensionem, vt alibi monstrauimus . Cæterum si hæc omnia accuratè perpendamus, quid quæso dici potest, quod magis ad viuum , maris æstum repræsentet ? mare quidem spiritum habet atq; intra se concipit & gignit , vtpote, quod temperamentum eiusmodi nactum sit, ad gignendum spiritum aptissimum: habet enim insitum calorem, totumq; est exhalationibus fumidis aspersum : demum humorem habet , quamobrem & proprio & cælesti externoq; calore agitatum, spiritum facilimè gignere potest, immo & necessario debet , quod quidem accutissimè contuens philosophus, ita de mari 3. de Animalium ortu cap. 11. notatum reliquit : Mare , inquit , humidum est & multo corpulentius
,, quàm potulenta aqua ; & natura calidum est ; omniumq;
,, partium particeps est humoris scilicet & spiritus , & terræ :
at spiritus iam intra rem aliquam genitus & conceptus intumescere eam facit, quod Aristotelis est multis in locis, sed
,, clarissime prob. 9. sect. 21. ita scribentis τὰ γὰρ πυκνὰ τρι-
,, βόμενα , θερμαίνεται . θερμαινόμενα δὲ καὶ πνευματούμενα με-
,, τεωρίζεται . quod est; spissa enim attrita & agitata incale-
,, scunt , calefacta verò spiritum concipiunt, ac subinde intu-

„ mescunt: mareq; spissum esse sua natura & corpulentum, taleq; vt minus refrigerari, facillimè verò incalescere, caloremq; conceptum maximè seruare ob suam densitatem possit, prob. 7. sect. 23. ab eodem iamdiù affirmatum fuit
„ his verbis. Vtrum quod mare spissius & corpulentius est?
„ tale autem quodq; minus refrigerari potest: sicuti etiam
„ amplius incalescere. quocirca & in mari spiritum oriri necesse est, & mare ex iam concepto spiritu intumescere. atqui spiritus, Aristotele teste, vitam quandam habet, ortum & interitum, augumentum & decrementum. quid ergo mirum, si mare ad huius spiritus augetur augumentum & fluit, ad littoraq; accedit; si ad eiusdem decrementum recedit compositisq; fluctibus sese in aluum recipit & residet? mirabiliterq; senis ac senis horis fluendo & refluendo ordinē seruat? Proinde summus præceptoris alumnus Auerroes mentem ipsius citato loco, 4. de Animalium ortu enarrans, verba quæ ad mare spectant, atq; ad motum, quietemq; in eo à spiritu causatam, non minus verè quàm eleganter in
„ æstum ipsius retulit ita scribens. Quod patet ex his, quæ
„ visuntur in coniunctionibus & oppositionibus, & quadris:
„ cognoscitur enim eius immutatio in motibus aquarum &
„ ventorum & cæterorū quæ generationi tribuuntur. Sed & qui Meteorologica Aristotelis principia animo versabitur; iam statim sibi persuadebit, spiritum esse nec aliud aliquid, quod mare æstuare faciat. nam cū omnes, quæ in aëre, aqua, & terra cernuntur affectiones eiusmodi, vel à vapore, vel ab exhalatione ortum ducant, (duo nanq; hæc tantum principia ponit Aristoteles,) quòd vapor sit qui in aquam conuersus æstum causet, id omnem fidem excedit, vt nos abundè in posteriore parte de Maris æstu aduersus Aegidium demonstrauimus; quamobrem relinquitur vt exhalatio in spiritum conuersa huius motus sit causa. nam & spiritus ad mouendū maximè aptus est, vt 8. capite 2. Meteoroŕ ostēdit Aristoteles, & id peculiare habet, vt rem faciat intumescere: quæ duo maximè propria æstus esse cernimus; mare nanq; cum æstuat, multis in locis maxima mouetur celeritate, & mirabiliter intumescit; quare nil mirum est si eodem

capite

capite videtur Aristoteles æstum, ac terremotum similes facere, veluti qui ab eadem causa pendeant, ita vt aquam & terram, vt materiam; spiritum vt efficiens principium se in hisce motibus habere dicat. Verum hæc latè in libris nostris de Maris æstu disputata sunt; aliaq; plura Aristotelis loca ventillata, quæ veritatem hanc ostendunt; & qua de causa senis ac senis horis æstuet mare, eiusmodiq; periodū spiritus mare mouens habeat, aliaq; omnia ad nobilissimā & obscurissimam quæstionem hanc spectantia, prò virili explicata sunt. ad propositum modo redeuntes, sicuti ràm clarum ex hoc loco est, spiritum causam æstus esse, quàm quod clarissimum; ita ràm est obscurum, vt nihil supra, quod adijcitur, refluxum maris aquilonios ventos, fluxum austrinos prænunciare; item fluxum ab aquilonio spiritu, refluxū ab austrino causari. pro qua difficillima & obscurissima quæstione dissoluenda, dico primum spirituum nomine, vel ipsos flatus, aquilonios videlicet & austrinos, prout extra mare sunt, & aërem disponunt, nos intelligere posse; vel spiritus ipsos in mari genitos, qui aquilonij, vel austrini dicantur ab autore; quod non incongruum esse, neq; à ratione alienum suo loco planū fecimus. nam & Aristoteles cap. 8. p. Meteoron de terremotu & inundatione quæ in Achaia euenit, & quibus Helice & Bura submersæ fuere, sermonem habens, in sinu Boream fuisse scribit, extra vero Austrum: eandemq; rem cap. 8. 2. Meteoron tractans, Austro intro remeante, ob contrarietatem horum spirituum & pugnā intra terram & mare factam, altero eorum maxima violentia motum mari impartiente, altero terræ, id contigisse notat; vt spiritus hi licet in terræ visceribus & mari extiterint, boreales nihilominus & australes ab eo dicantur; ac subinde nil mirum videri debeat, si autor spiritus æstum causantes, licet intra mare, aquilonios dicit, vel austrinos. quibus ita explicatis, dico rursus, nos fluxus & refluxus nomenclatura, non hos simpliciter motus intelligere debere, verum cum tantum fiunt, vicissim collati, ingentes; ita vt sententia sit, refluxum maris fluxu maiorem aquilonios; fluxum, refluxu maiorem austrinos flatus præmonere: cæteroqui sem-

per

per signa adessent horum flatuum, cum mare nunquam desinat fluere & refluere, quod valde abhorret à ratione; ita enim vt plurimum signa hæc nos fallerent, vel bis in die tota naturali Austros bisq; Aquilones surgere oporteret, quæ omnia ridicula sunt, ac longe à veritate aliena. Tertio noto Hippocratis autoritate ex libello de sacro Morbo, eam esse Austrorum naturã, vt aërem compactum liquent & diffundant, idemq; in mare operentur: Aquilonum è contra vt iam liquatum, & aërem, & mare compingant; quam sententiam plerisq; in locis Aristoteles sectatus est & apertè Theophrastus libello de Ventis tex. 57. atq; hoc eodem opusculo signo 27. & 28. Quarto demum suppono, aërem & mare contrario modo affici & disponi, quod Aristotelis est prob. 59. sect. 26. & Theophrasti tex. 41. & 60. libelli de Ventis; nam, vt his in locis habetur, mare hyeme calidum est, quia ambiens aër frigidus est: è contra ęstate frigidum, quoniam externus aër est calidus; quo fit, vt eandem in mensis ac diei partibus varietatem retineat, si modo aër insigniter frigescat, vel incalescat. his positis non erit fortasse omnino difficile causam saltem probabilem excogitare, cur possit refluxus ingens Aquilones prænunciare, cur fluxus Austros. enimuerò si aëris status austrinus fuerit, quoniam ambiens calidus est, maris interiora frigescunt, qua de re minus aptum est mare, vt in eo & potens & multus spiritus generetur: si igitur tunc contingat reflexum solitò maiorem fieri, id certum signum est, ex austrino statu fieri in aquilonium mutationem, quoniam maris aqua iam tali affecta constitutione densari incepit & compingi; ac subinde minus apta fieri, vt à spiritu moueatur, alioqui ob dictam causam imbecillo; vnde & fluxus respectu multo maior cernitur refluxus: parum enim tum aqua attollitur ac intumescit, refluitq; insigniter, & recedit, ita vt refluxus solito maior esse videatur: nam & propterea docebat libello de sacro Morbo Hippocrates Austrum non statim magnum spirare, sed primo lentum ac lenem, quoniam aërem statim superare non potest, qui prius densus est, & cõpactus ab Aquilone redditus; quod & multo magis de aqua euenire rationi est

ri est consentaneum & de spiritu qui eam mouet. nec miretur aliquis si dicimus mare, austrina adhuc vigente cõstitutione, ab aquilonia affici; nam & mare ipsum, & alia multa, aduentantem iam contrariam constitutionem sentiunt, quæ latenter dominari incipit, ideoq; signa dant, vt non semel superius monuimus: quam tamen non antea nos percipimus, quàm manifestas, expulsa contraria, vires habeat; atque hoc est, quod verbis illis docet hoc loco Theophrastus;
„ Nam si fluxus ipsius ab aquilonijs spiritibus prouenerit in
„ contrarium mutatio efficitur; si refluxus ab austrinis sit mu-
„ tatio in aquilonios; quibus, vt perspicuum est, supponit aquilonio existente aëris statu, fluxum effici, austrino dominante fieri refluxum. contrarium enim per se agere non potest nisi in contrarium, neq; contrarium expelli, nisi aduentu contrarij alterius: vnde videtur nostro sensui, exempli gratia, borealem dominari constitutionem, sed re vera iam hæc debellata à contraria abit, & contraria imperium tenere incipit: meritò igitur cum in austrino statu maiorem refluxum, quàm fluxum obseruamus, ita vt magis quàm soleat mare refluere videatur (nam contraria iuxta se posita magis elucent) Aquilones expectamus. euenit enim id totum, quia iam dominari incipit latenter aquilonia constitutio, quæ maiorem refluxum, minorem fluxum reddit ob causam superius enarratam; simileq; locũ habet in ipso fluxu. nam si fuerit status aëris aquilonius, quoniam frigidus aër est, mare necessario est calidum; propterea & multus & potens in eo spiritus generantur; quod si iam sensim & occultè incipiat austrinus status imperare, maris aqua liquari incipit & diffundi, ac subinde aptior est, vt facilius à spiritu potentissimo moueatur; quo circa ingens efficitur fluxus ac multo maior refluxu. hos verò spiritus, qui mare mouẽt ac æstuare faciũt, ab autore nostro hoc in loco aquilonios etiã vocari & austrinos, si quis sibi persuadeat, nõ omnino dissentanea à ratione illum arbitrari, alibi à nobis latè monstratum est. sed hic sex non leues dubitationes oriuntur. Prima est: si spiritus qui æstum causat non externus esse debet, sed intra mare genitus, vt superius dictum fuit;

igi-

igitur aquilonius aëris status, vel austrinus, nil ad fluxum & refluxum facient, vt falsò hos flatus ad æstum aliquomodo causandum concurrere dictum à nobis videatur: vel si aliquid operantur, iam falsò etiam affirmatum est externos spiritus & ventos, nil ad hunc motum producendum efficere. Secunda; spiritus efficientis & mouentis causæ subit in hoc motu rationem, vt superius est affirmatum; at quo modo id congruere poßit aquilonijs flatibus, vel austrinis in aëre dominantibus, non videtur satis esse perspicuum. Tertia; si refluxus maior fluxu Aquilones spondet, igitur & fluxus refluxu minor eos promittit, si fluxus refluxu maior Austros, igitur refluxus minor fluxu eosdem affert: cur ergo refluxum in priori signo, fluxum in posteriori tantum autor expreßit? Quarta; Cur & fluxus maiores non possunt Aquilones prænunciare. refluxus maiores Austros? Quinta non videtur ex hoc loco haberi spiritum intra mare genitum causam esse æstus efficientem, quod tamen supra tanquam clarum suppositum fuit. Sexta; dictum est annotatione 30. in libellum de Signis pluuiarum, si ambiens aër frigidior fuerit æstus maiores fieri, propterea septentrionem versus obseruari hos motus vberiores, & circa interlunium; igitur aquilonio existente aëris statu fluxus maiores esse deberent; at nos hic ponimus adueniente austrina constitutione fluxũ fieri vehementiorẽ. Respondeo ad primã, ambientis aëris temperaturam plurimũ conferre & ad æstum simpliciter producendum & ad eius varietatem, quod etiam trigesima annotatione super libellum de Pluuiarum signis fuit à nobis animaduersum; quapropter aquilonius & austrinus aëris status, non quatenus ventos habet illos, sed quatenus ab eis vel calidus redditur vel frigidus, ad æstum maiorem vel minorem producendum concurret: nos autem externos flatus quatenus tales, nimirum & flatus & externos, aliquam esse æstus causam negauimus. Ad secundam dicimus spiritus intra terram & mare genitos, efficientis causæ, & quidem proximæ tangentisq; subire rationem, nequaquam externos; externos tamen flatus, quatenus aërem calidũ reddunt, vel frigidum, ac subinde ma-

de mare, agentis causæ, licet remotioris; nomen mereri; satis arbitror esse clarum. Tertiam ex eo tollimus quod debuerit motus insignior exprimi, insignior autem sit, qui maior & vehementior; proinde autor refluxus Austros non fluxus; fluxus Aquilones non refluxus portendere scripsit. Quartam facile labefactabimus, memoria repetentes, aquiloniam constitutionem maris aquam compingere; idcircò minus aptam eam reddere, vt à spiritu moueatur; è contra austrinam, illam liquare & diffundere: sequitur enim ex his cum mare non multum attolitur aquiloniam constitutionē dominari oportere, vt propterea duo hæc simul stare nequeant, mare solito vehementius intumescere & aquiloniam vigere constitutionem; parq; ratio de austrino statu, quod ad refluxum pertinet locum habet; quapropter non potest ingens fluxus Aquilones, neq; refluxus ingens Austros præmonere. Quintam ex eo tollimus quod superius dictum est, autorem ita asserere fluxum ab aquilonijs spiritibus effici, refluxum ab austrinis, vt velit non solum externos flatus tales esse appellandos, verum etiam & spiritum internum, qui mare facit intumescere; non secus ac Aristoteles, spiritum corinthiacum sinum propellentem, aquilonium, terram verò concutientem, austrinum 2. Meteorou dixit; licet intra mare & terram essent, vt supra tetigimus. nam & hanc veram esse loci illius obscurissimi explicationem, quanquam magnis reclamantibus viris, alibi ostendimus. Ad sextam demum respondemus, verè ambientis frigiditatem ad æstus magnitudinem conferre, quoniam calor maris, ac terræ, qui exhalationes in spiritum conuertit, redditur ob antiperistasim multo robustior; ex quo & fluxū hunc, quem dicimus maiorem esse, à spiritu in mari genito aquilonia vigente constitutione causari ponimus. postquam vero spiritus genitus est, & iam fluere mare incipit, nil prohibet austrinum statum ob dictam causam maiorem æstum reddere posse; neq; id quidquam repugnat, ijs quæ de ambientis frigiditate alibi dicta sunt. Verum hactenus de huius loci explicatione, cui de industria tenebras maximas autor videtur offudisse, vt in alio nullo Aristotelis, vel Theophra-

 sti

sti loco intelligendo magis laborauerim, nec tamen adhuc contingerit mihi aliquid inuenire, quod animum meum penitus impleat, aut mihi omnino satisfaciat. multos quidem fore scio, qui, hæc nostra legentes, cum nihil nisi triuiale concipere possint, acerbè notare ea non desinent, leuia & conficta vocantes; quæ in re ad doctos viros, & ingenuos appello, qui purissimam & castissimam Aristotelis Theophrastiq; philosophiam profitentur, & quibus maximè curæ est, vt horum philosophorum loca obscuriora diligenter expendantur; hos enim honoris mei certamen non dubito libenter esse suscepturos: certè interpretationem hanc ex multis alijs, quæ locum hunc alibi tractantes attulimus, tanquam probabiliorem elegimus, vt in hisce nostris annotationibus insereremus. fuit enim aliquando, (cum Athenæ vbi Aristoteles, & Theophrastus philosophabantur, sinũ corinthiacum à latere australi habeant, ac subinde mare terram versus & continentem ab Austro vento propelli possit, ab Aquilone à terris arceri,) vt crederemus Theophrastum, ideo dixisse refluxum ingentem videlicet, Aquilones præsagire, quia mare iam altum versus ab hoc flatu propellatur; fluxum Austros, quoniam huius venti flatu aqua terram versus feratur. verum vbi rem diligentius perpēdere cępimus, interpretationē hãc nullo modo huic loco quadrare posse cognouimus; nã primũ Aquilo antea tangit Athenas quàm mare, igitur non poterit refluxus ibi ventũ hunc præmonere; deinde omni silente externo flatu fluxus & refluxus fiunt ingentes: tertio autoris verba illa mirificè „ repugnãt; nam si fluxus ipsius ab aquilonijs spiritibus pro„ uenerit, in austrinos mutatio efficitur; si refluxus ab austri„ nis & c. vult enim, vt ex his satis est perspicuum, fluxum ab aquilonijs spiritibus causari, refluxum ab austrinis, quod de externis his flatibus nequit Athenis esse verum, cum potius ob causam quam attulimus, Aquilones è contra refluxum, Austri fluxum in tractu illo gignant; quibus etiam in verbis notare est autorem sub conditione locutum, satis docere, fluxum ab austrinis, refluxum ab aquilonijs posse quoq; generari; verum sententia est (ni fallor) si fluxus ab aquilonijs

nijs spiritibus prouenerit, vt prouenire eum necesse est, si ingens fieri debet; si refluxus ab austrinis, vt effici necesse est, si magnus ac solito maior debet apparere, & c. cuius rei causa iam superius exposita est. sed hæc curiosius forsitam & prolixius quàm oporteat, nil. n. fortasse proninserat quàm talia negligere, sed nos malæ conscientiæ reatum sustinere-mus, nisi ea, quæ nobis videntur alijs indicaremus, veritatemq; studiosorum bono consulentes in tanti viri monimẽtis, quæ explananda suscepimus, pro virili inquireremus repudiata omni ambitione; vtinam difficillimi huius loci sententiam, ex doctissimi philosophi vmbraculis otioq; non modo in solem atq; puluerem, sed in ipsum discrimen aciemq; perduxerimus: adeo enim obscura sunt, quæ hic habentur, vt Aratus, Plinius, Virgilius, Ptolemęus, ex recentioribus Mizaldus, qui reliqua omnia signa ex his opusculis sumpserunt; hoc vnum silentio præterierint. illud demum omittendum non est, cum dixisset autor, pro fluxus vel refluxus magnitudine austrinos, aut aquilonios flatus expectandos esse, statim nos commonefacere de quadam horum ventorum in spirando proprietate, subdens, Aquilonem, cum desinit flare, exiguum esse, Austrum cum incipit; vt hinc etiam noscere valeamus, vtrum hi flatus sint in spirationis principio, vel in fine.

21 ἀράχνια πολλά.) Huius rei duplicem causam habes prob. 61. sect. 26. apud præceptorem. qui locus accuratè animaduertendus est. Aratus signum hoc ita expressit.

Μὴ δ' ὅτε νηνεμίῃ ἐν ἀράχνια λεπτὰ φέρηται. & c. id est.
Neq; quãdo in ventorũ tranquillitate araneæ graciles ferantur. & c.

22 θάλασσαι οἰδοῦσαι.) Aratus sic.

Σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα.
Γιγνέσθω. id est.
Atqui signum venti etiam intumescens mare
Estò.

„ Plinius causam etiam explicans. Sæpe & silentio intume-
„ scit. flatuq; altius solito iam intra se esse ventos fatetur. quo loco prò flatuq;, emendandum puto factumq;, vt sen-

ſus bonus ex pliniana oratione eruatur. verum hinc colligere licet ſpiritum eſſe cauſam, vt mare intumeſcat, qui, vt de Alberti Magni aliorumq; ſententia alibi oſtendimus, de mari quaſi expirans vehementes ventos interdum gignit, vt non abs re, venti eſſe indicium inſolitum maris tumorem hic afferat autor.

23 καὶ ἀκταὶ βοῶσαι.) Aratus de hoc & ſequenti ſigno vigeſimoquarto ſic.

καὶ μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες,
Ἀκταί τ' εἰνάλιαι, ὁπότ' εὔδιοι ἠχήεσσαι
Γίνονται, id eſt.
& multum margines inſonantes,
Littoraq; marina, cum ſerena arguta
Fiunt.

" Plinius ſic. Eſt & aquarum ſignificatio. Mare ſi tranquil-
" lum in portu à curſu ſtabit, & murmurauerit intra ſe, ven-
" tum prædicit. Si identidem, & hyemem & imbrem, litto-
" ra ripæq; , ſi reſonabunt tranquillo, aſperam tempeſtatem:
" item maris ipſius tranquillo ſonitus ſpumæq; diſperſæ, aut
" aquæ bullantes, & mox atq; etiam in campis tempeſtatem
" venturam præcedens ſuus fragor: cæli quidem murmur nō
" dubiam habet ſignificationem. Virgilius ante illum.

Continuò ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor: aut reſonantia longè
Littora miſceri: & nemorum increbeſcere murmur.

Verum cauſa inueſtiganda eſt quare ſonus hic tum in maritum il littoribus fiat, tum in montibus. cur vè flatus & imbrem poſsit præmonſtrare: nam, & ſimul ſignum trigeſimū quartum explicabitur. Sonus, qui auditur, aut inſolitus omnino eſt ac nouus; cum nullus antea ederetur; aut maior conſueto. exempli gratia fluuiorum curſum & ſonitū, item maris ſtrepitum ſemper ſentimus, ſed interdum ſolito maiorem; & ex montibus ſpecubuſq; quibuſdam inſolitos aliquando ſonitus audimus: prioris effectus cauſa à medij aëris videlicet qualitate & conditione pendet, de qua re ſic perbellè Alexander com. 16. 3. Meteoron. & ſoni & voces

„ ces, quæ per humidiora media fiunt; grauiores fiunt: gra-
„ uiora autem cum maiori mole: atq; hoc est quod prob. 17.
& 64. vndecimæ sectionis inquit Aristoteles, voces nostras hyberno tempore esse grauiores, quoniam aër interior tunc & exterior crassior est. sequitur autem ex his, (quanquam non idem omnino est grauis vox & magna, vt acutè cap. 7. lib. v. de Animalium ortu monstratum est) voces & sonos, quos & fluuiorum & maris littora edunt, per aërem humidiorem & crassiorem trāseuntes, grauiores reddi ac subinde maiores; quod quidem certum est pluuiarum argumentum: quandoquidem, instante pluuia, crassior aër, & humidior efficitur. Posterioris effectus causam luculenter 2. Meteoron cap. 8. tradit Aristoteles, scribens in nonnullis Aeoli insulis, cum flaturus est Auster, ea loca, vbi efflationes fiunt, sonū emittere, vel quia, spiritus a mari propellatur, vt Alexandro placet, vel vt Vicomercato, quia ad concauitatum latera allidatur. hinc enim euenit, vt insolitos sonos aliquando audiamus, præsertim ad maximorum montium radices, si loca interna concaua fuerint. quod sanè sensuum fide habitatores Alpium hodie experiuntur, à quibus ego non semel audiui, cum mutatio aliqua aëri impendet, ac ventus magnus, vel imber, aut nix instat, ex montibus illis quosdam ingentes sonos edi. cuius rei causa est antiperistasis; iam iam enim infrigidato aëre externo, pellitur spiritus ad interiora, qui internum aërem, & concauitatum latera verberat, & sonum causat. ac de signis quidem; quæ ab heroicis ferè ducta temporibus obseruari in Aeoli Insulis solebant, ita Strabo libro sexto de Empedoclis mente
„ testificatur. Igitur si spiraturus est Auster, nebulosam cir-
„ cum insulam effundi caliginem dicit, adeo vt longè Siciliа
„ cerni nequeat: flante verò Borea puras flammas ex eo, quem
„ dixi cratere altius extolli, ac maiores emitti sonos. Zephy-
„ rum autem medium quendam tenere ordinem; reliquosq;
„ crateras eiusdem quidem esse generis, exhalationum verò
„ minores habere impetus: exq; sonorum differentia, & quo
„ ex loco efflationes inchoent & flammæ & fumus, annota-
„ ri; & tertium rursus in diem quis spiraturus sit ventus:

quod

,, quod etiam ita Solinus cap. 11. comprobat. Hæc causa effi-
,, cit quod ex eius fumo potissimum incolę pręsentiscunt, qui
,, nam flatus in tridno portendatur. Cęterum ex his pulcherrimus sacræ scripturæ locus enarratur 3. Regum cap. 18.
,, quò loco ita scribitur. & ait Elias ad Achab; Ascende co-
,, mede & bibe, quia sonus multæ pluuiæ est. rectissimè enim sonus imbrium prænuncius ponitur; nam & ad torrentem Cison, & ad radices Carmeli montis erat Elias, ex quo & sonus ex littore fluuij, & ex monte ob dictas superius causas editus, potuit nedum imbres, sed ventum etiam significare,
,, quemadmodum ad finem capitis habetur. Cumq; se verte-
,, ret huc atq; illuc, ecce cæli contenebrati sunt & nubes &
,, ventus & facta est pluuia grandis. neq; enim ad tonitrua sonus hic referri potest, quia cœlum serenum erat, neq; adhuc nubecula apparuerat. primum tamen signum, littorum videlicet sonus maior, pluuias magis; secundum verò, montium nimirum sonitus & locorum, quibus cauernæ insunt, ventos magis monstrare solet: qua de re sonus ille in Vulcani insulis, vt ex Aristotele vidimus, Austros tantũ augurabatur; vt propterea sonum, qui ventos spondet sinè pluuijs, Virgilius citatis carminibus perbellè aridum fragorem vocitauerit, tanquam ventorum tantum non imbris prænuncium; quæ profectò causa longè magis diuino Poetæ ingenio digna est, quàm si ad arida ligna, cum franguntur, animum intendens, ita scripserit, vt Seruius primum, deinde Petrus Ramus eum secutus, asseruerunt; neq; enim Virgilium latebat, sonum hunc aliquando pluuias præsagire aliquando ventos tantum, vt aridus idcircò vocari mereretur ventum promittens sine pluuijs. De Parelijs seorsum dictum supra est.

26 *ἡ πέμπτη καὶ δεκάτη ἀπὸ τριῶν τῶν χειμερινῶν.*) Lego *τροπῶν* pro *τριῶν*. Cur verò dies decimaquinta brumalis esse soleat; pulchrè ostendit Aristoteles prob. 32. sect. 26. qui locus accuratè animaduertendus est, cũ Theodorus, vt reor, non omnino sensum attigerit. inquit enim philosophus decimumquintum diem post hybernas conuersiones austrinum esse, propterea quod conuersiones ipsæ principi-

um

um quoddam sunt, sol vero, cum in ipso principio est, maximè aërem mouet; tenens verò conuersiones hybernas ad austrum vergit, vt meritò Austros tunc excitare debeat; nam quia principium attingit, debet mouere aërem, quia verò principium tale, quod ad austrum est, aërem debet australem commouere; atqui ventus in problematibus aëris motus est, eo tamen sensu quo suo loco exposuimus, itaq; Auster per id temporis excirabitur. non assequitur mentem
,, igitur Aristotelis Theodorus, dum verba illa κινεῖν δὲ τὸν
,, κατ᾽ αὐτὴν μάλιστα ἀέρα, τὸν ἥλιον. ita transfert; moueturq;
,, à sole is potissimũ aër, qui brumę vicinus est; enimuerò verba illa κατ᾽ αὐτὴν, ad τὴν ἀρχὴν, vt luce meridiana clarius est, non ad τὰς τροπὰς, referri debent; atq; sententia est, solem κατ᾽ αὐτὴν τὴν ἀρχὴν, cũ scilicet principiũ possidet potissimum aërem & ventos commouere; principia nanq; vocat hoc in loco Aristoteles dichotomias ipsas, quæ tempora distinguunt; quales potissimum sunt æquinoctia & solstitia, de quibus in præcedenti opusculo satis est disputatum. dichotomię enim ob causas ibi allatas & principij subeunt rationem, & maximè circa illas aër mouetur, cum plerunq; tunc mutatio aliqua eueniat: atq; hoc est quod inquit Aristoteles, solem, cum in principio est, maximè aërem mouere, qui nos ambit: mouet enim illum, non tam attritione quadam, propter diurnum motum, præsertim cũ brumam possidet, quàm alio modo; nempe primis qualitatibus nouam aliquam in eo affectionẽ causando, aut motũ: quare & hoc alterum est, quod Theodoro obijci potest, si Austrum teneamus ab æstiua conuersione ad nostra loca dimanare. neq; enim ex aëre brumæ proximo gigni flatus hic poterit, quod tamen secundum Theodori interpretationem affirmaret Aristoteles, sed ex aëre potius æstiuæ conuersioni propinquo, quem nostri respectu australem esse in annotationibus super libellum de Ventis satis superq; ostendimus; sol enim mouere illum potest, non quidem cum exactè brumã tenet, vt acutè philosophus subdit; sed circiter diem decimamquintam, quoniam tempus id, & dierum hæc quantitas moderatè se habet secundũ solis discessum primæ phan-

tasiæ;

tasiæ; quod est (vt obscurissima hæc verba pro virilii interpretemur) tot præteritis diebus adeo sensibiliter proprio motu discessit sol à brumali conuersione, quam primam phantasiam appellat Aristoteles, vt situs ratione, συμμέτρως
» se habeat ad Austros commouendos, ὅλου γὰρ ἐςὶ μέρος εὐ-
» σημότατον ὁ εἰρημένος χρόνος, vt philosophus subiungit; quo
» rursus in loco Theodorum demiror, quòd ita hęc verba in-
» terpretetur. totum enim id tempus pars conspicua est,
» cum alioqui iuxta græcorum omnium exemplarium fidem, quam vetus Interpres secutus est; dicat Aristoteles, tempus dictum dierum quindecim esse totius partem εὐση-μοτάτην, id est, quæ maximè sit apta ad Austri ortum significandum:, vt ego interpretor; totius inquam temporis, quod à solstitio ad solstitium intercedit. quæ omnia si diligenter perpendamus, clarum erit Austri originem, nō ab altero polo, non à brumali cōuersione, sed ab æstiua potius nobis esse, hic quoq; Aristotelem sui similem affirmare, atq; ex locis, quę inter ęquatorem sunt & Cancri circulū; quam sentētiam eum perpetuo secutum esse abundè alibi demonstrauimus. quandoquidem si moueatur Auster, cum sol post decimamquintam à brumali conuersione diem iam ad nos redit, ergo neq; ab altero polo neq; a locis brumali conuersioni exactè subiectis oritur; dictum nanq; est in annotationibus super libellum de Ventis & historiæ fide confirmatum, ventos solis corpus pertransire nunquam posse, quia exhalationes statim à radijs potentissimis absumātur; itaq; relinquitur vt ex illis partibus, quæ inter solem sunt & æstiuam conuersionem exoriatur; verum hæ non possunt valdè esse soli proximę ob eandem causam, igitur de remotioribus ortum ducet, nimirum ex illis, quæ inter æquatorem sunt ac ęstiuam conuersionem, quas post diem decimamquintam iam potest sol adeo calefacere, vt inde eliciat exhalationes. atq; hoc est, quod inquit, licet subobscurè, Aristoteles, tempus id ratione distantiæ moderatè se habere ad brumalem conuersionem & totius partem esse satis conspicuam; adeo enim tum elongatus est à brumali puncto, adeoq; locis, vnde Austri oriuntur, propinquus factus est, vt valeat

illos

illos commouere. hinc enim paulo supra ab eo dictum est, non statim à bruma solem Austrum excitare, quia parum-tunc distet. Verum obiecerit aliquis, capite v. 2. Meteoron dictum esse, diem septuagesimam à brumali conuersione australem esse; antea vero adeo solem esse remotum à loco, vnde Austri oriuntur, vt minus possit illos excitare: quamobrem mirum videbitur id decimæquintæ diei posse congruere, quod tamen hic asseritur. pulchra quidem dubitatio & difficilis; respondere tamen ego, eo in loco de Etesijs austrinis sermonem haberi, qui ex materia iam conglaciata oriuntur, & continui magis spirant, quàm reliqui Austri; propterea asserere philosophum, antea solem minus posse ob distantiã: quibus verbis, posse tamen aliquid confitetur. cum enim tribus anni temporibus flare Austri soleant ex Aristotelis sententia, vt suo loco vidimus, hyeme, vere, & autumno; sol die decimaquinta à brumali conuersione, nempè hyeme, minus potest quidem, sed tamen aliquid, videlicet ex terra illa, ob solis discessum pluuijs madida, exhalationes aliquas gignere, ex quibus Austri fiant, non tamen continui. vere autem ineunte proximior factus magis potest, nimirũ austrinos Etesias ex materia antea concreta generare, & propterea Austros continuos magis; licet Etesiarum aquilonarium respectu minus continui dici debeant. itaq; locus ille huic nostro non aduersatur, nilq; continet dissentaneum. verum hæc latè à nobis alibi tractata sunt.

27 βορέων δὲ γινομένων.) γινομένων interpretatus sum spirantibus; rectius fortasse dixissem, cum flaturi sunt Aquilones, omnia reddi sicciora; cum sunt flaturi Austri omnia humidiora; adeo vt siccitas & humiditas hos flatus significent; de qua re Theophrastus tex. 17. libelli de Ventis: atq; ad hæc animum intendens Plinius ad finem capitis 34. lib. 18.
,, ita notatum reliquit, Aquilonem prænunciat terra sicce-
,, scens repentè, Austrum humescens rore occulto.

29 ἐὰν δὲ νοτίῳ ὄντων.) emendandum βορέων prò νοτίων vt verba illa, quę sequuntur εἰς τὰ νότια & c. satis monstrant. cæteroqui non posser fieri mutatio in austrinũ statum. Vide Arist. prob. 24. sect. primę & tex. 57. libelli de Ventis.

30 ἐὰν δὲ πόδες.) Si pedes intumeſcunt, id futuri Auſtri indicium eſt; excitatus enim calor & humor alienus in parte illa corporis, tumoris cauſa eſt: atqui calor alienus & humor auſtrino ſtatu excitantur, vt tex. 56. libelli de Vẽtis & prob. 23. ſect. p. monſtratum eſt. verum pedes non niſi valida exiſtente conſtitutione hac tanquam minus ſenſibiles poſſunt intumeſcere: at valido auſtrino imperãte ſtatu Ecnephias, hoc eſt procella pertimenda eſt; non fit enim Ecnephias aquilonijs temporibus, vt 3. Meteoron p. capite habemus, igitur auſtrinis: eſt enim Ecnephias ſpiritus ex nube confertim & denſior excretus, atq; eliſus, ac ſubinde violentus, qualis in valido auſtrino ſtatu excerni facile poteſt.

31 ἐχῖνος ὁ χερσαῖος.) De terreſtri Herinaceo eadem cauſa, quæ & de reliquis animalibus adduci poteſt; de quo ſic cap.
„ 6. lib. 9. de Hiſtoria Animalium Ariſtoteles. De Herinaceo-
„ rũ ſenſu locis multis perpẽſum eſt, vt qui in cauernis ſunt,
„ commutent ſua cubilia, aquilonum & auſtrorum mutatio-
„ ne. qui autem intra tecta aluntur, ad parietes diſcedunt:
„ quod ita fieri cum Byzantij quidam animaduertiſſet, conſe-
„ cutus exiſtimationẽ eſt, vt tempus futurũ poſſet præſagire.

32 ἐὰν ὄρος πρὸς βορρᾶ.) Locus corruptus eſt, & fortaſſe legendum προβοᾷ, vt de ſonitu montium ſermo ſit, de qua re ſupra annot. 25. dictum eſt; neſcio tamen an ſcopum attigerim.

33 ἐὰν ἐν θαλάττῃ ἐξαίφνης πνεύματος γαλήνη.) Delenda eſt mea ſententia vox illa πνεύματος, tanquam omnino abundãs & ocioſa. Si verò mare tranquillum repente fiat, ſignificat ventũ illũ iam ſedari, à quo cõmouebatur; vnde merito flatus promittit mutationẽ: verũ quoniam exhalationes intra ipſum mare genitę & in ſpiritũ conuerſę illud etiam agitare poſſunt, quæ exeũtes vẽtos pariunt, vt ſuo loco demonſtrauimus; propterea repentina maris tranquillitas poteſt flatus quoq; incrementum ſignificare, augeſcente nimirum marinis exhalationibus venti flatu.

34 ἐὰν ἄκραι.) Cauſa huius, & ſequentis ſigni ſatis ex ijs innoteſcit, quæ annotatione 60. ſuper libellum de Pluuiarũ

ſignis

signis dicta sunt; aër enim crassior redditus eiusmodi apparentias in aëre gignit. atqui crassus maximè efficitur ob Austri flatum; merito ergo, signa hæc Austrum portendunt. vide prob. 55. sect. 26. iuxta Theodori partitionem; nam & eadem causa hic quoq; quadrare potest.

36 γῆ τε μέλαινα.) Eadem fortasse de causa ob quam Aristoteli prob. 37. sect. 26. mare flante Aquilone obscurius atriusq; apparet, terra flatu spirante eodem cernitur nigra & obscura. Aquilo enim minus aërem perturbat, immo & serenum reddit; at omne quod minus perturbatum est nigri reddit apparentiam, vt ibi philosophus concludit. hinc serenus aër eminus inspectus & in profundo, proximè apparet colore cyaneus, propter raritatem; vbi enim deficit lumen, ibi tenebra interceptus apparet cyaneus, vt libello de coloribus docemur, toties q; superius monitum fuit: at iuxta medij conditionem, per quod fit visio, rem ipsam, quę cernitur variari, satis est perspicuum: merito igitur terra, si nigram se præbeat conspiciendam Aquilones, si albam Austros præsefert.

38 αἱ ἅλωες.) Coronæ, vt ad finem tertij capitis, 3. Meteoron monemur, sæpius circa lunam fiunt, quàm circa solem; quoniã sol calidior cum sit citius aëris dissoluit concretionem; id autem multò facilius eum efficere posse, si concretio talis sit, vt in ea exhalatio superet satis clarum est: cum enim magis ad calorem eiusmodi declinet constitutio, citius à sole dissoluetur; itaq; talis lunam facilius circũdabit. verum coronam eam ventum maximè præsagire, quæ ex huiusmodi concretione constat, latissimè patet: merito igitur coronæ lunam circundantes magis flatuũ erunt prænunciæ. corona enim quæ circa sole fit non potest, nisi ex frigidiori & vaporosa magis materia constare; nimirum tali, quæ sua frigiditate calori solis adeo aduersetur, vt nequeat dissolui.

39 ἀγχίσοι περὶ ἠελίῳ.) Dixerat superius Coronas lunam circundantes ventos magis indicare; nunc subiungit, si solem quoq; ambiant, ac dirrumpantur, non minus flatuum indicia afferre. Causa ab Aristotele 3. Meteoron cap. 3.

recenſetur; ventus enim in ipſa conſtitutione genitus eam diſtrahit, & ab aliqua parte intercidit. vnde Alexander
,, com. 12. ἤδη γὰρ ἐκεῖ πνεῦμα ἐςὶ ὑφ' οὗ τὸ νέφος, καὶ ἡ τοιαύτη
,, σύςασις διασπᾶται. quod eſt; iam enim ibi ventus eſt, qui
,, nubem & conſtitutionem frangit. at gignitur ventus ibi,
quoniā conſtitutio exhalationes habet plures & quidem aptas, vt ex illis flatus oriatur: quare non erit Albertus Magnus 3. Meteoron trac. 4. cap. 5. recipiēdus, dum ita, de ijs quæ à corona portenduntur ſermonem habens, ex Ariſtote-
,, lis ſententia decernit. Si autem, inquit attenuatur periferia
,, ipſius & diſsipatur, ſignificat ſerenitatem primo, & deinde
,, ventorum exufflationem, quia tunc in eo quod diſparet ſi-
,, gnificat materiam humidarum impreſsionum deficere in ſu-
,, blimi; quæ cadentes prohiberent ventorum exufflationem,
,, & ideo quia terra tunc continua eſt, & quia aliter ab ea ele-
,, uatur humidum, & non eſt fluens humidum in ea: ſed defi-
,, cit humidum tale à ſuperficie ipſius, ideo ventum ſignificat
,, talis effectus coronæ poſt ſerenitatem: quia in ſereno con-
,, fortatur radius ad eleuationem vaporis qui exufflat in ven-
,, to. Hæc ille, in cuius quidem oratione, multa ſunt, (& valeat quidem veritas non viri autoritas) quæ apertiſsimè Ariſtoteli aduerſantur. primum corona tria ſignificat apud philoſophum, imbres, ventos & ſerenitatem; ac imbres quidem cum nigra eſt, ventos cum frangitur, ſerenitatem cū emarceſcit: quamobrem ventos ſignificare poteſt & nō ſerenitatem, & è contra, ac ſubinde falſum eſt duo hæc coniunctim eam portendere, licet primò ſerenitatem, vt Albertus cenſuit. Secundo ventum prænunciat, vt ex Ariſtotele vidimus, cum frangitur; frangitur vero quia intra ipſam conſtitutionem flatus gignitur, non quia deficit humidum. Tertio tantum abeſt, vt impreſsiones humidæ, ſi deficiant, id eſt imbres, vt ego intelligo, ventos augurentur, vt res hæc poſsit omnino ventos tollere: Ariſtoteles enim 2. Meteoron cap. 4. Theophraſtusq; tex. 4. libelli de Ventis, idcirco plures ab Aquilone & Auſtro ventos exoriri annotarunt, quia locis illis maiores fiant & crebriores imbres, tanquam ad ſolis latera exiſtentibus; quin, vt ipſe philoſo-

phus

phus citato loco acutè docet, post imbres pleruinq; venti iflis in locis oriuntur, in quibus imbres cecidere: propterea non consentit Albertus cum præceptore, dum credit, pluuiarum lapsum flatus omnino prohibere, & vaporem ventis gignendis idoneum non posse ex terra imbribus madida excitari; præceptor enim sic iam pridem de hac re decreuit.
» Terra nanq; post delapsam pluuiam à calore partim inter-
» no, partim superno siccitate affecta halitum reddit, hic au-
» tem venti est corpus. atq; materiã, quæ hæhalat, esse potentia vaporẽ & exhalationẽ, alibi de eius mente statuimus.

40 ὅθεν ἂν κατέλληται.) Motus principium ventus è supero loco habet, vt toties dictum à nobis fuit, quamobrẽ nil mirum si vnde nubes exoritur, inde ventus debeat expectari; iam enim à vento pulsa nubes mouetur.

41 αἱ κηλάδες νεφέλαι.) Huiusmodi nubes si æstate appareant meritò ventos augurantur. cum enim minus vaporibus abundent, exhalationem ventorum materiã in illis dominari, rationi videtur consentaneum, ex quibus mox venti oriantur; æstatemq; exprimit autor, quoniam sicca exhalatio hyeme facile refrigerari potest temporis frigiditate, qua refrigerata ventus oriri nequit; quare siccæ hæ nubes minus hyeme ventos nunciant.

42 ἴαν ἀστέρπῃ.) Plura de huiusmodi signis deq; illorum causis annotatione 52. super opusc. de Pluuiarũ signis dicta sunt; quæ autem hic habentur & in quadragesimotertio sequenti signo & in quadragesimoquarto, pulchrè ostendunt, quã de causa repetat hoc in loco autor, quod iam numero 52. in præcedenti opusculo videtur protulisse: nempe si vndiq; fulgura cadant pluuias esse expectandas, ac præterea ventum. cuius rei causa ibi allata à nobis fuit. quandoquidem scribit hic, vnde crebriora fulgura ceciderint & densiora, inde ventum demonstrari: item æstate signum hoc maximè locum habere, cum vehementissimi venti per id temporis ex crebra harũ impressionum apparitione portẽdantur: tertio per hyemem & autumnum contra euenire, cũ fulgura tum ventos sedent, quæ omnia autoris consilium omnino patefaciũt. Crebra fulgura, & tonitrua per se sũpta pluuias nun-

nunciant magis quàm flatus, quia vaporibus in aqua coeuntibus fiunt, ideo signum hoc in praeedenti opusculo ponendum fuit. ventum autem insuper prenunciant, quia elisa exhalatione oriuntur, ex quo & hoc loco erat repetendum. quae tamen exhalatio, cum à vapore superetur, inde meritò ventos solū dicitur promittere, vnde crebriora fulgura ceciderint & densiora. quod si haec aestate eueniant, quo tempore & antiperistasis maximas habet vires, & vaporum exhalationumq; copia maior generatur, vt initio 4. capitis 3. Meteoron docemur; exhalationumq; potissimum ob temperamenti temporis consensionem, iusta de causa validissimi venti expectandi sunt. quandoquidem multa exhalatio est, quae excernitur ex nube, quare non solum ad fulgura & tonitrua producenda satis est, verum & ad ventos generandos; & impetu magno eadem haec mouetur exhalatio, ob caloris, qui circunstat vim, coaceruata frigiditate, ac subinde violenter facta concretione. quae omnia cum in contraria tempestate, hyeme videlicet, contrario modo contingant, iure fulgura & tonitrua hyeme facta ventos sternere dicuntur; contrariae nanq; contrariorum causę sunt. at primum longè minor vis est per id temporis antiperistaseos, immo fortasse nulla tunc efficitur; deinde in nube non tanta adest exhalationis copia, vt fulgura possit & tonitrua, ac praeterea ventos generare; itaq; si fiant, ventos sedant; consumpta in elisione fulguris & tonitrui exhalatione tota, vt nulli amplius venti sint timendi. caeterū haec satis apertè ostendunt, longè esse, quae hic tractantur, ab ijs diuersa, quae in opusculo de Pluuiarum signis scripta inueniuntur.

45 ἐὰν νότου πνέοντος.) Causa manifesta est; si .n. flante Austro corruscauerit ad septentrionem, id argumento est materiam ventis gignendis idoneam ad septentriones parari, iam iamq; Aquilonem exoriri. verum Aquilo Austrū sternit vt 2. Meteoron docet Aristoteles; itaq; desinet Auster necessario. quod si ab ortu fulgurauerit flatus Austri in tertiam vsq; diem proferri poterit, quoniam orientalis flatus natura austrinus est, nec Austrum comprimit, cum non

sit

sit secundum diametrum oppositus. quod verò subiungit autor, alios vẽtos quinta, septima & nona die cessare, intelligẽdum est fortasse, si corruscauerit à parte exortiua; quod quidem tùm in exhalationum copiam, ex quibus venti illi oriuntur, tùm ad loca ex quibus manant, & per quæ transeunt, & ad quæ vadunt referendum est. atq; interpretationem hanc, verba quæ de occiduis flatibus sequuntur, mirificè comprobant; confestim enim hi desinunt, si ad ortum fulgurauerit, sicuti & statim cessant Austri si corruscauerit ad septentriones ob dictam causam.

45 οἱ βορέαι παύονται.) Pulchra sunt & maximi momenti, quæ his verbis continentur, de quorum sententia nonnulla super tex 46. libelli de Ventis diximus. Ventorum aliqui per multos dies flant, alij per pauciores, & ij quidem omnes κατὰ περίοδον, vt diuinus docet Hippocrates libello de Humoribus; periodusq; hæc dierum, durationis ventorum mensura, in aquilonaribus ventis diebus constat imparibus, in austrinis paribus. causa (vt arbitror, quantum in re obscurissima coniectari licet) pendet à locorum natura, ex quibus hi flatus exoriuntur, quæ cum varia sint, varias etiam exhalationes reddunt, tùm copia, tùm qualitatibus nonnullis; licet essentialiter, vt mea fert opinio, exhalatio non differat ab exhalatione. Breuissima aquilonarium flatuum periodus dierum trium est, vt super tex. 46. libelli de Ventis Arist. & Theophrasti autoritate iam statutum fuit; nec potest esse dierum pauciorum, quia nos sub vrsam habitamus, & locus ob continuas pluuias maximè exhalationibus abundat: itaq; vel quæuis imbecillissima causa tantas potest generare, vt ad diem tertiam Aquilonis flatus prorogari valeat; accedente etiam breuitate itineris, quod pertransit. atqui res naturales ea, qua oriuntur, proportione, eadem ferè incrementum recipiunt & duratione; itaq; Aquilo si per plures dies spiraturus est perpetuò dierum triades affectat, atq; hanc periodum retinet. De Austro alia ratio est, vt enim diuinè docuit tex. 47. Theophrastus, breuissimus Auster & debilissimus lógiori tempore durat, quàm trium dierũ sit interuallum; à potentiore nanq; cau-

sa

sa gignitur, nempè à calore vehementiore; ac propter regionis vastitatem, vt ad finem quinti capitis 2. Meteoron scribit Aristoteles, plurimę colligũtur exhalationes; qua de re breuissimus Australium terminus quarta erit dies. iusta ergo de causa Aquilones impari, Austri dierum numero pari cessare dicuntur. quę omnia vt plurimum ita euenire monet autor, cum alioqui non exiguam nanciscantur varietatem, quemadmodum in alijs quoq; naturalibus rebus vsuuenit. verum dubitatio oritur, nam paulo supra dicitur Auster tertia die quiescere; igitur & dierum numero impari. respondeo intelligendum esse hæc austrinis flatibus per se sumptis congruere, cum videlicet nulla res eft, quæ impediat, & vt plurimum: in superioribus autem verbis, si ab exortiua parte fulgurauerit ponitur Auster tertia die cessare; materia enim, quæ ad ortum transit, consuetam periodum Austrum retinere prohibet; itaq; nulla est contradictio.

45 ἄνεμοι λήγονται:) Totus contextus 19. libelli de Ventis diligenter legendus est, atq; ea quæ ibi attulimus, præsertimq; annotatio quarta, vt hęc omnia rectè intelligamus. quare enim venti sole oriente, & occidente sterni soleant, vel excitari eo loco explicatum est: quòd verò ad lunã pertinet, maiorem habet res difficultatem. nam vel sententia esse potest, quos flatus sol oriens sedat, eosdem lunam surgentem commouere. quem sensum si sequamur, vt secuti nos sumus in versione, asserendum erit verba illa corrupta
,, esse, ἐὰν ἀνατέλλων ὁ ἥλιος καὶ σελήνη παύσωσιν, ἐπιτείνει τὰ
,, πνεύματα. ac legendum quidem καὶ σελήνη ἐπιτείνει τὰ πνεύματα; nimirum quia luna oriens eos flatus mouet, quos sol comprimit emergens. vel sententia potest esse, quos flatus sol & luna oriendo sedant, eosdem occidẽdo excitare; ita vt verbis illis, ἐπιτείνει τὰ πνεύματα, subaudiamus δύνων ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη, vel tale quid ad sententię integritatem. & fanè posterior hæc interpretatio, nescio quomodo mihi magis impresentia arridet. Sol enim flatus sedat, vt tex. 19. libelli de Ventis habemus, humidam partem exsiccans & tabefaciens; quare occidens eis tantũ motũ impartit, qui nimio

calore

calore quasi exhusti detinebantur; quos quidem nulla suadet ratio, vt luna egeant ad hoc vt moueantur; cum satis occasus solis & discessus esse videatur, quo absente, calore illo excedête remisso & temperato, iam moueri ex se vêtus potest. quamobrem exhalationes proprias fortasse habebit luna, quarum ciendarum potestatem sortiatur; quod sensisse tex. 19. citato videtur Theophrastus, scribens, lunam eadem efficere in flatibus commouendis vel sedandis, quæ sol efficit, quanquam non modo eodê; atq; hoc in loco apertè inquit, lunam, cum oritur, flatus ciere, & si posteriorem hanc sequamur interpretationem, similiter sedare, idemq; cum occidit efficere. quæ omnia si accuratè perpendamus, quid voluerit Theophrastus, cum tex. 19. dixit non eodem modo lunam ventos mouere, vel comprimere, facilè fortasse assequemur; quod non leuem alioqui habet difficultatem. alius enim, acutius introspicienribus, videbitur forsitam esse operandi modus lunæ, alius solis. sol oriens eas ciet exhalationes, quæ calore egent ampliore, cum humore abundent; ita enim docet Theophrastus, at si eius co-
» pia amplior fuerit, impetum affert, ac motionem reddit ve-
» hementiorem: eas sedat, quæ è contra calore abundant, hu-
» more egent; cum enim, qui ascendir humor, exiguus fuerit, hunc sol vincens absumit, & exsiccat, ac cessare facit, vt idem inquit. Occidens contraria de causa eas sedat, quibus motum attulit, eas mouet, quæ sedauit. luna igitur per se sumpta nil fortasse poterit circa huiusmodi exhalationes operari: enimuerò cum multò minus possit, quàm sol, nec valebit emergens eas, quas sol oriens sedauit, commouere, nec quas excitauit, sternere; quoniam, etsi humores augendi vim habeat, tamen & nonnihil calefacit; quare addens aliquid etiam caloris, nullum motum eis impertietur, quas sol oriens sedauit: debet enim in hisce exhalationibus non solum augeri humor, sed etiam calor remitti, vt moueantur. item nec poterit eas, quibus sol impetum attulit, comprimere; quandoquidem vel hæ moueri desinunt, quoniam sol occidens motionem, id est calorem, quem illis tradidit aufert, vt inquit autor, quare nil aget luna ad ho-

rũ quietem producendam, vel si adhuc moueri possunt, non adeo augebit luna humorem, vt motum impediat, quoniam simul etiam calorem auget, ex quo & vim habet aliquatenus exsiccandi. quod idem cum occumbit videtur asserendum; neq; enim eas mouere poterit, quas sol oriens sedat, quin potius ad tollendam motionem concurrere videbitur; si sua pręsentia plurimum, vt nonnulli putant, humefacit: abeunte enim luna deficiet magis in illis humor. nec poterit rursus occidens, quas sol mouet comprimere ob eandẽ causam; occumbens enim humorẽ minuit, quem tũ ampliorem hæ desiderant. quamobrem suas luna habebit exhalationes, quas commoueat; vt merito dixerit Theophrastus, non eodem modo eam operari; quando non diuerso tantum, vérum etiã contrario agere videatur; sol .n. absumẽdo humorẽ, calorem augẽdo flatus sternit; luna humorẽ ẽ cõtra augendo; sol augendo calorem mouet; luna è contra augendo humorem. quod si, vt nonnullorum opinio est, luna plus efficit humiditatis quò plus luminis habet, quemadmodum prob. 14. sect. 24. videtur etiam sensisse Aristoteles, nõ incongruẽ affirmari poterit, quos flatus sol ciet emergens, eosdem lunam surgentem sternere, quos sedat sol, lunam commouere. motum enim talibus impartit sol, quia calorem auget, cum plurimũ habeant humoris; igitur exoriente luna augebitur vltra modum ille humor, ex quo & flatus cessabit. sternit tales sol, quia humorem exsiccat, at luna exoriens humorem augebit, quamobrem causa erit vt moueantur. Verum hęc latius alio loco disputabuntur. Quod vero de ventis interdiu exorientibus additur, ex ijs, quę tex 46. & 47. libelli de Ventis habentur, satis comprobatur; ac de aquilonijs ventis maximè veritatem habet, & de reliquis omnibus præter austrinos. qui enim flatus à robustiori principio generantur, ij necessario diuturniores sunt & potentiores; at calor maiores interdiu habet vires, quàm noctu, igitur & tũc maiorem exhalationum copiam excernit. in austrinis autem ventis res aliter contingit ob causas tex. 47. libelli de Ventis à Theophrasto adductas.

45 ἐαν ἐπιεικῶ.] Aristoteles 2. Meteoron cap. v. de causis agens

„ agens tranquillitatis scribit sic. Omnino autem aëris tran-
„ quillitas duabus de causis existit: aut præ frigore, quod
„ exhalationem extinguat, vt cum gelu vehemens fuerit, aut
„ cum ab æstu consumitur: frequenter vero & medijs tempo-
„ ribus, aut quod nondum exhalatio reddita sit, aut quòd
„ iam euanuerit, nondumq; alia affluat. postrema autem causa ijs quadrat quæ hic narrat Theophrastus. si enim Etesiæ tota flauerint Opora, autumnusq; insuper flatus perpetiatur, rationi consentaneum est hyemem tranquillam esse, ac ventis carere. cum enim in præcedenti tempore materia tota consumpta sit, ac iam euanuerit, nondumq; alia affluxerit, necessario hyems erit à ventis silens. quin etiam, & cum in transitu autumni in hyemem mutatio in aëre fieri debeat ratione dichotomię, omnis verò mutatio in cōtrarium sit, iure autumnus ventis perflatus hyemem tranquillam augurātur. atq; hinc vides quomodo ex vnius temporis statu sequentis temporis status possit præuideri; nā & hoc consilio scribuntur in his opusculis hæc à Theophrasto.

46 πρὸς κορυφῆς ὄρου.) Nubes mouentur à ventis, quia illorum principium desuper est. nil ergo mirum, si ex nubium situ qua ex parte flaturi sint pręnunciatur. eademq; causa in signo sequenti 47. locum habet. addoq; in stellato loco ὁ ἄνεμος.

48 μεσος διεζευγμένος.) Lego μύσιος, vt de Mysio monte sermo sit. significant autem montes nubibus pręcincti Austrum, quoniam humidiores cum fuerint nubes descendunt, non consident ad summitates, ac montes ipsos præcingunt. at austrina iam vigente tempestate humidior aër redditur; iusta ergo de causa signum hoc Austros portendit.

49 οἱ κομῆται.) Comere, quomodo & flatus & squalores indicent, satis ex cap. 8. primi Meteorou constat.

50 μετὰ χιόνα νότος.) Lege prob. 3. sect. 26. & tex. 49. libelli de Ventis; atq; vim naturamq; mutationis animaduerte.

51 μύκητες.) De Fungis abunde dictum est annot. 17. & 18. super libellum de Pluuiarum signis; nonnullaq; inferius annotabuntur.

51 τῶν δὲ ἀνέμων ἔτι πνεύσουσι.) Lego καταπνέουσιν τοῖς ἄλλοις; & mox καὶ ἐπιλείπουσι.

51 ὅταν δὲ μὴ ὑπὸ ἀλλήλων.) Nota duplicem ventorum interitum, vnus est, cum alter in alterum incidit, vt Aquilo in Austrum, & contrarius in contrarium; atq; hunc vocat autor ἀντιλύσιν. alius, cum mutantur dextrorsum pro solis latione, quem μάρανσιν appellat. de qua re plura annot. vltima super tex. 51. libelli de Ventis dicta sunt; postrema enim verba hæc ad annuam ventorum spectant περίστασιν.

51 ὁ νότος ἀρχόμενος ξηρός.) ξηρός, idest sine pluuijs, cum alioqui etiam siccus Auster humidus sit, vt alibi ex Hippocratis & Aristotelis sententia notauimus, ex quo & vox opposita, ὑγρός, pluuium Austrum significabit. in fine enim magnus semper nubilus & pluuius flat Auster; quapropter & Theophrastus, cum definit, humidum esse scribit; ponitur enim Auster ex omnium sententia humidus & calidus, Aquilo è contra frigidus & siccus; nobis enim ferè semper serenus est ob causas in libello de Ventis à Theophrasto allatas. hec tamen obstat Hippocratis & Aristotelis autoritas, qui mira consensione Aquilonem humidum videntur statuere; quibus accedit Olympiodorus 2. Meteoron ad finem scribens, Aquilonem humidiorem esse ventum & ponderosiorē, ideoq; in Notū incidentem, acutam siccamq; ipsius vim humectare & dissipare. quod enim lib. 2. de Diæta & cap. 3. 2. Meteoron scriptum est, Aquilonem, quia ex humidis locis spirat, maximè vaporibus plenum esse oportere, non facit id quidem, vt humidus flatus hic ad nos perueniat, sed tantum, vt sub Vrsa talis sit, vbi exoritur; nam cum ex terra accedat, necessario resiccatur; quicunq; enim venti ex terra accedunt, eos necesse est sicciores esse, tùm à sole, tùm à terra resiccatos, vt diuinè 2. de Diæta docet Hippocrates. quamobrem è contra Austri, tametsi sicci in Africa sint humidi tamen ad nos accedunt, quia non terram, sed mare traijciunt, & humida loca. quanquam ἀτμιδώδη vocat fortasse Aquilonem Aristoteles, non tàm quia humores secum ducat & vapores, quàm vt ostendat naturam exhalationis, ex qua constat; quæ, vt acutè Olympiodorus citato

loco

loco docet, multa est & humidior, tanquam in locis nascens, quæ multò humore madent; quemadmodum in humidis & viridibus lignis contingere videmus. quare non ob id erit humidus Aquilo; sed omnino siccus, idq; multis de causis ei congruit. Primum vt tex. 59. libelli de Ventis docemur siccant venti, cum frigidi sunt, & magis quàm sol, ac frigidissimi id maximè efficiunt. frigus enim exsiccat, licet non primo & per se; sed vel quia vapores humoresq; cogit, vel quia calorem fugat & exprimit, quem propria humiditas veluti formam materia consequitur pariterq; euaporat: verum Aquilo frigidissimus est, igitur & maximè siccat. secundo septentrionales flatus nubes ob propinquitatem expellentes sunt sereni, sicci verò dicuntur venti ab Aristotele potissimum, qui serenitatem faciunt, nec pluuias afferunt. Tertio flatus ex ea parte flantes resiccati ad nos perueniunt, quoniam terram pertranseunt, nam & hæc altera causa est ob quam sicci vel humidi flatus ab Aristotele dicuntur; quo enim plus minusuè humore venti habundant, humidi quoq; vel sicci ab eo appellantur: quo pacto tametsi sereni sint, humidi tamen ab eodem dici solent; quemadmodum de Aquilone apparet, quem sub Vrsa, vbi incipit, humidũ esse, tanquam maximè vaporibus plenũ, & nihilominus serenum 2. Metceron citato loco dixit Aristoteles. nosq; alibi animaduertimus, vt huius annotationis initio indicatum est, Austrum, cum serenus spirat, non tamen de Hippocratis & Aristotelis sententia amittere humiditatem. est tamen Aquilo nostris locis omnino siccus, tùm quia serenus, tùm quia resiccatus & vaporum expers ad nos accedit: item maximè frigidus, quoniam ex locis oritur frigidissimis. Auster è contra omnino humidus, quoniam pluuius, & vaporum plenissimus, mare transiens, ad nos penetrat: præterea calidus quia ex locis calidissimis ortũ ducit. non me tamen præterit de horum ventorum qualitatibus, deq; illarum causis multos multa disputasse, præsertimq; Neotericos, atq; inter hos Valesium cap. 50. & 86. sacræ philosophiæ. censet hic vir ignem elementarem non esse in vno quodam loco, vt reliqua elementa, sed permeare

per omnia, sequi verò magna ex parte solis lumen ob analogiam tractũ,atq; ideo, vbi plus luminis est, esse etiam plus caloris, ijs quæ à sole illuminantur à subsequenti igne calefactis. cum ergo ad meridiem sit copiosissimus, & inde ad mundi latera sese effundat, nimirum vt ipsum lumen solis; ventum, qui contra meridiem fertur, ignem à rebus, quibus occurrit, abigere, illi contrarium motum subeuntem: qui vero fertur cõtra septentrionem, ignem adducere, quia similem illi motum subit. propterea Austrum, quia à meridie flans ignem allicit, calidũ esse; Aquilonem contrariam ob causam, quia versus meridiem spirans ignem fugat, esse frigidum. rursus Austrum humidum esse, siccum Aquilonem, quoniam ventus, qui venit à frigidiori mundi parte, à frigidiori cœlo repulsus non effertur in sublime: sed decurrit iuxta terram, ac proinde humiditati aëris sublimioris minus admiscetur; contra qui venit à parte mundi calidiori, effertur in regionem mediam aëris vbi à vaporibus, quibuscum miscetur, multam recipit humiditatem. Verũ multa sunt, quæ huic sententiæ aduersantur; Primum repugnat ordinationi vniuersi ignem non esse in vno quodam loco; cum enim & terra, & aqua & aër proprium habeant locum, cur etiam & non ignis? deinde sequi ignem lumen solis ob analogiam tractum, hoc probandũ Valesio est, quod tamen multis argumentis elidi potest, vt alibi fuit à nobis demonstratum. tertio Auster noctu exortus & spirãs non minus calidus est, quàm qui interdiù à meridie venit, at tunc nullum ad meridiem lumen solis est, ergo & nullus ignis; quamobrem calidus esse non deberet. Adhuc Auster in Africa siccus est; Hippocratis Aristotelis & veterum recentiorũq; omnium testimonio, sed propter Valesij rationẽ nihilo minus ibi, quàm apud nos humidus esse deberet, immo etiam & magis; nã & locis illis à parte mũdi maximè calida venit, quare & maximè efferri oporteret in sublime; atq; in mediam aëris regionem. demũ Aquilo sub Vrsa maximè siccus esse deberet, tanquam repulsus à cœlo frigidissimo, & iuxta terram propterea decurrens, atqui humidissimum ibi eũ esse Hippocrates & Aristoteles censuere; quo-

rum

rum ſententiæ ratio adſtipulatur. nam & quo modo ventus in humidiſsimo loco ortus & humidiſsimum traijciens, non poteſt non eſſe humidus? Valeſius enim cap. 50. concedit inde ventos temperiem accipere, vnde recipiunt differentiam, nempè à locis ex quibus & in quæ feruntur: ſed hæc fuſius alio loco. Si quis tñ vetuſtiorem aliquem de horum ventorum qualitatibus legere cupiat, deq; illarum cauſis, is magnum Albertum 3. Meteoron tract. primo cap. 2. videat, qui Auſtrum calidum eſſe ſtatuit, quoniam ex locis maximè calidis ortum ducit; humidũ nobis, quia verſus ſeptentrionem ſpirans, vbi multi adſunt humores, ſuo calore illos attrahit. Aquilonem verò frigidũ, quia ex parte frigida; ſiccum, quoniam ibi aquæ non euaporant, ex quo & nullus ibi humor adeſt, itẽ quia frigidus exiſtens nõ poteſt attrahere.

51 καὶ ὁ εὖρος, ὁ δὲ ἀπηλιώτης.) Theophraſtus hic diſtinguit Eurum ab Apeliote; Veteres tamen pro eodem ſumebant, vt cap. 22. lib. 2. notat Gellius. dicebatur enim Eurus, quaſi ἀπὸ τῆς ἠῶ ῥέων, vt idem inquit; quod etiam Vitruuius primo lib. notatum reliquit. hinc apud Homerum Eurus Zephiro opponitur, atq; Ariſtoteles 2. Meteoron nõ ſemel Eurum pro Apeliote ſumpſit, quemadmodũ animaduertit Alexander. hinc puto, quæ Theophraſtus de Apeliote ſubiungit, inquiens aquoſum eum eſſe, intelligi debere eodem modo, nempè quod incipiens ſiccus ſit, deſinens pluuius, ſicuti & de Auſtro Euroq; dixerat; Ariſtoteles enim de Apeliote, Eurum eum vocans ita ſcripſit cap. 6. 2. Meteoron; ξηροὶ δ' ἀργέστης καὶ εὖρος. ἀπαρχῆς δ' οὗτος ξηρός, τελευτῶν δὲ ὑδατώδης. id eſt ſicci autem ſunt Argeſtes & Eurus; à principio autem hic ſiccus, deſinens verò aquoſus. quamobrem pro eo quod habet hic Theophraſtus, διαλειπτῶν δὲ ἄγει τὰ ὕδατα, legendum fortaſſe διαλείπων. vt ſententia ſit, Apeliotem, cum deſinit, eſſe pluuium, quemadmodum teſtatus eſt Ariſtoteles; licet in verſione grecũ contextum ſecuti, attenuatione flatum hunc pluuias gignere dixerimus.

51 ἀπαρκτίας.) Hæc omnia ad verbum leguntur 3. Meteoron cap. 6. enumeratq; hic autor ſeptentrionales flatus.

Latini

Latini nostri; vt apud Gellium citato loco habemus, apud Plinium cap. 34. lib. 18. Boream, Aquilonem interpretari sunt; atq; à solstitiali exortu eum flare dixerunt: Aristoteles tamen Aquilonem & Aparctiam idem facit, atq; ab Vrsa flare dicit. ab æstiuo oriente Cæciam. sed & magis mirum,
" quod scribit Gellius citato capite his verbis. Hi sunt igi-
" tur tres venti orientales. Aquilo, Vulturnus, Eurus; quo-
" rum medius Eurus est. His oppositi & contrarij sunt alii
" tres occidui, Caurus, quem solent Græci ἀργέστην vocare:
" is aduersus Aquilonem flat. Item alter Fauonius qui græ-
" cè vocatur ζέφυρος: is aduersus Eurum flat. Tertius Afri-
" cus, qui græcè vocatur λίψ: is aduersus Vulturnum flat.
nam videtur Gellius malus omnino esse peripateticus, dum statuit, Argestem seu Caurum aduersus Aquilonem flare, Africum aduersus Vulturnum; iam diu enim validissimis rationibus 2. Meteoron cap. 6. monstratum est, contraria secundum locum ea esse, quæ plurimum secundum locum distant; quemadmodũ secundum speciem contraria sunt, quæ maximè distant secundum speciem. at distant plurimum secundum locum, quæ per diametrum mutuo opponuntur; quamobrem qui venti secundum diametrum opponuntur, hi secundum locum contrarij erunt, atq; alter aduersus alterum spirabit; secundum vero diametrum distant, vt eo loco probatum est, Caurus & Vulturnus, Aquilo & Africus; itaq; Caurus aduersus Vulturnũ flabit non aduersus Aquilonem, Africus aduersus Aquilonem, non aduersus Vulturnum, vt male contra decreta peripatetica Gellius decreuit.

51 αἴθριοι δὲ μάλιστα.) Aquilonij vẽti maximè sereni sũt; è propinquo .n. flantes nubes expellũt ex locis nostris. Hinc Horatius poeta elegans lib. 2. Satyr. 6. de Aquilone dixit,

Siue Aquilo radit terras: siue bruma niualem
Interiore diem gyro trahit:

radit .n. Aquilo terras scilicet loca nostra, quia nubes expellit, quare quemadmodum idem inquit Eurum imbribus radere arua, id est abstergere, quasi radat semen & auferat, ita & Aquilonem dicit terras radere, quia abstergit quasi loca nostra & radit, nubes expellens.

51 ἐκ

31 ἐκνεφίαι δὲ μάλιστα.) Sententia est, non solum Septentrioné, Thrasciã, & Argestem procellas gignere, vt expressimus in versione, sed hos tres vẽtos maximè fieri Ecnephias, id est procellas & euadere. locumq; hunc totũ ita cap. 6.
,, 2. Meteoron tractat præceptor. At procellæ, inquit, au-
,, tumno quidem maximè, deinde vere existunt, ac Septen-
,, trio potissimum, & Thrascias, & Argestes. Cuius rei cau-
,, sa est, quod procellæ maximè fiunt, cùm in alios spirantes
,, alij incidunt, quod hi potissimum alijs flantibus faciunt.
,, Cuius quidem rei causa antea dicta est. Olympiodorusq; locum explicans, duplex esse Ecnephiarum genus tradit, vnum quod integra manente, immutataq; fumosa exhalatione, nec desinente, aut repulsam patiente ex nubibus excutitur, quod Typhonem vocari scribit: alterum quod fit vento aliquo vehementi insequente & agitante nubes, alioq; vehementiori illas repellente, vt quidam fluxus & refluxus nubium videatur. postremumq; hoc genus impropriè Ecnephiam dici inquit Olympiodorus, atq; de eo hoc loco sermonem esse censet. Olympiodoriq; sententiæ se Vicomercatus subscribit com. 55. 2. Meteoron; vt dicendum videatur, Theophrastum quoq;, qui de eodem Ecnephiarum genere loquitur, de impropriè appellatis Ecnephijs verba facere. Verum si Aristotelis verba accuratè perpendamus, quiduè propriè Ecnephias apud ipsum sit, intelligamus, statim, Olympiodorum, atq; eum secutum Vicomercatum, plurimum ab eius mente aberrasse, elucebit. Tria sunt quę his in locis ab Aristotele & Theophrasto ponuntur. primũ autumno maximè, deinde vere Ecnephias fieri. Secundum Aparctiam, Thrasciam, & Argestem maximè Ecnephias euadere: tertium, Ecnephias maximè fieri, cum alij venti in alios spirantes incidunt; quæ omnia sigillatim tractanda sunt & causæ inuestigandę; vbi tamen antea, quid propriè Ecnephias sit secundum Aristotelem decreuerimus. Ecnephias ventus est densus confertim & continuus ex nũbe excussus, nam & propterea ἐκνεφίας dicitur generis nomen retinens, cum non minus Tonitrua, Fulgura, Typhones, Præsteres & Fulmina è nubibus excutiantur. quamobrem

mobrem illud, è nube excussus, loco generis est ; reliqua vero omnia loco differentiæ; quia enim confertim excernitur & densior, id est minus tenuis, & continuus, nec secum nubem trhait ab alijs differt ; qua de re Aristoteles continuam & multam exhalationem esse, quæ in ortu Ecnephiæ eliditur notatum reliquit. quoniam enim confertim excernitur, & quia continua, ideo multa est, ac subinde violentus Ecnephias, cum secretionis celeritas vires adijciat. Itaq; quia confertim & continuè, & densior excutitur, differt à fulguribus & tonitruis, quæ paulatim sparsimq; & tenuiora excernuntur, ac propterea persępè. quia excernitur ex nube & continuatus fit ventus, rectaq; fertur non in gyrũ, nec subsequitur nubis ipsius continuatio, differt à Typhonibus, ex quo & non adeo densus Ecnephias est, vt Typhon, id est vt ego interpretor, non adeo humidus. ventus enim qui Typhon euadit non potest ob suam densitatem & humiditatem à nube liberari vt inquit Aristoteles, quare & secum nubem trhait; cum alioqui Ecnephias, eam non trahat, sed ab ipsa liberatus excernatur. atq; hoc est quod inquit Aristoteles Typhonem esse veluti Ecnephiam inconcoctum; quod enim concoctum est siccius redditur, vt tex. 18. 4. Meteoron docemur; atq; spiritus siccior facillimè à nube humida liberatur, tanquam tenuior; humidior, minus facile, tanquam densior. hinc notatum reliquit philosophus aquilonijs temporibus nõ fieri Typhonem, neq; niuosis Ecnephiam, propterea quòd omnia hæc spiritus sunt, & spiritus sicca & calida exhalatio; cum enim gelu & frigus eam extinguant, quale niuosis tẽporibus dominatur, Ecnephias verò oriatur cũ multa & continua ex nube exhalatio excernitur, niuosis tẽporibus gigni non poterit Ecnephias, quia tunc vel tota exhalatio, vel maior pars frigore extincta desit: rursus cum Typhon humidiorem aëris statum requirat, non poterit aquilonia vigente tempestate gigni, quoniam exhalatio tunc siccior, à nube poterit liberari; quę maxima & precipua est inter Typhonem & Ecnephiã differentia, atq; 2. Meteoron ab Aristotele tradita, quidquid Vicomercatus com. 3. contendat. quandoquidem philosophus

phus licet vorticis, qui in terra in portis aut vijs fit discri-
men tradat, & eius qui fit in nubibus κατὰ τὴν ἀρχὴν. quod
est, vt ego explico, penes principium ipsum, nempe eo in lo-
co, in quo principium ventus habet, in supero videlicet,
cum alioqui alter, in infero & in ipsa terra fiat. nihilomi-
nus differentiam simul Ecnephiæ exprimit & Typhonis, in-
quiens Typhonem secum nubem trahere, Ecnephiam ab ea
liberari. quod quidem in aquilonio aëris statu contingere
,, non posse philosophus monet; cum enim dixisset βορείοις
,, δ' οὐ γίγνεται τυφῶν. id est aquilonijs non fit Typhon. sub-
,, iungit paulo infra rationem adducens, οὐ δὲ βόρεια τὰ ὑγρά,
,, id est neq; aquilonia sunt, quæ humida sunt: frigida nimirū
& sicca sunt aquilonia, quamobrem, vel frigiditate exhala-
tionem extinguunt, vel eam reddunt sicciorem, vt facilè
excerni è nube possit; atqui, vt subiungit Aristoteles, oti-
tur Typhon, cum Ecnephias euadens non potest è nube ex-
cerni & liberari, igitur aquilonijs temporibus nequaquam
orietur; quoniam vel non fiet, vel erit Ecnephias nubem
,, relinquens, non Typhon. atq; hanc illorum verborum οὐ δὲ
,, βόρεια τὰ ὑγρά, quæ alioqui obscurissima sunt, accomoda-
tiorem esse interpretationem, quàm si dicamus aquilonia
tempora humida esse & pluuia Aristotelem præter sensus fi-
dèm & rationem affirmare, (quod tamen maximis viris pla-
cuisse video,) satis, arbitror cuiq; est perspicuum; aut si cū
Olympiodoro asseueremus, loca aquilonia esse humidiora,
cum satis constet de Græciæ locis Aristotelem verba fa-
cere; vel cum eodem τὸ ψῦχος, hîc pluuiam; πάγον Aquilo-
nem significare; quæ omnia nullam, vt verum fateor, ha-
bent probabilitatem. Demum, vt ad nostra reuertamur, si
Typhon, cū coloratur Prester euadit, iam patet quibus Ec-
nephias à Prestere differat. quod si spiritus multus ac tenu-
is excernatur, iam fulmen est, vt Ecnephias à fulmine, vel
densitate tantū, vel maximè sit diuersus. Quibus ita cogni-
tis ac natura Ecnephiæ explicata; facile modo erit eorum
trium, quæ superius posita sunt, causam venari. autumno .n.
& vere maximè Ecnephiæ fiunt (quòd Alexander tamen &
Olympiodorus, ex latinisq; Vicomercatus alijs perquiren-

dum reliquerunt) quoniam duo hæc tempora præ cæteris πνευματώδεστατα sunt, id est flatibus & exhalationibus maximè abundãt vt cap.8.2. Meteoron dixit Aristoteles; quamobrem cum exhalationum habeant copiam, Ecnephias vero multa & continua exhalatione opus habeat, iure temporibus illis præsertim gignitur. præterea autumnum siccum esse natura, vere autem humiditatem expelli incipere, idcircoq; exhalationes sua natura siccas facile his tẽporibus gigni. item Aparctias Thrascias & Argestes maximè Ecnephiæ fiunt, tùm quia frigidi cum sint, nubes cogunt; ac frigoris efficiẽtia Ecnephias, quemadmodum & fulgur excitatur, quippe qui coeuntibus nubibus excernitur: tum quia cum in alios incidant, nec desinat flare, quin potius alios sternant, retardatur quodammodo exitus exhalationis ex nube, ex quo & coacervata exhalatio mox multa & confertim & continua è nube prodiens, Ecnephias euadit. tertio fit Ecnephias maximè cum vẽti in alios spirantes incidũt, ob dictã causam: quod si hæc vera sunt iã patet, secus omnino quàm Olympiodorus scripserit sentiẽdũ esse; nam Ecnephias, qui è nubiũ cõflictu expressus se emittit nõ repulsa exhalatione, Typhõ vocari nequit, quin potius è cõtra Typhon repulsa exhalatione oritur; & ipse Arist. ac Theophrastus in præsenti loco de iis vẽtis, qui propriè Ecnephiæ fiũt, sermonẽ habẽt. demũ de Typhonibus etiã possũt verba interpretari, quod tñ negat Olympiodorus, si Aparctiã, Thrasciã, & Argestẽ in alios incidẽtes, intelligamus, nõ solũ retardari, sed etiã à cõtrario flatu repelli, adeo vt vortex fiat.

52 ἐν τῇ θαλάσσῃ πίπτῃ.) Emendo πίπτωσι. Plinius sic locum hunc attingit. „Lanugo populi, aut spinæ volitans, „aquisq; pluma innatans, &c. ex quo & Virgilius ante illũ

Sæpe leuem paleam, & frondes volitare caducas,
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

sed cur dicit Theophrastus si ferantur ad mare, vel in mari? fortasse propter situm Athenarum; nam & vbi nullum adest mare nihilominus lanugo per aërem volitans ventum indicabit; sed cur addit magnum ventum hoc signo præsentiri? fortasse, quia non nisi vehementi quodam motu aëris ex arbori-

boribus lanigeris, lanugo aufertur, qui magnum ventum propterea spondet iam iam validè aërem ipsum commouentem.

53 ὅθεν ἂν ἀςέρες.) Signum hoc & sequens ad Astrorum eiaculationem spectantia, iam pridem num. 11. praecedentis opusculi enarrata sunt.

FINIS.



ANNOTATIONES IN LIBELLVM DE Signis Tempestatum.

Χειμῶνος δὲ.) Quid sit χειμὼν propriè, perbellè inuenio ab Aristotele deffinitū ad finem prob. 25. sectionis 26. vbi sic loquitur philosophus, ὁ γὰρ ὄμβρος χειμὼν ἐςὶν οἰκειότατος τῷ πνεύσαντι πνεύματι. querens enim, cur si circa Aequinoctium autumnale Africus spirauerit, pluuiae fiant, duas huius rei adducit rationes: prima est, quoniam Aequinoctium hyemis atq; aestatis confinium est, sol vero quo orbis loco fuerit inde ventos excitat; quare, cum nobis conspectum Aequinoctium pertransit, iamq; se dat iustum transgressus limitem, hybernae regioni, ventos ex illa parte mouet, quorum primus Africus est natura humidus. cum igitur partem orbis hyemalem teneat, flatusq; illi vernaculos excitet, iure contingit, vt hyemis tempestatisq; opera fiant; at inter opera hyemis pluuia est; iusta ergo de causa Africus circa eiusmodi Aequinoctium spirans pluuiam affert. Haec est prima ratio, in qua notanda sunt verba illa, τὰ χειμῶνος ἔργα συμβαίνει γίνεσθαι, τούτων δὲ ἐςὶν ὁ ὄμβρος

» βgος. rectè nanq; τοῦτο inquit ad ostendendum pluuias non sola esse temporis hyemalis, tempestatisq; opera; cum tria sint opera τοῦ χειμῶνος, vt nos alibi notauimus, pluuiæ, flatus, & frigiditas, sed pluuiæ & flatus potissimum. quamobrem pluuia quidem inter opera erit tempestatis, sed non poterit sola tempestatem efficere. Secunda ratio est Aequinoctium hyems & æstas est ἰσοκρατὴς, id est æquepotens, itaq; si alterutrum ipsorum additum sit, statim inclinationem faciet manifestam, vt lanci alteri adiunctum pondus; igitur, quoniam Africus ordine hyemalis est & natura humidus, æquinoctio additus, inclinationem in hyemem facit; & tempestatem, pluuiamq; adducit. quæ cum dixisset Aristoteles statim verba huius annotationis initio posita subiungit, inquiens, ὁ γὰρ ὄμβρος, &c. quibus χειμῶνος, naturam explicat, & vna docet cur Africus inclinationem in hyemem faciens & tempestatem, imbres debuerit afferre. inquit ergo, hyems enim & tempestas maximè propria,
» pluuia est simul cum vento; dictum nanq; est Africum, quoniam ordine hyemalis est, & natura humidus, æquinoctio additum in hyemem facere inclinationem, at maximè propriè hyems, aqua cum vento est, igitur aquam Africus spirans excitabit. ex quibus notare possumus, χειμῶνα, tempestatẽ tunc propriè in aere vigere, quando simul cum venti flatu cadit imber. Quod si hæc vera est verborum Aristotelis interpretatio, quàm longè Theodorus ab illius mẽte discesserit, ita locum interpretatus, imber enim hyems est
» flatibus familiarissima. vel vt in alio codice inueni. imber
» enim hyemis est flatibus familiarissimus; facile quisq; vel mediocriter in græcis literis versatus iudicare poterit; præterquàm quod ex hisce verbis nullus erui sensus potest, qui aristotelicæ disputationi quadret. Sed neq; vetus Interpres scopum attigit, dum ita Aristotelis orationẽ interpretatus est. Imber enim hyemis est magis proprius flanti ven-
» to. verum hæc, (testis est mihi Deus) non alicuius calum-
» niandi gratia, sed vt studiosorum bono, quantum in nobis est, consulamus.

I οἷον ἐς τὸ τρίτον μέρος ἀπολιμφθῇ.) Locus hic diu mul-

tum-

eumq; me torsit non intelligentem, qui fieri posset, vt sol, sicuti in occasu diuisus & nubibus tectus apparet, ita & dies expectandos esse moneat. verum apud Plinium forrasse reperi apertissimam huius nodi dissolutionem. ipse enim de Luna sermonem habens sic notatum reliquit cap. vlt. lib. 18.
» Nascens luna si cornu superiore obatro surget pluuias de-
» crescens dabit: si inferiore ante pleniluniuim: si in media ni-
» gritia illa fuerit imbrem in plenilunio. enimuerò, si ex nubeculis & vaporibus lunæ aliam & aliam partem obsidentibus, qui dies futuri hyemales sint, captari indicia possunt; cur ergo non idẽ licebit ex nubibus solare corpus circumcludentibus argumentari? quemadmodum igitur, si nascente luna cornu superius obatrum fuerit, id est aquilonium, post pleniluniũ pluuię portenduntur, quia materiam id mõstrat ad septentriones esse paratam; septentrionalis vero aër minus ad imbres gignendos aptus est, vt post pleniluniũ, id est cum luna decrescere inceperit, pluuiarũ lapsus idcircò retardetur. si vero cornu inferius, nimirum australe huiusmodi fuerit, ante plenilunium, quoniam parari vapores ad Austrum id ostendit, austrinus verò aër facilius pluuias gignit, vt 3. Meteoron docet Aristoteles & idcircò citius eas affert, nimirum cum luna crescit & ante plenilunium: demum si nigritia inter vtrunq; cornu fuerit, meritò imbres circa medium tempus spondet, quod est circa plenilunium, ita si sol labens, tertia corporis sui parte tectus occumbat, non ante tertiam diem hyematurum monstrat. si parte dimidia, die secũda. si totus nubibus obsessus occidat, prima die. quanto enim minus corporis & luminis relinquent nubes, tanto celeriorem fore tempestatem indicant, nimirum exhalationum copia ampliore coaceruata. Hæc Theophrastus, quæ concisè prolata obscuriorem locum hunc reddunt; siquidem in græca lectione oratio manca est, & ad id antecedens, veluti si tertiam ipsius partem nubes occupent, deesse consequens constat, quod nos tale adiecimus, tertia ab occasu die tẽpestas orietur; quę res non est Aristoteli & Theophrasto insolens, vt hi facile norunt, qui in eorum lectione sunt versati.

2 καὶ εἰ ἐλλιπῆ.) Lego καὶ εὖ, quam lectionem comprobant, quæ in præcedenti opusculo annot. 10. dicta sunt; vbi eadem penè scripta inueniuntur; ex quibus satis constat, hic quoq; de lunæ cornibus sermonem haberi.

5 καὶ ἐὰν κατεσφαδᾶσι.) De Animalibus, & qua de causa varia signa ab eis afferantur, dictum est annotat. 15. in proœmium opusculi de Signis Pluuiarum, & annotat. 21. & 22. eiusdem opusculi. neq; enim Valesij opinionem hac in te pœnitus admittere possum, qui cap. 30. sacræ Philosophiæ causam magnæ huius præsensionis, quæ in brutis conspicitur, esse rectissimè dicens, maiorem brutorum compassionem cum causis corporalibus; mox causam causæ inquirens addit, cum hæ sensus afficiant, brutorum animas (vt quæ mente carent) sensibilibus magis affici: idcircò exordia futurorum motuum sensus brutorum magis afficere. vt enim qui carent oculis audiunt exactius, ita quæ mente carent animalia exactius sentire; propterea in fatuis ac stupidis esse diuinationem: vt enim homines prudentia, ita bruta valere diuinatione; atq; vt se habent bruta ad hominum genus, ita inter ipsos homines fatuos ad prudentes. quandoquidem hoc pacto omnia bruta præsentirent; quod tamen de ouibus apertè negauit Aristoteles, ita scribens cap.
„ 3. lib. 9. de Animal. Historia. Mores autem animalium, vt
„ dictum iam est differunt inter se fortitudine, ignauia, man-
„ suetudine, ferocitate, mente, dementia; iam enim genus
„ ouile amens, & moribus vt dici solet stultissimis est, quip-
„ pe quod omnium quadrupedum ineptissimum sit. repit in
„ deserta sine causa: hyeme obstante ipsum sæpe egreditur
„ stabulo: occupatum à niue & c. atqui secundum Valesij rationem ouile genus tanquam amentius, reliqua in præsensione deberet antecellere; quod falsum esse & re ipsa & Aristotelis testimonio constat. probabilior igitur nostra opinio, diuersas animantiũ species ob diuersas temperationes, modo motuũ exordijs consentientes, modo aduersantes, ab ipsis exordijs variè commoueri, & sua quæq; signa dare. Quod verò ad præsentem rem pertinet, ira de prudentia Gruum cap. 10. lib. 9. de Hist. Animal. Aristoteles scribit.

,, bit. Grues etiam multa prudenter faciunt: loca enim lon-
,, ginqua petunt, sui commodi gratia: & volant altè, vt pro-
,, cul prospicere possint, & si nubes tempestatemq; viderint,
,, conferunt se in terram & humi quiescunt. Hæc ille, quæ
num. 14. opusculi de serenitatis signis & tranquillitatis acutè tangit autor noster; ex quibus omnibus, cur, si retro flectant Grues, tempestatem augurentur satis constat, cernentes enim illam ab incepto itinere desistunt, & auertuntur. De reliquis verò signis ab animalibus sumptis, quæ sequuntur, quod ad causas pertinet, nil dicam, cum vnam eandemq; omnia causam habeant, iam pridem à nobis explicatam.

12 ϛρουθοὶ ἐὰν λευκοὶ.) Id totum ad medij aërisq; conditionem, per quem fit visio, referendum est. si enim exhalationum magnam habeat copiam aër non vaporum tantum, temperaturaq; sit austrinus, aues colore nigriores, albæ apparebunt; quod quidem sequissimæ tempestatis est argumentum, qualis aduentu Austri cum magno imbre solet excitari. quod si aër temperatura fuerit aquilonius, magisq; vaporibus abundabit, nigræ cernentur eiusmodi aues, pluuiam tantum portendentes; nigra enim signa omnia imbriũ indicia sunt, idq; propter vapores naturam aqueã induentes, quæ nigredinis est causa, vt toties in superioribus fuit ex Aristotele demonstratum.

14 καὶ ἐὰν ἐκ πελάγους.) Expirat enim ex mari tetrus odor aliquando & exhalationum copia, dum incipit commoueri, vt nos ex Alberto Magno suo loco alibi notauimus; quod quidem indicat, tum in aëre, tum in mari magnam fieri mutationem.

16 χειμῶνα ἐὰν ἔχει.) Legendum fortasse χειμῶνος, & sententia clarior sic exprimi potest, quàm in versione feceri-
,, mus. quæcunq; signa pluuias nunciant, hyeme, si non plu-
,, uias niuem afferunt & tempestatẽ; propter temporis enim
maiorem frigiditatem pro pluuijs niues dabunt, & maiores iniurias: & verba græca, vt sensus commodus erui possit, ita mea sententia ordinanda interpungendaq; sunt, & ani-
,, mo concipienda, ἔσθ᾽ ὕδωρ σημαίνει. χειμῶνος ἐὰν μὴ ὕδωρ,

Hhh χιόνα

,, χιόνα ἄγει καὶ χειμῶνα.

19 φωνῇ ἐν λιμένι.) Fortaſſe φωλις. quod non audeo affirmare.

20 πνεύμονες οἱ θαλάττιοι.) Piſces marini ſunt, quorum meminit Ariſtoteles cap. 15. lib. v. Hiſtoriarum, ſpontaneam habere eos generationē tradens. de quibus etiam multa Plinius lib. 9. cap.47. & lib 32. cap. penultimo, inter quę & illud mirum, ſi confricetur Pulmone marino lignum ardere videtur, adeo vt baculum ita præluceat; ſi igitur multi in mari appareant annum augurantur hyemalem; latere enim ſolent in arena nō ſecus ac alia ſui generis. ſi vero exeant & ſe cernendos præbeant; id ſane efficiunt, mutationem magnam ſentientes, quæ cum ad multos dies extendi poſsit, merito hybernum annum prænunciant. vnde Plinius locum hunc attingens ita notatum reliquit. ,, Pulmones marini in ,, pelago plurium dierum hyemem portendunt. de reliquis signis, ſuperius diximus.

26 προπαρασκευάζονται γάρ.) Neſcit ſe temperare autor, quin cauſas innuat; cum ergo voraciora cernuntur ad paſtū animalia, mutationem aliquam indicant: ſe .n. præparant, natura monente: auctoq; ventriculi calore ob externum frigus quod iam dominari incipit, excitatur fames.

28 καὶ κύων τοῖς ποσὶ.) Lego ποσὶ.

30 γῆς ἔντερα.) Quæ ſint terræ inteſtina declarat Aratus verſibus illis.

καὶ πλαζόμενοι σκώληκες
κεῖνοι, τοὺς καλέουσι μελαίνης ἔντερα γαίης. id eſt.

Atq; obeuntes vermes
Illi, quos vocant atræ inteſtina terræ.

quod tamen non tempeſtatis, ſed pluuiarum tantum ſignum eſſe voluit.

31 καὶ ἐὰν πυρῶν μὴ θέλῃ.) Locus hic corruptus cum ſit, arbitratus ſum aliquando pro πυρῶν legendum eſſe πυλαίου, ita vt de Monte Pyleo ſermo eſſet; verū ab Aloyſio Lollino viro eruditiſsimo monitus, veram tandem aſſecutus emendationem, cognoui loco πυρῶν legendum eſſe πῦρ, vt ſenſus ſit, ignem, cū tegi non permittit, tempeſtatem premonere;

ægrè

ægrè autem tegi patitur, cum superinducto cinere nihilominus lucet, ac fauillas quasi quasdam emittit; de qua re sic Aratus.

Μη δὲ κατὰ σποδιὴν ὁπότ' ἄνθρακος αἰθομένοιο
Λαμπῶνται περὶ σύματ' ἐοικότα κεγχρείοισιν. id est,
Neq; per cinerem quando carbone ardente
Splendeant circum circa signa similia cenchtis.

Atatus tamē id pluuiarū tantū signū esse dicit. Theon vero in Cōmentarijs addit etiam & tempestatis; contingere id totum scribens ob multam aëris ἀγωγὴν. Plinius de eo-
„ dem fortasse hoc signo. aut cum contectus ignis à se fauil-
„ lam discutit, scintillamq; emittit, quod signum esse scribit
tempestatis. Causam, ego arbitror, duplicem esse posse; cum enim cinis rarus sit, aër extrinsecus motus ab aliqua causa facile illum penetrat, qui iam vaporum particulis plenus ignem tangit ac discutit; particulæ verò illæ vaporum humorem intra se continent, qui mox à calore ignis conuersus in spiritum & expulsus coloratus & scintillans foras erumpit. Item cineris particulæ ob humiditatem aëris humoris aliquid concipere possunt, quod mox à calore ignis conuersum identidem in spiritum, non secus ac sal igni ingestus, vt prob. 26. sect. 11. docet Aristoteles, violēto exiliens impetu cineris particulas rumpit, & crepitum mouens scintillasq; foras excutitur. verum hæc omnia & pluuias & tempestates portendere satis est perspicuū, humescente enim & moto aëre eueniunt, quæ duo & ventum & imbrem mox futurum monstrant, ac subinde tempestatem.

32 *καὶ ἴαν λύχνος.*) Nimirum quia id maximę aëris hu-
„ miditatis indicium est. Plinius. Et lumina cum ex sese flā-
„ mas elidunt; aut vix accenduntur.

33 *καὶ τέφρα πηγνυμένη.*) Aratus sic

ἀλλὰ γὰρ καὶ ἀεικεῖ τε τέφρῃ
Αὐτου πηγνυμένη νιφετου ἐπιτεκμήραιο, id est
Siquidem vel vili cinere
Ipsam concreto niuem obserues licet.

Theoriq; causam adducens in Cōmentarijs, *νιφετὸν* videtur *χειμῶνα* interptetari; cinerem concrescere dicens ob nimiā

aëris humiditatem; cui ſententiæ Plinius adſtipulatur, qui concretionem hanc cineris, tempeſtatum nunciam eſſe ſcripſit. verum ſi νίφετος eſt nix impetu & confertim decidens, vt 3. cap. libel. de Mundo habemus, non ſola humiditas, ſed frigiditas potiſsimum cauſanda erit, & ea quidem inſignis, qualem in aëre eſſe oportet ad niuem generandam; nam concretionem hanc vi frigiditatis excellentioris in cinere effici, ab humiditate aëris paulùlum humefacto, cenſendum eſt.

34 λυχνίας ἀδίας ἡσυχαίας.) Hoc in loco ſubeſſe mendum illi facilè concedent, qui apud Aratum legiſſe meminerint, lucernas, ſi quietè ardeant, ſerenitatis eſſe nuncias, vt ſi quietas flammas habeant nullo modo tempeſtatē poſsint indicare; quod tamen mendoſa hæc lectio aſſerit. primo igitur legendum puto λύχνος, & mox fortaſſe ἀδικὸς, demū ſine vlla dubitatione οὐ ἡσυχαῖος. ſententia nanq; eſt, ſi lucerna non quieta, ſed murmurans & canens ardeat, tempeſta-
» tem nunciare: de qua re ſic Plinius. Ab his terreni ignes
» proximè ſignificant: pallidi nanq; murmurantesq; tempe-
» ſtatum nuncij ſentiuntur. Huius rei cauſam perbellè ad finem 2. Meteoron docet his verbis Ariſtoteles, de cauſis to-
» nitrui diſputans. fit autem, inquit, ictus eo modo (vt ma-
» gnæ paruam affectionem conferamus) quò ſonus, qui in flā-
» ma excitatur, quem alij Vulcani alij Veſtæ riſum nominant,
» alij horum minas. fit verò cum exhalatio in flammam con-
» uerſa diſruptis exiccatiſq; lignis fertur. modo .n. non diſsimili, exhalatio diſruptis ellychnij particulis vi erumpens & in flammam conuerſa, aërem percutit, & ſonum cauſat. quod quidem ſignum ponitur tempeſtatis, quoniā vaporē & exhalationē dominari oſtendit, ac ſubinde & ventos & pluuias imminere.

35 καὶ ἐὰν χειμῶνος ὄντος.) Addit μέλαιναι, quoniam non ſatis eſt hyeme fungos concreſcere in lucernis ad pluuias indicandas; cum enim tunc temporis aër natura humidus ſit; facilè poterit fungus ſereno etiam cœlo generari. quamobrem nigredo in eo requiritur; quæ, tanquam humoris excedentis indicium, valeat pluuias & tempeſtatem ſignificare;

care; eademq; ratio in ſequenti ſigno locum habet. diuiſio nanq; illa in grana exhalationem abundare oſtendit. intelligendumq; eſt, ad nigredinem ea quoq; declinare.

37 καὶ ἐὰν κύκλῳ.) Aratus hoc ſignum ita attingit.

Καὶ λύχνῳ χιόνος κέγχροις ὅτ' ἐοικότα πάντῃ
Κύκλῳ σήματ' ἔχει πυριλαμπέος ἐγγύθι μύξης, id eſt.
Etiam per lucernam niuem, milio eum ſimiles vndiq;
Circũ circa notas habet candicans propè ellychnium.

qua autem ratione hoc ſigno nix portendatur, non eſt facile inuenire; nec Theon Aratum explicans cauſam vllam adducit. dici tamen fortaſſe poteſt, cum nix ex nube gignatur ſicciore, vt primo Meteoron docent Interpretes, grana illa ellychnij ſummitatem hyeme circundantia, ſiccioris conſtitutionis eſſe indicia; & ſanè qualis ad niuem gignendam opus eſt. intelligendum nanq; hyeme hoc quoq; ſignum locũ habere; ſerenumq; cœlum eſſe oportet, quoniam nubilo vt pote humidiori non tanta fortaſſe gignerentur, vt poſſent ellychnium totũ circundare. qui profectò circulus illorum copiam oſtendens, iam aëris ſtatum humore abundantem ſicciorem fieri admonet, ac ſubinde ad producendam niuem idoneum reddi adueniente frigiditate excelléti. neq; enim grana fieri poſſunt, niſi adſit humor aliquis, cum particulæ fungi ſint, neq; ita diuiſa, vt milij grana repreſentent, niſi vigeat aliqua ſiccitas.

38 ἢ τοῦ ὄνου.) Nonnulla ſigno 69. opuſculi de Pluuiarum ſignis dicta ſunt. Aratus ita locum hunc exprimit.

Καί τοι μὲν καλέονται ὄνοι. μέσση δέ τε φάτνη.
Ἥ τε καὶ ἐξαπίνης πάντῃ Διὸς εὐδιόωντος
Γίνετ' ἄφαντος ὅλη, τοὶ δ' ἀμφοτέρωθεν ἰόντες
Ἀστέρες ἀλλήλων αὐτοσχεδὸν ἰνδάλλονται.
Οὐχ' ὀλίγῳ χειμῶνι τότε κλύζονται ἄρουραι. id eſt.
Atq; hæ quidẽ vocantur Aſini: mediũ autẽ Præſepe eſt
Quod etiam confeſtim cœlo ſereno
Fit euanidum totum: atq; vtrinque coëuntes
Stellæ ſibi inuicem vicinè apparent:
Non modica tempeſtate tunc inundant arua.

„ Plinius ſic. Sunt in ſigno Cancri duæ ſtellæ paruæ Aſelli appella-

„ pellatæ, exiguum inter illas ſpatium obtinente nubeculã, „ quam Præſepia appellant. Hæc cum cœlo ſereno appare„ re deſierit, atrox hyems ſequitur. Si alterã earum aquilo„ niam caligo abſtulit, Auſter ſæuit: ſi auſtrinam Aquilo. eſt autem Præſepe vt teſtatur Aratus, exiguæ & tenui nubeculæ ſimile; ſi igitur ſereno cœlo nubecula hæc concreſcat, nempe denſior & in maiori mole appareat, itẽ ſi fiat obſcura Theophraſto tempeſtatem portendit; Arato autem ac Plinio ſi deſinat apparere, ita vt euaneſcere videatur. nec fortaſſe vlla eſt inter hos autores differentia, nam cum ζοφερὸ, obſcura ſcilicet ſit, obtutum etiam noſtrum quodammodo effugit. Cauſaq; manifeſta eſt, vapore nanq; & exhalatione in aëre dominante & concreſcente eiuſmodi hæc eueniunt circa Præſepe, ex quò & meritò tempeſtas expectatur. Simile quid circa Caniculam obſeruabant Cæi, vt Marcus Tullius notat primo de Diuinat. ex puritate ipſius & obſcuritate ſalubrem annum, vel inſalubrem conijcientes. Verba „ hæc ſunt. vti enim Cæos accepimus ortum Caniculæ dili„ genter quot annos ſolere ſeruare: coniecturamq; capere, „ vt ſcribit Ponticus Heraclides: ſalubris ne, an peſtilens an„ nus futurus ſit. nam ſi obſcurior quaſi caliginoſa ſtella ex„ titerit: pingue & concretum eſſe cælum: vt eius aſpiratio „ grauis, & peſtilens futura ſit. ſin illuſtris, & perlucida ſtel„ la apparuit: ſignificari cælum eſſe tenue, purumq;, & pro„ pterea ſalutare.

39 καὶ ἐὰν ἀςραπτὶ λαμπρᾶ.) Neſcio quo modo irrepſit error in noſtra verſione, vt negatio omiſſa ſit; debet enim legi, in eodem loco non permanſerit. quemadmodum & græcum habet exemplar. fulgura autem in pluribus locis ſi cernantur, non in vno tantum, tempeſtatem portendere poſſe, ſatis perſpicuum eſt: non exiguam enim exhalationũ & vaporum copiam parari oſtendunt.

40 ἐπὶ πλειάδι.) Vide quo modo eorum axiomatum memor Theophraſtus, quæ initio opuſculi de Pluuiarum ſignis attulit, hic ex aëris ſtatu circa Pleiadum occaſum de totius hyemis futura conſtitutione decernit. Eſt Virgiliarum occaſus dichotomia, iure igitur aër, quam temperationem

tunc

tunc sortitur, eandem, vsq; ad aliam retinet dichotomiam; at si ad tres illos montes fulgurauerit, quod non sine ventis etiam & pluuijs euenit; & ingentem adesse materiæ copiã, & ventos ac imbres hyemem ferè totam esse perpessurã, indicium est; quamobrem meritò magnam portendi hoc signo hyemem notat autor.

42 εὐδιεινόν.) Ex hoc loco facile habetur, quid εὐδιεινοῦ χειμῶνος nomine sit intelligendum, de qua re apud Hippocratẽ Aphorismo duodecimo tertij secti magni in arte medica viri Leonicenus & Manardus, tandiù longissimis argumentorũ recitationibus altercati sunt. opponit enim Theophrastus εὐδιεινὸν χειμῶνα, magnæ hyemi; at magna hyems esse nequit, nisi pluuiæ, venti ingentes, frigora & niues in ea vigeant; sintq; hæc omnia diuturna præsertimq; frigora & flatus aquilonares. itaq; rectissimè Hippocrates austrinam hyemem εὐδιεινὸν χειμῶνα appellauit, vtpotè minus frigidam & oppositam aquilonię hyemi, quam 7. Epid. χειμῶνα σφόδρα χειμερινὸν dictam inuenio. Quę sequuntur de nubibus Hymetti & Athos vertices obsidentibus clara sunt; positionis enim ratione sunt τὰ ὄρη σημαντικά, vt iusta de causa ex illis signa captari debeant.

45 νεφέλιον φαίνηται.) Accuratè legenda sunt, quæ cap. 8. 2. Meteoron docet Arist. de nubecula simili paulo post occasum sereno cęlo in aëre apparente, quam terremotus quoq; signum esse monet. indicat enim nubecula hęc materiam quidem, vel ob loci mutationẽ, vel ob aliã aliquã causam languescere; sed tamen donec apparet, non omnino absumptam esse eam ostendit; itaq; nec sedatam penitus tempestatem; vbi enim omnino apparere desierit, tum securè cœli promittit tranquillitatem. Si ergo post peractam tempestatem sereno cœlo nubeculam huius figuræ in aëre videas, nouam adhuc iniuriam perhorrescas.

46 ἐὰν τὸ μετόπωρον εὐδιεινόν.) Nota quo modo hoc in loco Theophrastus τὸ εὐδιεινὸν opponit τῷ ψυχρῷ. non semel enim supra à nobis monitum est, vocem hanc, εὐδίαν, calorem apud Aristotelem Theophrastũq; præsertim significare. Verum dubitatio est, qua ratione debeat ver frigi-

dum

dum esse si autumnus plus iusto sit calidior. Respondeo, autumnum veri sicuti & hyemem æstati in temperamento aduersari; sunt enim contraria inter se tépora, & propterea ver autumnales morbos, autumnus vernos, hyems æstiuos, æstas hybernos soluit ac discutit, vt in lib. de Natura humana docuit Hippocrates. sicuti ergo si æstas valdè calida fuerit, hyems valde frigida expectanda est & è contra, ita & si autumnus plus iusto sit calidior, ver vt plurimũ frigidum erit. cuius rei duplex ratio adduci potest, prima sumitur ex natura mutationis, quæ in contrariũ semper efficitur; quamobrem, cum annus nil aliud verè sit, vt alibi notauimus, quàm hyems & æstas, si horum temporum alterum frigidum fuerit, alterum plerunq; calidum erit. Secunda ex ipsorum temporum natura; si enim æstate vigeat æstus, ingentem vaporum & exhalationum copiã gigni necesse est, ac subinde subsequente hyeme pluuias magnas & ventos; quæ duo non parum hyemis frigiditatem augent. Quod autem ad ver & autumnum spectat, illud maximopere animaduertendum est, quòd alibi à nobis fusius dictum fuit, ver quidem in actiuis qualitatibus cum æstate, autumnum cum hyeme per se & sua natura consentire; per accidens tamen, & cum annus à suo discedit temperamento, contrarium euenire; autumno vt plurimum in æstatis naturam, vere in hyemis temperationem abeunte. ac ratio quidem est, quoniam actiuæ qualitates vehementius in aëre impressæ difficilius expelluntur, quamobrem, si æstas tota valde calida fuerit autumnus vt plurimum calidus quoq; erit, si hyems frigida, ver quoq; frigidum; hinc sequenti signo 48. notat Theophrastus, si hyems prorogetur ver non existere; nimirum, quia eo tempore, quo deberet esse ver, nimia frigiditas adhuc vigeat. Si igitur autumnus plus iusto calidior fuerit, sequetur hyems valde frigida, ac paululũ etiam fortasse maturabit; itaq; & ver ob dictam causam frigidum erit.

47 καὶ ἔαρ καλόν.) Nota quo modo necesse est, vt ver suam naturam retineat, hyemem maturare. De sequenti signo 49. in opusculo de Pluuiarum signis dictũ est num. 76.

50 τὸ ἔαρ καλόν.) Appellat autor ver pluuium καλὸν, quo-

quoniam ver sua natura humidum & pluuium esse debet, quod perbellè in opusculo de Natura humana demôstrauit
» Hippocrates sic veris describens temperationem. Cæterum
» vere pituita quidem adhuc fortis in corpore manet, sed san-
» guis augescit. Nam & frigora remittunt & imbres super-
» ueniunt. Sanguis autem iuxta hæc augescit, ab imbribus
» videlicet & calidorũ dierum tepore. & libello de aëre, aquis,
» & locis salubris anni idem exponens ver pluuiũ esse opor-
» tere scribit, sed tamen rempestiuè.

52 ἐὰν τὸ ἔαρ καὶ τὸ θέρος.) Si autumnus sequitur æstatis temperaturam, vt superius diximus, quo modo potest esse æstuosus, si æstas frigida antecesserit? an dictum est à nobis id euenire, vbi æitas tota fuerit talis? atqui bic ponitur oporam, secundam nimirum æstaris partem, vt iu Apologia ostendimus, calidam esse, cuius naturam maximè sequitur autumnus. Si igitur ver & æstas frigida fuerit, opora calida erit, quoniam oriente Cane fir mutatio; omnis vero mutatio in contrarium; ac subinde sequetur calidus autumnus naruram oporæ induens. quod tamen intelligendum est contingere, nisi Aequinoctio rursus muratio fiat; quæ, si æstus præcedens magnus fuerit, vt plurimum ob causam iam superius allatam, effici nequit.

53 αἱ πρῖνοι.) Aratus sic.

Πρῖνοι μὲν θαμινῆς ἀκύλου κατὰ μέτρον ἔχουσαι,
χειμῶνός κε λέγοιεν ἐπὶ πλέον ἰσχύσοντος. id est.

Ilices quidem frequentis glandis non parum ferentes
Hyemẽ certè nũciare solent haud leuiter inualescentẽ.

quò loco Theõ scribit Plutarchi autoritate, ideo ex fructuum huius arboris copia hyemem magnam portendi; quia maximè sicca est vt docet Theophrastus, nec valet abundè frutificare, nisi multa vigeat humiditas; vt crebri & magni proprerea imbres sint expectandi: hyemis enim initio videlicet paulo post Vergiliarũ occasum fructum reddit; quemadmodum cap. 6. 3. de Plantarum historia notat Theophrastus. qui eodem lib. cap. 16. Ilicem ferre præter glandem scribit, granum quoddam puniceum, & viscum atq; hyphear habere, idcircoq; contingere vt nonnunquam quater-

nos fructus habeat, binos proprios, binosq; alienos, viscu scilicet atq; hyphearis: ferreq; à septentrione viscum, à meridie hyphear. sequentia tria signa, quas nam causas habeant, satis ex superioribus quisq; ex se facilè cognoscere potest.

57 ὁ τοῦ ἑρμοῦ ἀςὴρ.) Mercurij stella propter suam exiguitatem dificiliter cernitur, itaq; nisi aër fuerit vaporum meximè expers, & purus non apparebit; id si hyeme contingat frigora nunciat, serenitates enim hybernæ frigora augent propter siccitatem, vt sensuum fide experimur. si æstate, expectandi æstus sunt, & squalores eandem ob causam, siccitas enim calorem acuit; quoniam igitur signum hoc aërem vaporibus carere ostēdit, ideo eiusmodi hęc spōdet. Est & altera causa, (sed tamen prior ad rem nostram facit) ob quam raro & difficulter Mercurius apparet, ab Aristotele cap. 7. p. Meteoron tacta, passimq; ab Astrologis allata; nempè occultatio ferè ipsius perpetua sub solis lumine, à quo non solet abesse gradibus plus 26.m.30. ex quo & cum semper intra solis radios versetur, dum suos cum illis miscet vibrare videtur & micare. vide de re hac septuagesimum tertium prutenicum præceptū; quo in loco, quod ad triū superiorum emersionem & occultationem pertinet, animaduerte siue autoris lapsu, siue incuria impressorū perperam scriptum esse tres superiores planetas interdiù supra horizontem ascendere ex eo tempore, quod inter synodum, & verum ipsorum diametrum cum sole positum intercedit, id est ab apogeo Epycicli ad perigeon. tuneq; vocari matutinos orientales & præcedentes. à diametro rursum ad synodum, quod est à perigeo ad apogeon, nocte ascendere & oriri, vocariq; vespertinos & sequentes. à synodo nanq; ad diametrum tres superiores noctu ascendunt nō interdiù; interdiù enim ascendentes, neq; orientales, neq; præcedentes esse possent. item à diametro ad synodum interdiù oriuntur non noctu, quo modo occidentales, & sequentes, posterioresq; dici debent. verum hoc admonendi studiosi lectoris gratia, non cauillandi studio, annotare libuit.

59 ἔτεν μέλιτται.) Aristoteles sic cap. 40. noni de Historia

» ria Animalium de apibus sermonem habens. Præsagiunt a-
» pes & hyemem & imbrem, cuius rei indicium est, quòd non
» auolant: sed sereno adhuc in alueo volutantur, quo apiarij
» hyemem expectant. ex quo & Aratus.

Οὐδ' ἂν ἐπιξουθαὶ μεγάλου χειμῶνος ἰόντος
Πρόσσω ποιήσαιντο νομὸν κηροῖο μέλισσαι,
Ἀλλ' αὐτοῦ μέλιτός τε καὶ ἐλίσσονται. id est.
Neq; sanè sufflauę, magna tempestate instante,
Ante facere solent pabulum faui apes,
Sed intus melleq; & structuris occupantur.

61 περὶ τὰ ἔργα ἔρμῃ.) Verba hæc corrupta sunt; eruditusq; Lollinus putat legendum περὸς τὰ ἐργάσιμα; quod, licet dum verterem locum hunc non animaduerterim, maximoperè tamen probo; emendationem enim hãc Aratus his carminibus confirmat de Lupo sermonem habens,

Ἢ ὅτ' ἀροτρῆων ὀλίγον πεφυλαγμένος ἀνδρῶν
Ἔργα κατέρχηται, σκέπαος χατέοντι ἐοικὼς
Ἐγγύθεν ἀνθρώπων, ἵνα οἱ λέχος αὐτόθεν εἴη,
Τρὶς περιτελλομένης ἠοῦς χειμῶνα δοκεύειν. id est.
Aut quando agricolarum parum cautus virorum
Opera accedat, tegmine indigenti similis
Vicinè hominibus, vt ei lectus ibi sit.

Ad tertiam exorientem auroram tempestatem obserua. & fortasse pro ἢ εἴσω legendum ἥκει, vel tale quid, & mox prò χειμῶνος, χειμῶνα. hæc autem omnia, quæ ad animalium pertinent actiones, eandem habent causam cũ superioribus.

62 ἐν τῷ μετοπώρῳ πολλοὶ σφῆκες.) Vespæ autumno apparent, si ergo multæ per id temporis cernantur, pluuias ingentes minãtur nobis ac tẽpestates; de qua re sic Aratus.

Αὐτὰρ ὅτε σφῆκες μετοπωρινὸν ἤλιθα πολλοὶ
Πάντῃ βεβρίθωσι, ἑσπέριον προπάροιθεν
Πληϊάδων, εἴποι τις ἐπερχόμενον χειμῶνα,
Οἷος ἐπὶ σφήκεσσιν ἑλίσσεται αὐτίκα δῖνος. id est.
Sed cum vespæ autumni tempore glomeratim multæ
Passim constipatæ fuerint, etiam vespertinas ante
Pleiades, dixerit quis subsecuturam hyemem,
Qualis in vespis conglomeratur itidem turbo.

Huius rei causam optimè attingit Theon in commentarijs, vesparum nanq; copia gigni nequit, nisi terra maximè humida sit, & vaporosa, vt ipse inquit; quod Aristotelis autoritate confirmatur, tertio de Animalium ortu ad finem decimi capitis asserentis, similem esse quodammodo rationē de vesparum generatione, atq; apum; atqui vt ipse ait, crebris imbribus & pluuijs annis magna apum copia gignitur, humiditates enim faciunt plus excrementi in corporibus ducum. Itaq; cum vesparum multitudo autumno apparens, humoris plurimum & vaporis redundare ostendat; meritò pluuiam hyemem minitatur. accedente enim frigore, concrescere vapores necesse est, atq; in aquam conuerti proindeq; ingentes imbres & tempestates accidere. reliqua quæ sequuntur clara sunt, & à qua causa pendeant satis ex ijs elucet, quæ supra, loca similia explicantes, diximus; quamobrem pauca tantum quædam annotabo.

64 τῆς παρθένοις.) Lego τοῦ παρθένου & mox πρὸς δύσιν.

66 ἐὰν ὕδατα ἐαρινὰ πολλά.) Huius rei causam affert Hippocrates supponens ver fuisse pluuium & austrinum libello
» de Aëre, Aquis, & Locis, his verbis. Quum enim æstus de-
» repente accedat, terra humida existente à vernis imbribus,
» & ab Austro: necesse est æstum duplicatum esse, & à terra
» irrigua & calida, & à sole vrente. Idq; totum in concauis locis maximè contingere necesse est; eandemq; causam repetit Aristoteles prob. 8. primæ sectionis: ac nonnulla habes prob. 21. est enim terra in cauo, quæ inter mõtes & in conualle est abdita, ex quo & imbrium ruinis obruitur, immodicoq; imbibito humore continuò madescit; atq; si eò ingreditur sol, vndiq; reciprocatis radijs torretur & suffocatur, quasi eam lacunam dixeris, stagnum vè aëris.

66 δεῖ οὖν ἀρχὴν ὁρᾶν.) Vocat principium, præcedentem causam nisi fallor, vt in proposito vernos imbres; ex quibus de sequentis temporis statu, de æstatis nempe in planis & cauis potissimum locis æstu vehementi decernitur.

67 ἐὰν τὸ μετόπωρον εὐδιεινὸν.) Nota hîc rursus εὐδίαν, calorem dicere & eum quidem insignem.

70 ἐνίοτε δὲ καὶ αὐχμούς.) Aratus quoq; squalores & sicci-

citates ingenti fructuum Ilicis copia portendi his carminibus asseruit.

Μηδὲ λίην ἔκπαγλα περιβρίθοιεν ἁπάντη.
τηλοτέρω δ' αὐχμοῖο συνασταχύοιεν ἄρουραι. id est.
Neq; nimis insolenter grauidæ fiant vndequaq;
Sed magis procul à squalore spicis compleantur arua.

Causa fortasse est, quoniam vt excedenter fructificent Ilices, non humore tantum egent, sed necesse est, calorem quem multum habent, à simili constitutione augeri & roborari. at si calor dominetur squalores parere posse perspicuũ est. est enim Ilex arbor calidæ naturæ plurimum participans & exhalationis, vnde cum vritur clamitat sonumq; maximè edit, ex quò & illud Aristophanis in Ranis.

Σὺ δ' ὥσπερ πρῖνος ἐμπρησθεὶς βοᾷς. id est.
Tu autem quemadmodum accensa Ilex clamas.

atq; 3. Rethoricorum legimus Periclem Bæorios Ilicibus similes dixisse, quoniã vt Ilices se ipsas cõtundunt, ita Beotij inter se præliantur; contundunt autem semet Ilices ab ipso spiritu, quem concipiunt fractę, & disruptę, quod interpretes super locum illum Rethoricorum non satis perspexisse video, diu multumq; laborantes in causa inuestiganda, quare id Ilicibus eueniat.

FINIS.



ANNO-

ANNOTATIONES IN OPVSCVLVM DE TRANQVILLITATIS, & Serenitatis signis.





ὐδίας δέ.) Duo in hoc libello potissimum significat vox hæc, εὐδία, cœli serenitatem, cum scilicet nubibus aër caret; item ventorum tranquillitatem & silentium: ideoq; nos nō contenti vna voce serenitati tranquillitatē adiecimus. posterioris huius effectus causam cap. 5. 2. Meteoron luculenter docet Aristoteles; Theophrastusq; tex. 18. & 19. libelli de Ventis: prioris verò nempè serenitatis, duplex à philosopho causa recensetur. prima cap. 8. primi Meteoron traditur, multitudo videlicet calidæ & fumidæ exhalationis, quæ & aërem reddit ficciorem, & vaporem discutit ac dissoluit; vt non facilè queat in aquam concrescere, proindeq; necesse sit serenitatem sequi: ac preceptoris „ verba talia sunt. Perspicuum enim est eos fieri (cometes „ intelligit) quòd magna eiusmodi secretionis copia habea- „ tur. Aërem itaq; ficciorem esse & eum humorem; qui exha- „ latur, exhalationis calidæ multitudine dirimi & solui vt non „ facile in aquam concrescat, necesse est. altera causa eodem „ opere lib. 3. cap. 3. ita explicatur. Si enim aër non ita sese „ habeat, vt interceptū calorem vincere non valeat, nec item „ in aqueam concretionem densari, perspicuum est vaporem „ à sicca & ignea exhalatione nondum esse secretum, quod „ quidem serenitatis causa est. docuit nanq; non semel in meteorologica philosophia Aristoteles, quod vi caloris è ter-

ra &

ra & aqua exhalat, vtranq; naturam potētia continere; nempe & vaporem & fumidam exhalationem: quamobrem, vt pluuia fiat, necesse est partem fumidam & calidam vinci à frigiditate, adeo vt vel seiungatur à vapore, vel extinguatur; qua absumpta, vel abeunte, facile statim cogitur in aquam vapor, & fit imber. quod si ita res est, non adeo inepta philosophi opinio de causis pluuiæ censeri debet, vt nonnullis recentioribus videtur; qui Hippocratis verba ex libello de aëre aquis & locis explicantes, imbrium causam ab eo traditam longe probabiliorem esse affirmarunt; modum verò ab Aristotele positum, (quòd scilicet humor circa terram vi caloris in vapores conuertatur, vapores autem euecti, à calore deserti, atq; etiam loci frigiditate adiuti in aquam iterum vertantur) non leues pati difficultates; cur enim non semper aëre nubilo aqua cadat non explicare. nō inquam ita de communi omnium præceptore sentiendū est, ac de eius dogmatibus adeo leuiter enunciandum. nam primum, cur non semper cadat imber, satis ipse aperuit: non enim semper calor & fumida calidaq; exhalatio separatur à vapore, vel eum deserit, vel extinguitur; quapropter non semper pluit, quanquam semper vapor cōscendit, quamobrē cur non nō semper aëre nubilo aqua cadat optimè aperitur. deinde Hippocratis opinio, non adeo ab Aristotelis sententia dissidet, vt isti putant: enimuerò; quod ipse ibi ait de vaporum ortu, scribens solem, quod tenuissimum est ac leuissimum ex aquis stagnantibus, & ex ipso mari, ex omnibusq; in quibus aliquid humoris inest, educere & sursū rapere, id totum, certum est, omnino cum Aristotele consentire: quod verò addit; illud omne quod raptum est & in sublime eleuatum, dum circumfertur & per aërem miscetur, tunc quod turbidum in ipso est ac noctem refert, id excerni & decedere, aëremq; fieri & nubem; quod verò tenuissimum est ac leuissimum in ipso, hoc relinqui ac dulcescere, dum à sole vritur & coquitur; idq; totum, dum dispersum fuerit & nondum congregatum, ferri sublime; vbi verò coaceruatum fuerit ac simul congregatum à ventis inter se aduersarijs, tunc deorsum in aquam prorumpere, quā

parte

parte plurimum collectum fuerit; neq; hoc etiam rectè intellectum ab Aristotelis mente est alienum; quandoquidem in parte nubis crassiore, quam θολερὸν & νυκτοειδὴς vocat Hippocrates, particulas illas vaporum (vt in fauo mel) contineri, quæ in stillas & guttulas conuertuntur Aristotelem quoq; sensisse, tota de Iride & virgis disputatio id latissimè probat; quas sanè calore solis coqui & deuri non est absurdum; ita vt in tenuissimam leuissimam & dulcem aquam conuertantur: non quidem quod particulæ illæ à sole in guttas aquarum liquentur, vt in Cõmentarijs super Hippocratẽ censuit Adrianus, nam sic noctu pluere nõ posset neq; diebus frigidissimis; sed quòd solis calor particulas illas coquens, ita disponat, quemadmodum paulo supra diximus, vt dulcis omnino aqua ex illis oriatur. Pluuias verò non fieri nisi cõgregata materia à cõtrarijs ventis, quòd postremo loco subiungit Hippocrates, id profectò, si diuinus senex putaret semper ad pluuiam gignendam esse necessariũ, non ab Aristotele tantum, verum etiam ab ipsa veritate dissentiret; sed alia illi mens est, expositurus enim pluuiæ causam tanquam sensatus artifex, videtur hominum captui se accõmodare, eam coaceruationis vaporum causam adducens, quę maximè sensui est nota; nam cum contrarij venti flant nubes vicissim conglobari & congregari subindeq; ingentem sequi pluuiam, 2. Meteoron cap. 6. & 3. eiusdem operis cap. 9. non obscure innuit Aristoteles; non tamen arbitratus est Hippocrates id semper esse necessarium; quãdoquidem silente omni aura imber cadit, quod fieri non posset; propterea temperans sententiam subiungit, verisimile esse magis congregationem hanc vaporum fieri cum
„ venti contrarij spirant; atq; hæc sunt verba. Tunc enim
„ hoc magis fieri verisimile est, cum nebulas à vento stabili-
„ tatem non habente concitatas ac procedentes de repente
„ ventus contrarius ac alteræ nubes resilierint. quasi diceret diuinus senex, quanquam alia de causa vapores coaceruentur, hac tamen potissimum fieri congregationem hanc verisimile est; quamobrem nulla est inter ipsum & Aristotelẽ dissensio; qui cap. 11. primi Meteoron imbrium causas inquirens

quirens, coaceruatis in sublimi vaporibus multis pluuias fieri scripsit; licet coacernationis huius causam, tanquam philosophus & ex proposito rem tractans, in locum ex quo vapores eliciuntur & in quo congregantur, item ex tempore in quo colliguntur acutissimè retulerit; quod Hippocrates dicere prætermisit, tanquam remotum magis ab hominum captu, cui satis fuit causam aliam sensibilem magis, quanquam minus propriam, & quæ rarius locum habeat recensere.

1 ἥλιος μὲν ἀνιών.) Rectissimè primũ solẽ orientẽ contẽplatur, sunt enim signa de ortu sumpta validiora & certiora vt in superioribus ostendimus, quod de pluuijs prob. 25. de ventis prob. 59. sect: 26. clarissimè habetur. si ergo sol purus & splendidus oriatur, nec ferueat, nec signum vllum habeat, videlicet neq; rubedo, neq; nigredo vlla circa ipsum appareat, serena, & tranquilla dies omnino expectanda est.

3 οὕτω δὲ ἄδηλον &c.) Lego τουτὸ.

5 ἐν εὐδίᾳ σημαίνει.) Locus hic corruptus est, quem cum accuratius postea ponderauerim, Arati permotus autoritate, aliter omnino & emendandum puto, & conuertendum. Aratus signum hoc vt reor exprimens ita cecinit.

Εὔδιος κε φέροιτο καὶ εἴποτε χείματος ὥρῃ
ὠχρήσῃ κατιών. id est.
Serenus sanè agatur: etiam si quando pluuiæ tempore
Palluerit occumbens.

quamobrem constat legendum esse εὐδίαν σημαίνει. atq; ita
„ verba interpretanda. Et si vigente tempestate sol labens pal-
„ lidus fuerit prædicit serenitatem. Quæ sequuntur omnia signa, ex superioribus causas habent manifestas; vt ne legẽtibus tedium afferam, ab illis tradendis supersedendum duxerim, pauca tantum quædam & ea quidem potiora animaduertens.

10 τὰ ὄρη τὰ σημαντικά.) Verba maximè notanda. non enim omnes montes significant, vel non æquè significant, verum altissimi maximè, & qui sunt mari proximi, vt ipse in proemio libelli de Pluuiarum signis admonuit.

23 βορρᾶθεν ὑπολήψις.) Legendum ὑπολάμψις nisi halluci-

nor: locusq; hic maximè est obscurus & valde fortasse mendosus. certè mira breuitate concisus est, & insigniter mancus; ego tamen vt potui melius, illum expleui.

24 νοτόθεν δέ.) Deest conclusio, quę fortasse talis est; si fulgeat ab austro & fulgor nigrescat, tempestatem in aquiloniam mutari indicium est; nigredo enim Aquilones, albedo Austros præsefert, vt num. 36. & 37. libelli de Ventorum signis notatum inuenimus.

25 νεφέλη ὀγκώδης.) Tumoris ac molis causa est exhalatio fumida & spiritus: nubes ergo talis apparens, dominari ostendit exhalationem, nec dum à vapore eam esse separatam; quæ res causa est serenitatis, vt superius diximus.

26 ἐκπνίας μέγας.) Rectè addit μέγας; vt .n. prob. vlt. sect. 26. & tex. 9. libelli de Ventis habemus, Aquilo interdũ etiã suis locis pluuius est, si frigiditate magis polleat, quàm magnitudine: quod si magnitudo in eo frigiditatem vincat, perpetuo serenus est: itaq; merito magnum eum spirare oportere notat autor.

31 τέττιγες πολλοί.) Scribit Aristoteles cap. 30. libri v. de Historia Animalium, Cicadarum copiam pluuijs maximè annis gigni; atqui annos humidos & pluuios pestilentes esse & insalubres, quoniam corpora multis tunc excrementis redundare necesse est, ita vt ægrotandi materiam habeant, idem prob. 21 sect. 26. notatum reliquit; iusta ergo de causa Cicadarum multitudinem grauem annum minitari scribit Theophrastus.

33 ὅσων κέγχρους.) Si supra in opusculo de Pluuiarum signis num. 18. ventum & pluuiam præsagiunt grana hęc; libello de signis Tempestatum num. 36. tempestatem; quomodo hîc possunt indicia esse serenitatis? Respondeo si lucerna pluuio cœlo grana hæc efficiat, serenitatem indicare, quoniam ficcioré iam reddi aërem ostendant. si sereno semper pluuias, vel tempestatem; quia reddi è contra humidiorem monstreat: at hic intelligit autor, si cœlo perturbato grana hæc appareant serenitatis esse prænuncia; nam tria hæc signa, quæ hic narrantur, ad lucernam eiusq; lumen spectantia, cœlum perturbatum, ac nubilum supponunt, quem-

quemadmodum in primo explicando notauit autor.

35 ὁ τῆς σχίνου καρπὸς.) Aratus sic.

Τριπλόα δὲ σχῖνος κυέει. τρισσαὶ δέ γε αὖξαι
Γίνονται καρποῖο. φέρει δέ τε σήματ' ἑκάστη
Ἑξείης ἀρότῳ.

quæ sic Cicero transtulit

Iam vero semper viridis semperq; grauata
Lentiscus, triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Adrianus tamen Turnebus vir eruditissimus in annotationibus super Theophrasti libellum de Odoribus Aratū culpare videtur, quod vocis ambiguitate ac vicinitate deceptum, (cum σχῖνος attico sermone scillam significet,) quod proprium scillæ est, ad lentiscum transtulerit; enimuerò de scilla dicitur à Theophrasto cap. 12. lib. 7. de Plantarum historia, quod ter florens tria sationū tempora monstret. verum maximè hallucinatur Turnebus; Aratus enim & lentiscum eo in loco recenset, & paulo post scillam: ac lentiscū fructu, vt hic quoq; Theophrastus, scillam flore triplici, tria arandi tempora monstrare scribit; carminaq; hæc sunt.

Ὅσσα δ' ἴσαι σχίνου ἀροτὴρ ἐπιφράσσατο καρπῷ
Τόσσα καὶ ἐν σκίλλης τεκμαίρεται ἄνθει λευκῷ. id est.
Quæcunq; verò in lentisci arator obseruabit fruct u,
Eadem etiam in scillæ deprehendit flore albo.

Quamobrem nullo modo affinitate vocum decipi potuit, in eandemq; sententiam loquitur Theon in Cōmentarijs, vt iam clarū omnino sit ex scillę floribus, ex lētisci verò fructibus indicia arationum & prouentus messis esse captanda. non me tamen prçterit MarcumTullium Aratea illa de Lentisco ad eius flores nō ad fructus primo de Diuinatione retulisse, quod an cum veritate consentiat alijs relinquo iudicandum; certè id ab Arati mente esse dissentaneum, affirmare non vereor.

36 καὶ τὰ ἄνυδρα.) Lego τὰ ἂν ὕδατα. Pertinentq; hæc ad anni ac partium eius statum dignoscendum, non ad vnius diei constitutionem prænunciandā, vt maxima signorum pars; quæ in his opusculis traduntur. eodemq; ten-

dunt illa, quæ libello de signis Pluuiarum num. 76. & 77. libello de Ventorum signis num. 45. de signis Tempestatum num. 52. 65. 66. 67. 68. habentur. si igitur hyeme incipiente, occasu scilicet Vergiliarum, aut solstitio, fiant æstus, obscurusq; & caliginosus aër sit & squalidus, ac sine pluuijs, vere grandines expectandæ sunt. nam cum adhuc multi in aëre vapores vigeant, verq; calidius solito sit, quoniā hyems calida præcessit, facile circum obsistente calore, quemadmodum æstate euenit, grando generabitur; vere nanq; opora & autumno grādines potissimum oriuntur, vt p. Meteoron docet Aristoteles propter aëris humiditatē. at si hyems talis antecedat, ver humidum duplici de causa erit, tum quia vapores abundant, minimè imbribus præterita hyeme absumpti, qui non fuere, tum ratione temperamenti, quod in vere humidum esse ponitur.

37 ὁμίχλαι πίπτωσι.). ὁμίχλη, nebula, vt docet p. Meteoron Aristoteles cap. 11. est nubis eius, quæ in aquam concreuit excrementum, estq; tanquam sterilis nubes, & ideo serenitatis potius argumentum, quàm aquarū. verum, vt superius vidimus, serenitas non fit, nisi adsit & vincat fumida exhalatio; itaq; si nebulę multæ post vernum Aequinoctium fuerint, id certum indicium erit, ingentem exhalationum copiam dominari, quæ nec vere, nec subsequente mox æstate suos effectus, à calore nimio impedita, efficere potest, autumno igitur superueniente eos producet, nimirum inde ad mensem septimum contrario vigente tēperamento; quamobrem non ob numeri septenarij vim atq; proprietatem id euenit, sed ex causa naturali: ab Aequinoctio enim verno, si menses sex numerentur, septimus sequens contrariam tempestatem adducet ac temperationem, subindeq; mutationem aliquam necessario: quæ enim exhalatio vere quiescebat, cōtrario superueniente tempore mouebitur. atq; hæc vera ratio est septenarij numeri tū in horis, tum in diebus, tū in mensibus; vt nos de maris æstu, de criticis diebus, ac de humano partu suis locis ostendimus; neq; cum pytagoricis ad naturam numerorum diuinam septimiq; præsertim confugere oportet. Cæterum vt ad nostra

ſtra redeamus, effectus exhalationis fumidæ ſunt præſertim venti & terremotus, qui vere nebuloſo inde ad menſem ſeptimũ, autumno videlicet, expectãdi ſunt; terremotus enim hoc loco ſignificantur voce illa πνεύματα; nam ſpiritus terremotus cauſa eſt; venti propria voce ἀνέμους: contrariæ enim tempeſtas motũ exhalationi impartiet; quæ antea detinebatur. Inquit autem, ambobus enumeratis, ſcilicet & ſpiritibus & ventis à verno Aequinoctio, vt ego reor, ad ſeptimum inde menſem eos eſſe expectandos.

38. ὅσαι μὲν ἅμα μηνοειδεῖ.) Si falcata luna hæ nebulæ vigeant ventos monent; eſt enim tunc minus humida luna, quia minus calida, ſcilicet minus luce abundans, ſi iis credimus, qui lunam, quo plus luminis habet, plus humoris gignere volunt. exhalatio ergo tunc poterit, neq; calore nimio detenta, neq; humore, ſuam retinens naturam ventos gignere. quod ſi plena luna hæ nebulæ fuerint, tunc imbres timendi ſunt, humidiore reddita materia propter lunæ lumẽ, vt facile in pluuias conuerti poſsit.

41 καλέειν μὲν ἀπ' ἠοῦς.) Sunt enim orientales venti & auſtrales pluuij & calidi, vt prob. 26. ſect. 26. docet Ariſtoteles, cauſam adducens; aquilonij & occidui frigidi & ſereni.

43 οὓς δὲ κομήτας.) Cometas frigora ſignificare poſſe, ſi quis aſſerat, is monſtrum ingens videtur effutire in philoſophia peripatetica; verum non ita res eſt, ſi aſtrologica principia animo verſemur. monet enim Cardanus 2. de Iudicijs Aſtrorum com. 53. cometas omnes, etſi à Marte & Mercurio producantur, habere tamen aliquid etiam cum reliquis planetis commune, quod à coloribus non ſecus ac eclipſis diſcernitur; quamobrem ſaturnius cometa poterit frigora præſagire cœleſtis cauſæ ratione, licet quantum eſt merito ſui, & materiæ ex qua conſtat, æſtus & calores tantũ portendat; quod à naturali philoſopho conſideratur. nec fortaſſe quis longè aberraret, ſi diceret, cometas propter ventos poſſe etiam frigora hyeme monſtrare. aut quia exhalatio vel tota, vel pars eius maxima in cometæ generatione abſumpta ſit, quæ aërem noſtrum calefaciebat; calidum

dum enim reddere aërem sua presentia exhalationem, non semel 2. Meteoron affirmauit Aristoteles.

44 τῶν δὲ ἀστέρων.) Locus hic in Apologia declaratus est diligenter; si tamen τῶν ἀστέρων nomine nota sidera, Arcturum, scilicet Canẽ & Vergilias intelligamus, sermonẽ habet hoc loco de dichotomijs autor, in quibus ferè semper mutatio euenit, quam verbo illo σημαίνειν indicat; est enim ἐπισημαίνειν, μεταβολὴν τοῦ ἀέρος ποιεῖν. id est mutationem aëris adducere atq; efficere, vt prob. 32. sect. 26. dicit Aristoteles. quod si innerrantia omnia, quæ de diurno statu decernunt ac singulis diebus anni oriri vel occidere annotabantur etate illa intelligere volumus, non repugno. Verũ satis lusimus: hactenusq; de ventorum & imbrium signis tempestatis ac serenitatis dictum sit: & quibus rerum præsensionibus prognostica hæc referta sint; quæ obseruata tẽpore immenso, & significatione euentus animaduersa & notata (nihil est enim quod non longinquitas temporum excipiente memoria prodendisq; monumentis efficere atq; assequi possit) mirari potius fortasse licet, quàm cur eueniãt probabiliter dicere. sed non deterruit nos rei difficultas, quin tantarum rerum causas prò virili inuestigare conati simus: arbitrantes nõ solum quid fieret, sed cur fieret ad presentem institutionem pertinere, insigniumq; philosophorũ Bæothi Stoici & Posidonij exemplo accensi: qui vt p. ac 2. de Diuinatione testatur Cicero, prognosticorũ causas persecuti sunt, earumq; rationẽ præsensionũ explicarunt, quę in mari cœloue fierent; quorum scripta iniuria temporum amissa ad nobilem hanc contemplationem nos excitarunt, & quodammodo coegerunt.

LAVS DEO

FINIS.



Meteorology